UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporvm Slesvicensivm

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

urn:nbn:de:hbz:466:1-64615

Visual Library

4/11
7
Th 4929.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALES EPISCOPORVM SLESVICENSIVM.

VNIVS, VERÆ, SANCTAE, CATHOLICAE, ET APOSTOLICAE Ecclesiæ statum, quoad eius Originem, Propagationem ac Mutationem in Regno Daniæ ac finitimis Slesuici ac Holsatiæ Ducatibus, aliasq; res quouis seculo in Ecclesia ac Politia admirandas vereq; memorabiles illic gestas ac perpetratas, breuiter ac dilucidè complectentes ac explicantes.

Collegij Soc. Jesu Paderborn.

INSERTA SIMVL BREVI AC rotunda Regum Daniæ ac Ducum Slesuici ac Holsatiæ Genealogia.

IN DEI GLORIAM, ECCLESIÆ COMMODVM ac Patriæ ornamentum editi ac diuulgati

à

IOHANNE ADOLPHO CYPRAEO, Slesuicensi.

COLONIÆ AGRIPPINÆ, Sumptibus Auctoris, Typis HARTGERI WORINGEN. *Anno* 1634.

CENSVRA.

ANNALES Episcoporum Slesuicensium, inserta simul breui ac rotunda Regum Daniæ ac Ducum Slesuici ac Holsatiæ Genealogia, opera ac studio IOHANNIS ADOLPHI CYPRÆI SLESVICENSIS conscripti ac elaborati, cum iudicio Theologorum, qui illos euoluerunt, nihil Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus contrarium contineant, lucem videre possunt. Coloniæ die 1. Aprilis, Anno 1634.

Fr. IOANNES PHILIPPVS FRIDT, *Ord. Præd. SS. Theologiæ Doctor ac Professor, nec non S. officij per Colonienſem Archidiœceſin & annexas partes Commiſſarius Generalis. Manu propria.*

SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. ANSHELMO CASIMIRO A WAMBOLT,

S. SEDIS MOGVNTINÆ ARCHIEPISCOPO, S. ROMANI IMPERII ELECTORI, & per Germaniam Archicancellario, Domino meo Clementissimo.

Nec non

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. FRANCISCO AB HATZFELT, EPISCOPO BAMBERGENSI ET HERBIPOLENSI,

FRANCIÆ ORIENTALIS DVCI, Domino meo Clementissimo.

Vt &

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. FRANCISCO GVLIELMO, EPISCOPO OSNABVRGENSI, MINDENSI, AC VERDENSI,

S. R. IMPERII PRINCIPI, Metropolitanæ, nec non Cathedralium Insignium ac Celeberrimarum, Colonienſis, Ratisbonenſis, Freiſingenſis, Bonnenſis, Monacenſis, Oetingenſis, reſpectiuè Præpoſito, Archidiacono & Canonico, Comiti de Wartenberg, Domino in Waldt *&c.* Domino meo Clementissimo.

Sempiternam felicitatem
humilimus & obedientiſſimus ſeruus
IOANNES ADOLPHVS CYPRÆVS SLESVICENSIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NIHIL quicquam esse existimo, quod Diuinæ ac Cœlestis Doctrinæ veritatem certius ac euidentius demonstret ac confirmet, Ecclesiæ Catholicæ Maiestatem ac Dignitatem clarius illustret ac patefaciat, quodq; vniuersis ac singulis eiusdem membris, omnibus fidelibus, synceris, ac Orthodoxis Christianis, tam rebus prosperis quam aduersis, maiorem ac efficaciorem præbeat delectationem ac consolationem, quam consideratio eiusdem Originis ac Antiquitatis. Hæc enim est clarissima ac verissima nota, certissimum ac infallibile Symbolum, quo Ecclesia Catholica à reliquo errantium ac incredulorum grege manifestè cognoscitur ac discernitur. Vnum quoque & solum hoc argumentum, si altiori mentis indagine attentius nonnihil ac diligentius ponderetur atque examinetur, tum ad erroneas quasuis animas à recto veritatis tramite deuias ac aberrantes, iterum conuertendas ac in viam reducendas, tum ad omnes præfractos ac obstinatos Diuinæ Veritatis hostes, nouitatis ac erroris arguendos ac conuincendos, satis ponderis ac momenti habere existimo. Et certè, si ad primum hoc principium ac originem mentem oculosq; nostros conuertamus, Ecclesiæq; Catholicæ faciem ac statum à sui primordijs & quasi incunabulis aliquanto altius ac penitius respiciamus ac contemplemur, tunc luce meridiana clarius apparebit, non nouum ac insolens esse, sæuos ac horrendos huiusmodi errorum ac persecutionum turbines ac procellas oriri ac concitari, quibus Naucula Christi turbulento ac procelloso hoc mundi æquore (tristissimo imprimis ac periculosissimo hoc rerum statu) miserè iactatur ac concutitur: verum sæpenumero & antehac frequentissimè omnibus fere

ferè seculis parem & eandem, imo interdum longè etiam duriorẽ ac grauiorem violentarum ac fraudulentarum persecutionum miserrimam tempestatem subijsse atque expertam esse. Sæuis autem ac turbulentis huiusmodi persecutionum fluctibus ac procellis, quæ quauis ferè ætate motæ atque concitatæ fuerunt, tantum abest, vt nauicula Petri penitus depressa ac submersa fuerit, vt tandem eo lætior ac glorioſior, superatis omnibus fluctibus ac sedata tempestate, emerserit ac eluctata fuerit. Huius rei Ecclesia nostra Slesuicensis in Cherſonoſo Cimbrica, exemplum ac documentum nobis præbet (ne longius alia accersamus) longè clariſſimũ ac euidentiſſimum: quæ & ipsa, consilio ac prouidentia Altiſſimi, eandem sortem ac viciſſitudinem crucis ac lucis, serenitatis ac tempestatis, persecutionis ac liberationis, exilij ac solatij, Belli ac Victoriæ quolibet tempore sensit atq; experta est. Cum itaque Benigniſſimus Deus, admiranda hac rerum mutatione ac viciſſitudine, insignia atque eximia Diuinæ suæ Potentiæ ac Clementiæ opera ac beneficia, quauis ætate in Ecclesia hac nostra Slesuicensi ediderit ac præstiterit, eamque tam præclaris donis ac ornamentis, Veritatis nimirum splendore, Antiquitatis ac Vetustatis decore, Eximiorum atque Insigniũ Doctorum singulari Spiritus S. gratia atque illuminatione, Illustrium ac Heroicarum Personarum constantia ac feruore, Miraculorum euidentia ac claritate, Martyrum honore ac gloria, egregiè illustrarit ac decorarit, indignum certè omnino foret, ne dicã impiũ, immẽsa huiusmodi Dei omnipotẽtis opera, ac insignia beneficia silentio tegere ac obruere, & non potius ad Diuinæ Maiestatis laudem & Ecclesiæ gloriam prædicandam ac illustrandam, literis ac scriptis ea toti mundo manifestare ac patefacere. Quamobrem cum

omnibus seculis viri reperti sint, qui de antiquissimis rerum gestarum, imprimis Patriæ suæ, monumentis ab interitu ac obliuione vindicandis ac in lucem edendis, summopere laborarint ac sategerint, eorum quoque exemplo ac instituto Parens meus Paulus Cypræus ICtus Slesuicensis commotus ac incitatus, historiam hanc Patriam Slesuicensem de ortu ac progressu Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ in Chersoneso Cimbrica conscribere atque adornare, resque illic in Ecclesia ac Politia præclarè ac insigniter gestas, maximeque admirandas ac memorabiles, tam in Slesuici ac Holsatiæ Ducatibus, quam finitimo Daniæ Regno literis tradere, ac commendare voluit. Quam historiam summo studio ac labore (conquisitis hinc inde multis ex Archiuorum arcanis, nonnullis etiam ex reconditis ac vetustissimis historiarum manuscriptarum monumentis erutis ac depromptis, diligentique inquisitione ac percontatione compertis ac intellectis) à Parente meo quasi delineatam atque inceptam, si ego vlterius pertexerem, elaborarem, atque ad exitum perducerem, Ecclesiæ non inutile, Veritatis quoque ac Antiquitatis amantissimis & studiosissimis non ingratum operæ ac laboris pretium me facturum existimaui. Adhunc laborem autem suscipiendum, negotiumque conficiendum, vt hanc historiam tandem meis sumptibus ac impensis difficili quamuis ac angusto hoc tempore, edēdam ac imprimendam curauerim, me imprimis mouit ac incitauit, quod à plurimis Doctissimis ac Clarissimis viris, quibus eius legendæ ac euolendæ copia ac facultas facta, summoperè eam expeti ac desiderari perspicerem, præsertim cum de statu ac rebus gestis Ecclesiæ Slesuicensis apud historicos parum admodum, idque sparsim ac frustillatim, nihil autem ferè quicquam

ordine,

ordine, integrè ac consummatè literis memoriæque proditum reperiatur. Hanc autem historiam, Serenissime ac Reuerendissime Princeps Elector, Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes ac Domini, Domini mei Clementissimi, quod non fuerim veritus, V.rae Serenit. ac VV.ris Celsitud. inscribere ac dedicare, ansam atq; occasionem mihi imprimis præbuit, rerum ipsarũ, quę in hoc scripto continentur, argumentum ac materia. Ostendit enim ac confirmat hæc historia pręcipuè Catholicæ Religionis ac Fidei Christianæ in Chersoneso Cimbrica ac finitimis Regionibus, Antiquitatem ac Veritatem, cuius auitæ ac antiquæ Christianæ Religionis ac fidei Vos estis Summi Antistites, Cultores amantissimi ac studiosissimi, Defensores strenui, ac Vindices acerrimi. Complectitur præterea præsens hæc historia sortem ac conditionem Ecclesiæ in his locis militantis, qualis singulis seculis, omniq́ue ætate tam prospero quam aduerso rerum statu fuerit atque extiterit: cuius dulcissimæ Matris Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ itidem Vos estis Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes ac Domini, Filij vnicè Dilectissimi ac Obsequentissimi, Præcipua ac Insignia Membra, & tam florentissima ac tranquillissima tẽpestate, Præclara eius Decora ac Ornamẽta, Illustrisima ac Splendidissima Lumina, quam iam tristissimo ac turbulentissimo hoc rerum statu, afflictissimæ (proh dolor) ac labenti Ecclesiæ, prudenti consilio ac matura deliberatione, nec non omni ope, viribus ac auxilio iterũ fulciẽdæ, subleuandæ ac erigendæ, firmissimæ Columnæ, Fulcra ac Præsidia. Commemorat porro hæc historia ordinem Episcoporum Catholicorum, in Ecclesia Slesuicensi continua serie sibi inuicem succedentium: inter huiusmodi autem, veros, synceros ac orthodoxos Catho-

tholicæ Ecclesiæ Episcopos, Vos dignissimè Eminentissimum ac Celsissimum locum ac gradum in Germania, cum summa Nominis gloria ac honore, maximo Ecclesiæ decore ac ornamento, nec minori eius fructu ac emolumento sustinetis. Continet deniq; hoc scriptũ res admirandas ac memorãdas in Ecclesia ac Politia olim gestas ac designatas, eximiasq; animi & corporis dotes ac virtutes, nõ solum Insigniũ Ecclesiæ Doctorum, Glorioſissimorum Martyrum ac Confessorum, verum etiam Sereniſsimarum ac Illustrissimarum, vereque Heroicarum personarum, Regum Daniæ, ac Ducum Slesuici ac Holsatiæ, quarum iucunda ac pia lectione ac recordatione Generosissimos Vestros animos quam maximè delectari, ex eorum innata pietate, synceroq; erga Religionem zelo ac affectu mihi persuasissimum habeo. Suscipite igitur Clementi animo, ac Serena fronte exiguũ hoc opusculũ humilimo cordis affectu, ac animo deuotissimo V.ræ Serenit ac VV.ris Celsit. oblatum ac cõsecratum, & me in Ecclesiæ gremium ac societatem iam susceptum, gratia ac clementia, fauore ac patrocinio amplecti ac prosequi ne dedignemini. Quod ipsum benignissimus Deus, ex immensa sua gratia ac misericordia, cunctis corporis animique bonis, Spiritus sui gratia, illuminatione ac gubernatione, omniq; temporali prosperitate, pacata ac tranquilla, post turbulentam hanc rerum tempestatem, Imperij administratione, ac tandem æterna felicitate ac beatitudine clementer ac abundè recompensabit. Amen.

LIBER

LIBER PRIMVS.

ANTEQVAM *rem ipsam aggrediar, non absre me facturum existimaui, si melioris rerum Ordinis ac conuenientiæ gratia, breuem & quasi compendiosam,* SERENISSIMORVM AC ILLVSTRISSIMORVM REGVM DANIÆ ET DVCVM SCLESVICENSIVM ET HOLSATIÆ *Genealogiam, partim initio præmitterem, partim continuo ordine Historiæ insererem, vt hac ratione & rerum gestarum certitudo ac veritas magis eluceſceret, & tanto cum maiori fructu & vtilitate, nec non minori tædio ac difficultate, quæ hac historia continentur, à beneuolo Lectore, memoria comprehendi possent. Quamuis itaq;* REGNVM DANIÆ *(quod hisce quatuor præcipuis ac sibi inuicem finitimis ac adiacentibus prouincijs : vtpote* IVTIA *omnium ampliſsima & copioſisſima: tum* FIONIA, *deinde* SELANDIA, *denique* SCANIA *continetur) per antiquum & vetuſtum esse, historiarum monumentis conſtet, verunt amen cum ante* GOTFRIDI REGIS *tempora, certa Regum sibi inuicem ſuccedentium ſeries ac ordo ab historicis non ſit obſeruatus, placuit igitur ab eo, (præmiſſa breuibus SS. VVILHADI & VVILLERICI vita ac rebus gestis) initium historiæ ſumere.*

VILLEHADVS Episcopus.

Anglia Villehadum peregrinas misit in oras,
Frisius & Saxo quem coluêre pij.
Sanctum mirantur Doctorem, semina verbi
Vt Christi spargit, iustificare fidem.

S.Wilhadus, natione Anglus, sub an. 755. Martyrij ardore accensus properauit in Frisiam, vbi iam S. Bonifacium purpurea Martyrij laurea inaudierat coronatum. Ingressus prouinciam spe sua excidit. Nam Deo animos hominum moderante, Frisiæ incolas, non ferreos ac sanguinarios, sed cereos, mansuetos ac disciplinæ Christianæ capaces reperit, ex quibus aliquot millia sacro fonte abluta saluatori nostro æternum peperit. Haud defuere tamen in Drenta, qui flaminis sancti malè fustibus mulctati, vitæ quoque insidiarentur. Sed cum diuina vi se cohiberi experirentur, sanctum cum suis discipulis liberum dimiserunt. Fuerat non nemo, qui caput sancti ablaturus, reliquiarum vià sancti collo suspensarum impediebatur, quo territi incolæ miraculo, aliam animis suis imbiberunt opinionem, vt liberum Wilhadum dimitterent. Sub annum verò 788. à Carolo M. in Saxoniam, borealesq; terræ partes, ablegatus S. Wilhadus, & vitæ exemplo præluxit gentibus & verbo. Nam vt optimè, ita præclarissimè de præsule nostro Breuiarium Schlesuicense ann. 1512. sub Godschalco ab Aleueldt, vltimo Schlesuicensium Catholicorum Episcopo ad VI. Id. Nouemb. editum ait; quod propter antiquitatem hic integrè subijcio;

Annuam beatissimi Wilhadi festiuitatem celebrantes, fratres charissimi, vitæ actuumque eius sumamus tractatum: qualiter viam Dei cucurrerat, vt in sanctitatis eius exemplo proficere possumus. Hic vir Dei de gente Anglorum oriundus, à pueritia sua timo-

timorem Domini induens, carismatum spiritualium donis in dies singulos augebatur.

Qui cum iam esset presbyter ordinatus, causa prædicandi gentibus verbum Dei, patriam parentesque relinquens, Frisonum adijt fines. Ibiq; doctrinæ salutari insistens, frequenter à paganis contumelias & opprobria sustinuit. Quibus non cedens, prædicationi sacræ magis ac magis insistebat.

Eodem autem tempore, glorioſus Imperator Carolus, gentem Saxonum partim ex industria sibi subiectam, hanc Christianitatis ritu instruere cupiens, hunc sanctum Dei virum ad se accersitum, honorifice susciens, eius consolationi ac doctrinæ libenter intendebat, & in his partibus eruditorem direxit.

Beatus vero Wilhadus ministerium sibi traditum, officioſissime peregit, ac transiens in circuitu per cunctam diœcesim, multos euangelizando ad fidem Christi conuertit: ita vt in secundo anno, tam Saxones quam Frisones, in circuitu commorantes, omnes se pariter fieri Christianos promitterent. Et suis precibus pacifica facta sunt omnia, & sub leui iugo Christi constituta.

Percepta vero consecratione Episcopali, cœpit in omnibus deuotius agere, & virtutum studia, quæ prius exercuerat, augmentando cumulare. Namque à primæuis temporibus, vir ille magnæ fuit continentiæ, & fideliter ac deuote omnipotenti Deo ab ætate iuuentutis seruire cœpit & feliciter florere.

Posthæc ædificauit domum mirę pulchritudinis in loco qui dicitur Brema: ibi & sedem constituit esse Episcopalem. Et dedicauit eam in honorem Domini nostri Iesu Christi: sub inuocatione sancti Petri Apostoli. Vnde contigit, vt ipse primus Ecclesiæ illius Episcopalem cathedram susciperet, multisq; in ea virtutum documentis elucens, post plurima sanctita-

tis gesta: hodierna die felici transitu migrauit ad Dominum.

VILHARIVS Episcopus.

Vicina accedens loca Cimbris. Præco Vilharus,
Idola in fanis spernere ficta monet.
Patronum templis primum dixêre vetustis.
Audax quod docuit verba sacrata Deo.

ANNO 797. S. Wilhado successit Willericus al. Wilharius Canon. Bremensis, Bremensium insula redimitus, vir omni literatura ac morum honestate præclarus, sedulus & gnauus in verbi diuini promulgatione; limitibus suæ diocœsis haud contentus, transalbiana s identidem peragrabat oras, ac rudes in cognitione diuinæ veritatis fideique Catholicæ doctrina erudiebat ac instruebat. Qui etiam Ecclesiam inter varios Danorum tumultus quinquaginta annos gubernauit ac moderatus est. Deuictis etiam Sclauis & Danis Carolus Mag. ann. regni sui XXXVII. Heridagum virum pium & sanctum Ecclesiæ præfecit Hamburgensi, quam omnibus Slauorum, Danorumque gentibus Metropolim statuere decreuerat Imperator, vt eius loci Episcopus (*Helmold.*) vicinam Danorum gentem Catholicam edoceret fidem. Sed hic immatura præuentus morte, Willerico Bremensium præsuli Euangelij promulgandi locũ dedit, qui nec suo defuit muneri, plurimosque Ecclesiæ adiunxisset, ni mox subsecuta Danorum persecutio & Euangelij retardasset promulgationem, & incrementum Ecclesiæ Hamburgensis.

GOTRICH vel GOTFRID Rex Daniæ LII.

HVius ætate GOTRICH vel GOTFRID, Rex DANIÆ LII. qui vixit tempore CAROLI MAGNI IMP. circa A. C. DCCC. Vallum Danicum vulgò

Danne-

Dennewerck, quasi dicas opus Danorum, prope Vrbem SLESVIGAM per dorsum Cimbricæ Chersonesi, ad depellendas incursiones & impetus hostiles exterorum incepit: Nordalbingis, obætritis & alijs Sclauorum populis tributo subactis, Saxones absente Carolo Mag. tributarios effecit, & Frisiam subegit. Quibus bellorum turbis ac motibus tunc ingrauescentibus, feliciſſimo Ecclesiæ auspicio & Euangelij propagationi mora ac impedimentum iniectum fuit. Cum autem Carolus Magnus Roma reuersus, vt Saxones & Frisios liberaret, in ipsum arma decreuisset, res per vtriusque Consiliarios, inter quos fuisse fertur quidam ex nobili familiâ Danicâ VHRN, (quæ etiamnũ floret) transacta est, ita vt in posterum fines Daniæ & Saxoniæ Eidora terminarentur: quod postea ab Imp. Friderico anno 1214. confirmatum, Papa Alexander IV. ratum habuit anno 1257. Tandem verò Godfridus sub ann. 810. proprij Satellitis insidijs circumuentus, ferro domesticæ fraudis interijt. Quo audito, Carolus Magnus effuso gaudio exultasse fertur, nihil eo casu fortunæ suæ iucundius obuenisse confessus, Anno Christi DCCCIX. Huius soror Geua Vitechindo Magno tori consors,

OLAVS III. Rex LIII.

OLAVS III. Rex DANIÆ LIII. Anno DCCCIX. cum Subditis bella gessit: cuius extincti corpus Collis Olaui titulo celebris prope Lethram congestus excepit. A.C.DCCCX.

HENNINGVS Rex LIV.

HENNINGVS, Gormonis Nepos, Sigfridi Filius, Olauo Patrueli succedens, Rex Daniæ LIV. cum Ludouico Imp. pacem fecit, ac fœdus iniuit iurisiurandi firmitate stabilitum. Obijt A.C.DCCCXII. alij DCCCXVI.

SIVARDVS II. Rex LV.

SIVARDVS II. dictus Ring, Rex Daniæ LV. à Scanis & Selandis electus: ob vulnus lethale à Ringone ipsi inflictum vna occubuit, A.C.DCCCXVII.

REGNERVS Rex LVI.

REGNERVS, Patre absente in pueritia electus Rex Daniæ LVI. A. C. DCCCXVIII. potentissimus, qui tamen ab excitatâ fortunâ, quæ ipsi in subiugandis regnis Sueciæ, Russiæ, Angliæ, Scotiæ, Norvvegiæ, & Hiberniæ plurimum fauit, ad inclinatam & penè iacentem desciuit: namque ab Hellâ Hiberniæ Rege captus, in carcere expirauit, serpentibus ipsum corrodentibus, A.C.DCCCXLI. Ex quatuor coniugib. XIV. suscepit liberos.

ANSGARIVS Episcopus.

ANSGARIVS *peragrat Danorum sedulus oras,*
Vt veri doceat dogmata sacra Dei.
Sed vanus labor ille fuit: nam Rege reuerso
Regnero, cultus mox redit ecce malus.
A. C. DCCGXXVI.

HARALDVS KLAGVS ob vsurpatum nomen Regium, à Regnero quater in fugam conictus. At baptizatus templum Hedebuie Slesuigæ incepit A. C. DCCCXXVII. Postea factus Apostata. Obijt anno DCCCXXXVI.

CA-

CAPVT I.

RELIGIONIS Christianæ semina, in Chersoneso Cimbrica, & Ducatu Slesuicensi, finitimisque regionibus, sub Haraldo Danorum Rege, quem Klagum nominant, sparsa esse, ex monumentis & scriptis veterum, quæ ad nos peruenerunt, colligere licet. Idque circiter annum à nato Christo, octingentesimum vigesimum sextum. Is est Haraldus, qui Regnero absente, Iutorum & Scanorum suffragijs, Rex exortus, reuerso autem eo, Regno pulsus & spoliatus fuit, cum aliquot annis quotidianis inter se prælijs contendissent; ita tamen vt omnibus partibus superior fuerit Regnerus. Quâ de causa Haraldus fugere coactus, Ludouici Primi, qui ob Religionem *Pij* cognomen inuenit, auxilium petitum, in Galliam magnis itineribus contendit, & ad Compendium peruenit, vbi eo tempore Comitia habebat Ludouicus. Cumq; de Regnero, qui & Reginfridus appellatur Lodbrog, & periculo in quo versaretur, multa questus esset, Ludouicus eum consolatus, bono animo esse, & secum Moguntiam ire iussit. Vbi conuocato Concilio, & re deliberatâ, Ludouicus Haraldum in clientelam recepit, & se eum restituturum promisit, eâ tamen lege, vt quotannis Ludouico tributum penderet, & Christianam Religionem amplecteretur: quòd diceret, inter eos non posse animorum coire concordiam, qui de Religione dissentirent. Quas conditiones cum accepisset Haraldus, Imperatore postulante, & eum de sacro fonte suscipiente, Christianorum sacris ibi apud S. Albanum initiatus, & sacro lauacro ablutus fuit, vnà cum vxore, Fratre

Erico, & viris primarijs, quos ex Daniâ secum adduxerat, & paulò post ab Imperatore multis muneribus donatus, domum per Frisiam, quâ viâ venerat, reuersus est. Addit Autmarus Imperatorem veritum, ne ob fœdus initum, & religionem susceptam Haraldus in Daniâ non ferretur, ideoq; ei Comitatum quendam in Frisiâ Ruisteum concessisse, quò se, si necessitas postularet, tanquam in asylum tuto recipere posset. Quod & Haraldus tandem facere coactus fuit, vt deinceps exponemus. Itaque Ludouicus religionis propagandæ studio, & vt promissa præstaret, Haraldo Saxones viros bellicosissimos subsidio misit: quorum ope & præsidio semina verbi Diuini in Daniâ iacta, & cultus diuinus palam haberi ac celebrari cœptus est. Sed & his fretus Haraldus in territorio Slesuicensi ædem extruere, Christoq; dicare magnis impensis & summâ curâ moliebatur, vt Saxonis verbis vtar. Quæ ego de templo Heddebuiensi accipienda existimo. Nam eius fundamenta ab Haraldo iacta esse, verisimile est, quamuis ab Erico eius Fratre id exædificatum esse omnes testentur.

Anscharius autem homo Gallus, primus eam prouinciam suscepisse, & populum rudem docuisse, ex certissimis historiarum monumentis constat. Nam eum Ludouicus subeũdo huius legationis muneri designauit, & Haraldo adiunxit, quòd is in Galliâ bonis literis & disciplinis institutus, in Corbeiensi Monasterio nouo, iussu Ludouici Pij Scholam aperuisset, & eruditionis specimen haud obscurum edidisset. Corbea autẽ, (vt hoc obiter ostendamus,) Monasterium est in Galliâ Belgicâ vel Picardiâ ad Flumen Sonam situm, & quidem inter duo oppida, sanctum Quintinum & Ambianum. Quæ ciuitas ab ambientibus aquis, quibus vndique alluirur, nomen accepit. Ambitur enim Sona flumine, quòd in varios

ibi

ibi diuiditur tubos & canales. Olim Sammarobrinam dictam existimant. Monasterium autem Corbeiam, Batildis Clodouei II. Regis Francorum vxor, mortuo marito, circiter annum 662. ædificare cœpit, & ampliſſimis prouentibus, vnde viri Religiosi ordinis Benedictini viuerent, Deoq; puro corde seruirent, locupletauit. Quod & nomen ipsum indicat. Nam Corbea linguâ Gallica idem valet, quod cor bellum vel mundum. Appellatio sanè conuenientissima & decora illis, qui Religionis amore, cœlibem vitam eligunt, & virginitatem Coniugio præferunt. Illi enim frustra corpus macerant, vbi animus & cor impurum luxuria æstuat. Sed vt ad institutum redeamus, Carolus Magnus Saxonibus deuictis & subiugatis, ad exemplum Batildis Reginæ, Monasterium nouum à fundamentis erigere, eiq; Corbeæ nomen imponere constituerat. Idq; dum viueret, animo exædificatum habebat. Sed negotijs publicis & bellis impeditus, id quod animo constituerat, effectum reddere non potuit. Adde, quòd Saxones innatam feritatem & impietatem nondum exuissent, eamque rem non magnopere vrgerent, vt qui iugo excusso sese in libertatem vendicare cupiebant. Post mortem autem autem Caroli, Ludouicus Filius, Saxonibus paulatim mitescentibus, & religione Christiana imbutis, Patris voluntatem exequi statuit. Itaque Monasterium in sylua Sollingensi inter montem altissimum Mosbergam, & amnem longum vulgò dictum, ædificare cœpit, eiq; Corbeæ nomen imposuit, appellatione à vetustâ illâ Corbeâ petitâ, quòd ex eius radice hæc pullulasset, & eius quodammodo soboles esset. Contigit hoc ipsum anno Villerici Archiepiscopi Bremensis xxxiii. teste Adamo. Triennium autem in eo ædificando consumpsit, & anno Octingentesimo decimoseptimo opus absoluit. Ludouicus cui

Religio cordi erat, ædificio perfecto, ex Corbeâ Gallicâ viros Eruditione & pietate præstantes, (religiosissimos Franciæ Monachos. Ada. cap. 15. libr. 1.) & inter alios Adelbertum & Warinum euocauit. Adelbertus ad Abbatis, Warinus ad Prioratus dignitatem euectus fuit. Scholæ autem, quam aperuerat Ludouicus, Anscharium præfecit, quem ex Galliâ acccersiuerat, circa annum Christi 817. Scholam Anscharius annos, vt minimum, nouem, magna cum laude rexit & gubernauit, iuuentuti, quæ ei in disciplinam tradita erat, vitæ sanctimoniâ & doctrinâ præeundo, vt omnibus illustre exemplum esset, pietatis & castitatis. Quin & Bibliothecam ibi instituisse, eamq; omni Auctorum & librorum genere locupletasse dicitur. Biennio autem post, anno nimirum 819. Decembris die 9. tempestate coortâ, vnà cum terræ motu, terra discessit, ita vt amnis longus qui Monasterium præterlabebatur, magna ex parte euanescceret, quicquid autem aquæ reliquum erat, rubicundo & sanguineo colore tingeretur, nec vsibus coquendi aut lauandi idoneum esset. Quibus rebus fiebat, vt locum mutare Adelbertus, Warinus, & Anscharius coacti fuerint. Cumq; eâ de re ad Ludouicum retulissent, is pro suo erga Religionem studio & amore, locum commodiorem eligendi, & Monasterium transferendi eis potestatem fecit. Ibi tum occasum versus ad ripam Visurgis fluminis, locus delectus, & Monasterium denuò à fundamentis ædificari cœptum est. Quo loco etiamnum situm est. Fuit id anno Salutis humanæ 822. vt scribit Lambertus Schafnaburgensis, quamuis Conradus Fontanus, anno 819. id factum existimet. Hæc eò prolixius persequuti sumus, vt ostenderemus, quâ occasione, quibus Auctoribus primùm Euangelium in Ducatu Slesuicensi publicatum sit, & quibus ex locis prodierint

rint illi, qui rudem & barbarum populum ab Idolomania, & Dæmonum cultu reuocarint, & Christiana Religione imbuerint, quorum omnium memoria nobis Sacrosancta, atq; honore debet esse consecrata.

Sed vt ad Anscharium reuertamur, is singulari animi fortitudine præditus, Deumq; trahentem sequutus, periculo, quod imminebat, spreto, profectionem in Daniam suscepit. Sic enim de illo memoriæ prodidit Adamus, c. 14. Cum nemo Doctorum facilè posset inueniri, qui cum illis ad Danos ire vellet, propter barbaricam crudelitatem, qua gens illa fugitur ab omnibus, S. Anscharius diuino, vt credimus, Spiritu accensus, & qui ad martyrium aliqua optabat occasione pertingere, cum socio se vltroneum obtulit Audberto &c. S. Anscharius verò, cum territorium Slesuicense attigisset, populum docere, omniaq; boni Pastoris munera exequi, eoq; rem perducere, vt Dæmonum delubra & sacraria deijcerentur, eorumque Sacerdotes sacris arcerentur. Ad ripam autem fluminis Sliæ cum baptizasse, & in æde vicinâ, quæ Heidebuia appellatur, publicè concionatum esse, remque diuinam feciſſe, memoriæ proditum est. Biennium cum Collegâ Autberto, in Daniâ commoratus est Anscharius. Et tandem in Suetiam profectus cũ Withmaro, (vbi perbenignè à Rege Biornio fuit susceptus, publicamq; Euangelij promulgandi accepit potestatem. E multis quoque Hirtgarium Bircæ oppidi præfectum Christo peperit) reliquit Gislemarum apud Regem Haraldum. Ipse in Saxoniam transfretauit. Hac legationis suæ prosperitate gauisi Corbeiani noui Apostoli; cum triumpho duarum gentium, hoc est Danorum & Sueonum, regressi sunt. Tunc Imperator cum Magnatibus S. Anschario de gentium congratulatus salute, ingentes

Chri-

Christo gratias persoluerunt. Sed fideles Christi athletæ, omnem industriæ suæ ac laboris fructum in vnum Deum retulere. Nec multò post Beatus Anscharius ad gentium salutem conuersus, nunc Danos, nunc Transalbianos visitans, innumerabilem vtriusque gentis multitudinem pertraxit ad fidem.

Sed nec diuturna fuit per Anscharium cœpta Euangelij prædicatio. Nam Regnerus Rex reuersus & validâ militum manu stipatus, Haraldum fudit fugauitque, ac Idolorum cultum intermissum instauravit. Haraldus autem qui primus religionem Christianam in Daniam intulerat, metu compulsus, rebus omnibus post habitis, profugit: & quòd in summo & perpetuo vitæ discrimine sibi viuendum esse videret, Patriâ relictâ in Frisiam, Imperatoris Ludouici iussu sese tanquam in asylum recepit, vbi etiam paulò post diem extremum clausit, & vt refert Saxo, tot tantisque calamitatibus fractus religioni valedixit.

Anno à Christo nato 832. qui est Ludouici Imperatoris 18. Imperator habito generali Sacerdotum Concilio, id quod Pater eius cœperat, ad exitum perducere cupiens, Hamburgum Metropolim constituit Danis, Suedis, & Slauis, alijsq; finitimis populis, eiq; Anscharium Archiepiscopum præfecit, quò publicatio Euangelij in omnes Nationes barbaras diuulgaretur. Consecratus autem fuit Anscharius (vt hoc obiter addam) à Dragone Episcopo Metensi, Cæsaris Fratre Germano, astantibus & fauentibus Othgario Moguntino, Ebone Rhemensi, Hetti Treuirensi, consentientibus quoque Willerico Bremensi & Helmgando Verdensi Episcopis. Quam consecrationem & authoritate sua Pontifex Gregorius IV. & pallij donatione confirmauit, postquam S. Anscharius ex Suetiâ & Dania à se conuersâ domum redijsset. Peracta hac consecratione; tam opera & studio

dio illius, quam subsequentium Episcoporum Hamburgensium, verbum Dei disseminatum est & publicatum omnibus Slauorum, Danorum siue Normannorum populis, frigusque illud Aquilonis gelidum liquefactum ac calore verbi Dei est dissolutum. Multos autem annos consumpserunt & desudarunt Episcopi ac Doctores in conuertendis populis illis, quòd errorum & Idolatriæ seges latè radices egerat, vt nec breui spatio, nec facilè exstirpari posset.

Ludouicus autem an. 837. vt Religionem contra omnes hostes fortiter tueretur ac defenderet, præsidio Saxonum & Cheruscorum, qui Herciniam syluam accolunt, expeditionem aduersus Danos suscepit, eosque inuasit. Sed illi, quod viribus impares essent, pedem retulerunt. Inde Regnerus qui ingenio erat admodum turbulento, regni cupiditate adductus, Hellam Hiberniæ Regē oppugnare cœpit, successibus prosperis, & victoriis, quas sibi pepererat, elatus. Sed non multò post Ecclesiæ hostis, iusto Dei iudicio, prophanatæ pœnas dedit religionis. Nam victus & in potestatem Hellæ perductus, nouo tormenti genere excruciatur, serpentibus nimirum eius corpori admotis, eumq; corrodentibus. Dignum Tyranno supplicium, vt qui omnes Christum professos quoad vixit, crudelissimè persequutus est. Ita Religio nascentis Ecclesiæ in his oris variè iactata & profligata fuit. vt in sequentibus capitibus prolixius de singulis quorum hic cursim breuiterque saltem mentio facta, agetur.

His temporibus tanta pluuiarum copia exstitit, vt frumenta propter nimiam aëris humiditatem in agris interierint; sed & pestis sæuire cœpit, quæ magnam hominum & pecoris multitudinem absumpsit.

* *
*

CA-

CAPVT II.

SIVARDVS III. *Rex Daniæ* LVII. *cum Danis prope Slesuicum apud Selker molam prælium commisit, vti adhuc colles indicio sunt, Et is apud quem belligeratum est Sinus, Siuardi funere inclaruit, dictus Siuersund vel Siuershafen.* Obijt anno 846.

REGNERVS è medio sublatus, Filium reliquit Siuardum, qui eo tempore, quo Pater è viuis excessit, peregrè profectus erat. Dani moram pertæsi, duos è stirpe Regiâ, Siuardum nimirum & Ericum elegerunt, qui Regni administrationem & gubernacula susciperent. Quibus rebus commoti filij Regneri, Biornus, Siuardus, & Iuarus, classe nauium mille & septingentarum, eos qui Regno præfecti essent, bello persequi statuunt. Quos in proximo Vrbis Slesuicensis adorti, semestri pugnâ deleuêre. In quo prælio Siuardus occubuit. Colles locum indicant, vbi conflixerunt, nec minus is apud quem pugnatum est, Sinus, Siuardi funere inclaruit, Saxone teste. Sinus autem ille, cuius Saxo meminit, is est, qui vulgò die Wick appellatur, vnde & Vrbs Slesuicum nomen accepit, daß die Slie alda hinein weichet / id est, quod Slia fluuius sese in illum locum insinuat. Nam & sinus maris, seu partes litorum, propter excursus maris, incuruæ, à nautis nostris ein Wick nominantur. Et Saxo libr. 7. portum Herwig / Latinè Exercituum sinum interpretatur his verbis. Hako in portum, qui Daniæ Herwig / Latinè Exercituum sinus dicitur, classe collatâ, militem exponit, *&c.* Ita & Sinus Sliæ ab æde Heidebuiensi initium capiens in meridiem vergit, & litus incuruum efficit. Atque ibi pugnatum esse, indicio sunt colles, qui adhuc ad pagum & molam

Selkam

Selkam in monte, vbi Sinus desinit, conspiciuntur. (Inciderunt autem hæc circa annum Christi, octingentesimum vigesimum octauum, plus minus.) Nisi quis verba Saxonis de collibus vel tumulis, qui euntibus ad sancti Georgij & Brekelingam, viâ illâ tritâ, quæ in Angliam ducit, sese offerunt, accipienda esse existimet. Quorum magnus est numerus in territorio Slesuicensi, & extra territorium. Nam & populares nostri, ad exemplum Græcorum & Romanorum, (qui ex lege XII. Tabularum cadauera ex Vrbibus efferebant, & secus vias publicas & militares sepeliebant: Cambden.) antequam Religione Christianâ imbuti essent, iniectâ glebâ & terrâ tumulis, mortuos humarunt, & quidem in campis patentibus. Quos Latini Tumulos dixere quasi Terrâ tumentes. Quò spectat versus,

Quò magis est æquum tumulis mandare peremptos,

Id quoque liquet ex monumento Gormonis Regis Daniæ, quod vir Illustris Henricus Ranzouius μακάριτης, quondam Vicarius Regius, æri incidi, & suis libris inseri curauit. Et quidem Danos hunc quoque morem vsurpasse, cumque Pyramides ac Obeliscos exstruere non potuerint, olim in memoriam Regum ac Heroum suorum, ex terra coaceruatâ, ingentes moles, montium instar eminentes, statuisse, credibile omnino ac probabile est. Atque illis adeò in locis vt plurimum, quò sæpè homines commearent aut iter haberent, vt in vijs publicis: quò posteritati memoriam clarissimorum virorum consecrarent, & quodammodo immortalitati mandarent. In eum finem, ad monumentum Gormonis, fontem funditus è Saxis exstructum, ex quo indies aqua à circumiacentibus populis hauriatur, itidem fit verisimile. Et ne quis hoc temerè à me dictum existimet, eius rei argumenta & indicia complura à me proferri possunt, quæ in mea tempora inciderunt.

An-

Anno item 1554. in tumulo Vrbi nostræ vicino inuentus fuit pugio duas spithamas longus ex ære vel Cupro fusus. Sagitta item ærea, & alia instrumenta bellica. Quin & calcar æreum viro forti & bellicoso, & fusum Matronæ sedulæ veteres apposuisse constat, vt indicio sunt calcar æreum & fusus Cupreus in huiusmodi tumulis inuenta mihique exhibita, quæ penes me exstant, & ab hæredibus meis adseruantur. Sed & ossa humana complura semiusta, eodem in loco defossa fuerunt. Quin ex tumulo quodam prope Villam Tuetam sito, vrnæ complures vnà cum ossibus vstulatis mihi exhibitæ fuerunt, eâ occasione inuentæ, quòd viæ sternendæ arena è monte egereretur. Quibus ego adductus, montem conscendi, spathisque admotis, vrnas vnà cum ossibus eruendas curaui: quibus adeò abundabat collis, vt vix pedem alicubi poneres, aut spatham imprimeres, quin vrnarum & ossium reliquiæ sese exhiberent, & terrâ contectæ detegerentur. Huc accedit, quòd colles & tumuli, qui vbique obuij sunt, lapidibus & saxis ingentibus circumcirca septi & redimiti sunt: quod & ipsum magno argumento est, ibi corpora sepulturæ tradita & colles busta esse. In humandis enim corporibus eum morem etiam Græcos seruasse, non obscurè indicat Homerus, qui ΙΛΙΑΔΟΣ Ω. de Hectoris sepulturâ verba faciens ita inquit:

Εννῆμαρ μὲν τοί γε ἀγίνεον ἀσπερχὲς ὅμιλος.
Ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη φαεσίμβροτος ἠώς,
καὶ τότ' ἄρ' ἐξέφερον θρασὺν Ἕκτορα δακρυχέοντες.
στὰν δὲ πυρὴν ὑπάτην νεκρὸν θέσαν, εἰν δ' ἔβαλον πῦρ.
Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
τὴμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κλυτὸν Ἕκτορος ἐγρετο λαός.
Αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο,
πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἰθοπι οἴνῳ
πᾶσαν, ὁπόσσον ἔπεσχε πυρὸς μένος· αὐτὰρ ἔπειτα

O'sée

Ὀ'ςέα λευκὰ λέγοντο κάσιγνητοι, ἔταροί τε
Μυρόμενοι, ἀλερὸν δὲ κατείβετο δάκρυ παρειῶν.
καὶ τά γε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες,
πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν.
Αἶψα δ' ἄρ' ἐς κοίλην κάπετον θέσαν· αὐτὰρ ὕπερθε
πυκνοῖσιν λάεσσι κατεςόρεσσαν μεγάλοισι,

Nouem dies quidem hi adducebant immensam materiam:
Ast cum iam decima apparuit lucens mortalibus aurora,
Tunc extulerunt audacem Hectora lachrymas fundentes,
Pyræq; summæ cadauer imposuerunt, iniecerunt q; ignem.
Quando autem mane genita apparuit roseis digitis aurora,
Tunc circum pyram inclyti Hectoris congregatus est populus:
Sed postquam congregati sunt, collectiq; fuerunt:
Primum quidem pyram exstinxerunt nigro vino
Totam, quantum occuparat ignis robur: at deinde
Ossa alba collegerunt fratres socijq;
Lugentes: teneræ autem destillabant lachrymæ per genas;
Et hæc auream in vrnam posuerunt sumentes,
Purpureis peplis obtegentes mollibus:
Mox autem in concauam fossam posuerunt, at desuper
Crebris lapidibus obfirmarunt magnis.

Anno quoque 1588. cum via illa salebrosa, quæ ab vrbe Slesuicensi in Angliam ducit, sterneretur; & ex colle Vicino terra & arena egereretur, fornax terrâ cooperta instar furni eruta fuit, saxis & lateribus concamerata, in quâ vrnæ aliquot fictiles, plenæ ossibus & cineribus continebantur. Ossa autem igne siccata, vstulata & indurata fuisse, color & durities non obscurè indicabat.

Atque id genus tumulos vbique locorum videre licet, saxis maximis circumdatos; vt eâ de re nemo dubitare possit.

***

CAPVT III.

ERICVS I. *cum seditiosis in Patriam irruens, & Regnum occupans, cum regnasset 36. annos, à Guttormo trucidatur. Fuit Rex Daniæ 58. Templum Slesvurgæ ædificare cœpit.* A.C. 847.

ERICVS II. *Puer, Rex Daniæ 59.* A.C.856. *post Consanguineorum iacturam, initio Imperij Christianos Regno expulit; verum ab Anschario conuersus, templa Slesuicense & Ripense exædificauit & fundauit,* A.C.850. *(alij 847.) & tàm clementem se præstitit in excolenda Religione, quàm se crudelem exhibuerat in aspernanda. Hamburgensis Ecclesia Bremensi coniuncta est,* Anno Dom.858.

SIVARDO ad sinum Sliæ propè Selcam pagum interempto, Regnum Daniæ Erico, Filio Siuardi, Nepoti Regneri delatum, Ericus Haraldi Regis Frater, omnium suffragijs occupauit nemine resistente, eò, quòd Ericus adhuc puer esset. Quod tamen exiguo tempore obtinuit. Nam à Guttormo Fratris Filio, cæsus Ericus Senior, & regno spoliatus fuit. Quo exstincto, Ericus, Filius Siuardi, in Regnum, quo priuatus erat, restitutus est, & Guttormi, hoc est eius, qui Ericum Seniorem interemit, filiam, in vxorem duxit. Tantâ cæde vtrique mactati sunt, vt vulgus omne caderet. De stirpe autem Regiâ nemo omnium remaneret, præter iam dictum Ericum iuniorem. Ab Erico etiam templum Slesuicense, primum omnium in Septentrionalibus hisce oris erectum esse, omnes vno ore testantur. Sed cum duo fuerint Erici Reges vnius nominis, qui eâ tempestate regnarent, nimirum Ericus Frater Haraldi Klagi senior, qui sceptrum Erico iuniori

niori delatum, in se transtulit; & Ericus filius Siuardi. qui Erico interempto successit, & puer dictus fuit, dubitatur, vter eorum Templum Slesuicense & Ripense erigendum curauerit. Helmoldus *libr.* 1. *cap.* 5. Vnum & eundem Regem id mandasse scribit: sed tamen nomine suppresso. Est autem extra Controuersiam eum Ericum appellatum fuisse. Vnde efficitur, Helmoldum de Erico puero loqui, quem constat Ecclesiam Ripensem fundasse. Deinde antiquæ Schedulæ, quæ apud me exstant, disertis verbis testantur, Ecclesiam Slesuicensem omnium Aquilonarium Ecclesiarum antiquissimam, anno Domini 850. Imperante Ludouico II. ac regnante in Dania Erico Sifridi filio, sub Anschario fundatam esse. Quamuis ex alia æra, id anno 847. factum esse consentiant omnes. Idem etiam memoriæ quoque prodidit Crantzius, nimirum à Sifridi filio Erico, primum templum in regionibus hisce aquilonaribus erectum esse. Huc accedit, quòd Helmoldus expressè notat, Regem gentilem facultatem fecisse Anschario, Ecclesias erigendi Slesuici & Ripis. Ericus autem senior, Frater Haraldi, Christianus fuit, Moguntiæ vnà cum Haraldo baptizatus, vt M. Adamus cap. 15. Abbas Stadensis, & alij recentiores hos sequuti, nullo reclamante, testantur. Vnde adhuc dicendum videtur, Ericum puerum, Ecclesias istas erigendas curauisse. Quod & Saxo non obscurè innuere videtur, qui Anscharium primum in Daniam, Erico puero regnante, venisse scribit, eumque conuertisse, lib. 9. Itaque res scrupulo non caret. Sed tamen si quid M. Adamo, & Alberto Abbati Stadensi tribuendum est, verisimile est, Ecclesiam Slesuicensem ab Erico Seniore, Ripensem ab Erico Iuniore vel puero fundatam esse. Idque expressè tradidit Adamus, vt videre licet cap. 25. & 28. lib. 1. Et credibile est, Ericum Seniorem qui Moguntiæ

baptizatus erat, in Patriam reducem factum, animum ad Religionem & Ecclesias erigendas adiecisse, & ædem, quam in territorio Slesuicensi Frater eius Haraldus animo exædificatam habebat, exstruendam curasse. Sed hic rursus nobis occurritur, quod idem Adamus scribit: Ericum Seniorem ab Anschario sacris Christianorum fuisse imbutum, qui tamen omnium testimonio, Moguntiæ, Christianorum Sacris initiatus erat. Itaque neque rectè dici, neque defendi posse, eum (verbis vtor Adami,) ab Anschario Christianum redditum. Nisi hæc verba ita accipere velimus, eum quidem baptizatum Moguntiæ, sed ab Anschario, Christianæ Religionis præceptis postea informatum & imbutum fuisse. Sed in re dubia, aliis latius inquirendi locum relinquimus. In portu autem maritimo, templum iussu Erici erectum esse ad Vrbem Slesuicum, scribit Adamus, Quod ego de templo Heidebuiensi accipiendum existimo. Nam id omnium antiquissimum esse, vulgò fertur, & ad lacum Sliam in portu maritimo, cuius adhuc vestigia reliqua sunt, ædificatum fuit. Eius fundamenta Haraldus Rex primus iecit, vt supra notauimus ex Saxone. Ericus autem senior Frater Haraldi, vbi regnum obtinuit, exædificari iussit. Quod & ipsum argumento est, Ericum Fratrem Haraldi, Ecclesiam primam Slesuici erexisse à Fratre inchoatam. In eo autem templo, Anscharium populum docuisse ac palam concionatum esse, sacraque peregisse, & in lacu Sliâ baptizasse, memoriæ proditum est. Sed & Ericus potestatem dedit omnibus, qui vellent, Religionem Christianam amplectendi. Magna igitur gentilium multitudo Christo nomen dedit, & conuersa est. Inter quos multi aquâ baptismatis abluti, à corporis etiam morbo, quo detinebantur, liberati, vnde etiam posterioribus annis Templi Patronus vulgo no-

go nominatus ac habitus fuit Anscharius. *Stadens.*

Erico Seniore è medio sublato succeſſit Ericus Siuardi filius iuuenis & penè puer. Qua de causâ & puer cognominatus est. Is ardore iuuenili, singulari quodam odio Christianos persequi, res religiosas deprædari, & Christum professos exitio mulctare cœpit, tum etiam Ecclesias claudi præcepit, (vt author est Albert. Stadens. f. 92.) Sed & Dani viribus & virtute, quâ reliquis præstabant, freti, (Et quòd Rex puer esset) primùm Sclauos, deinde Fresones aggressi, in suam ditionem potestatemque redegerunt, & tributum pendere coegerunt. Classe instructa piraticam fecerunt, Rheno flumine delati Coloniam obsederunt, ad Albim regressi Hamburgum solo æquarunt & exciderunt. Templa, clauſtra, bibliotheca summo studio collecta incendio perierunt. Quin & Nordalbingiorum prouinciam, hoc est, quicquid inter Albim & Eidoram agrorum erat, vastarunt, ac Saxonibus metum maximum incusserunt. S. Anscharius cum reliquijs Martyrum vix nudus euasit. Alijq; Sacerdotes, qui subeundo legationis, prædicationis, atque inspectionis in Daniâ muneri destinati erant, dissipati ac profligati, solum vertere coacti fuerunt, quòd Hamburgo exciso eis amplius ibi commorandi facultas non daretur. Quo tempore Anscharius Hamburgo sese Ramsolam recipere, & fuga mortem vitare coactus fuit: multi quoque Religionis causa in Ebberstorpio occubuerunt. Quod late Crantzius alijq; persecuti sunt. Quamuis in notatione temporis, quo anno propriè hæc persecutio contigerit, Authores nonnihil varient. Horum itaq; vicem miseratus Ludouicus II. quò ruinam & damna Ecclesiæ illata aliquo pacto sarciret, Hamburgensem Ecclesiam Bremensi, quæ tunc Episcopo vacabat, copulauit & coniunxit, vt vtraque in vnum cor-

pus coalesceret, nec deinceps duæ essent Ecclesiæ separatæ & diuersæ, sed vna Metropolitana, & quidem Bremensis. Causas huius vnionis & consilij has adferunt. Quod cum vtraque Ecclesia in summo discrimine versaretur, altera alteri annexa & vnita, viribus coniunctis, facilius hostium vim sustinere, & propulsare impetum posset, quam si separatæ manerent & disiunctæ. Deinde quòd sacris Canonibus cautum esset, vt quoties Episcopus Diœcesi suâ pelleretur, in vicinam vacantem, exul & profugus reciperetur. Quod tamen tantum abest, vt Anscharius vrserit, vt etiam Cæsari diu restiterit, veritus, ne inuidiâ ducti Christianorum animi offenderentur. Imò, eâ lege in hanc rem consensit, si ea mutatio sine iniuriâ & querelâ fratrum fieri posset. Postremò, satius esse putabatur, Ecclesiam Hamburgensem Bremensi annectere, propter imminentem hostem vicinum, Danum scilicet, & maris propinquitatem: & quòd Brema in loco tutiori, vt in regione mediterraneâ, & Saxoniæ meditullio sita esset, neque tam facile oppugnari posset. Ita Ecclesia Hamburgensis, Bremensi annexa & conglutinata fuit, & cum eâ in vnum corpus coaluit, Bremamque translata fuit. De qua arctissima & suauissima vnione & connectione harum duarum Ecclesiarum, Adamus antiquus historicus, his verbis testatur libr. 1. Chron. c. 27. *Interea quæstio magna surrexit, in Regno Francorum, de Bremensi Episcopatu ad inuidiam S. Anscharij conflata. Ea contentio, dire per Regnum, graui & ancipiti dissensione profligata, multis partium studiis, collidebatur. Tandem, Orthodoxus Cæsar Ludouicus, compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharij Colonienſis Archiepiscopi, cuius suffraganea prius erat Brema, super his Romam direxit, ad sanctissimum Nicolaum Papam. Ille, quod Ecclesiastica necessitas persuasit, & quod Patrum Conciliis fieri posse, comprobatum*

est,

est, facile consensit. Ergo Bremensem & Hamburgensem Episcopatum, auctoritate Apostolica copulari, & deinceps sanxit pro vno haberi. Cuius rei priuilegia, diligenter asseruantur, in Bremensi Ecclesia: quibus etiam additum est, quod idem Papa Nicolaus, tam ipsum Anscharium, quam successores eius, Legatos & Vicarios Apostolicæ sedis constituit, in omnibus gentibus Danorum, Suenonum, & Slauorum. Quod & antea Gregorius Papa contesit. Igitur Bremensis & Hamburgensis Parochiæ adunatio, facta est vltimo tempore Anscharij. Vitæ annum non ponit, præceptum autem Regis ponit annum 21. Priuilegium Papæ notat: annum Domini DCCCLVIII. *qui est ab ordinatione Archiepiscopi 39.* Hæc illic; Extant quoque clarissimæ ac euidentissimæ literæ Apostolicæ, Nicolai Pontificis, apud Crantzium Sax.lib.1.c.38. quæ huic rei fidem faciunt, quarum est Exordium. *Quisquis Dominum.* quæ inter cætera ita habent. *Annuente, ac solemnia sedis Apostolicæ priuilegia præbente, prædecessore nostro, Beatæ memoriæ, Papa Gregorio, cuius etiam authoritate in supra dicto Nordalbingorum populo, sedes constituta est Archiepiscopalis, in Castello superius memorato Hamaburg, & in eadem quoque æde, Archiepiscopus, accepto à sede Apostolica pallio, primus est ordinatus Anscharius. Cui à præfato Pontifice, delegata est cura, seminandi Verbum Dei, & animas lucrandi. Cuius delegationis, & auctoritatis, & pallij acceptionis pagina, nobis est à præfato filio nostro, Ludouico Rege, per iam dictum Salomonem, sanctissimum Episcopum destinata, iuxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata: per cuius paginæ tenorem hæc ita fuisse comperimus sicut pietas præfati Regis, per fidelem virum, Salomonem scilicet Episcopum intimauit. Vnde nos, vestigia tanti Pontificis & prædecessoris nostri, Gregorij sequentes, omnemq; ibi statutam prouidentiam Deo dignam agnoscentes: Magnorum Principum votum, Ludouici scilicet Diuinæ recordationis, & æquiuoci eius filij, Excellentissimi Regis, tam huius Apostolicæ auctoritatis præcepto, quam*

etiam pallij donatione, more Prædecessorum nostrorum roborare decreuimus, quatenus tanta fundatus auctoritate, prænominatus Anscharius, primus Nordalbingorum Archiepiscopus, & post ipsum successores eius lucrandis plebibus insistentes, aduersus tentamenta Diaboli validiores existant, ipsumq; filium nostrum iam dictum Anscharium in omnibus circumquaque gentibus Suenonum siue Danorum, nec non etiam Slauorum, vel etiam vbicunque illis in partibus constitutis diuina pietas ostium aperuerit, publicam euangelizare tribuimus auctoritatem, ipsamq; sedem Nordalbingorum Hamaburg dictam, in honorem sancti Saluatoris, atque intemeratæ Genetricis semper Virginis Mariæ consecratam, Archiepiscopalem esse decernimus, &c. In fine autem scriptum, *Data pridie Kalend. Iunij per manus Tiberij primicerij Sanctæ sedis Apostolicæ.* Addit Cæsar Baronius Annal. Eccles. tom. 10. pag. 171. hanc admonitionem. *Videant ergo & considerent modo Dani, Suenones & alij circumpositi populi, vnde acceperint Euangelium, nempe à sede Apostolica, per Gregorium atque Nicolaum sanctiss. Pontifices Anscharioque traditum, & quanta benedictione in animarum prouentum, & operatione virtutum, in ostensione signorum. Quod bene plantatum & cœlitus irrigatum (proh scelus) nouatores suffoderunt temporibus nostris. Quis Anscharioque sanctior vel sapientior, aut miraculorum editione sublimior suasit hoc vobis, vel à quo missus, & quibus est notis eius pseudoapostolatus expressus. Videant & confundantur zelantes populi.* Post hanc arctissimam & firmissimam duarum harum Hamburgensis ac Bremensis Ecclesiarum vnionem ac coniunctionem, vtriusque administrationem & curam quoque suscepit Anscharius, postquam Ecclesiam Hamburgensem annos sedecim rexisset. Idq;, vt diximus de consilio Imper. Ludouici secundi, Ludouici primi filij, patri & nomine & pietate similis, & Nicolai Pontificis authoritate, & confirmatione. Introductus est autem ab Abderico Clerico

& Re-

& Regimboldo Legatis Cæsaris in Episcopatum Bremensem. Præterea Nicolaus Papa Anscharium & Successores eius, Legatos & Vicarios Apostolicæ sedis constituit in Dania, Suetia, & Slauonia, quod etiam antea Gregorius Papa decreuerat. Anscharius vero, postquam ei cura & inspectio Ecclesiarum Aquilonarium à Papa Nicolao & Cæsare commissa ac demandata erat, nihil his motus tumultibus, munus suum diligentissimè exsequutus est, docendo, sacris peragendis ac peregrinando. Quo in officio, vt Deũ sibi experiretur magis propitium, interdiu noctuque aspero sane cilicio corpus suum domabat, vt habet Breuiar. Slesuicense ante centum annos editum. Ad Regem Daniæ Ericum iuniorem, à Cæsare Legatus missus, vt de rebus ad commodum Ecclesiarum, & vtriusque regni spectantibus tractaret, effecit diuina comitante gratia, vt mirabili metamorphosi ex hoste Christi crudelissimo Ericus factus sit religiosissimus, & Christianorum defensor maximus. Cuius rei argumentum est certissimum, ac euidentissimum, quod literis & diplomatibus publicis testatum fecerit, se Christianũ esse, & quod omnibus Religionem Christianam amplectendi facultatem concesserit, & ne quis baptismum suscipere volentes impediret, prohibuerit, suisque omnibus, vt Christiani fierent, per Edictum mandarit. Ita paulatim Religio Christiana in his oris exposa & profligata, Erici benignitate restituta est; & Sacerdotes Ordinis D. Benedicti ex locis vicinis, qui populum docerent, accersiti fuerunt. Sed & iussu Erici iunioris, octo post annis, in parte Iutiæ Australis fundata & exstructa fuit Ecclesia Ripensis, ad portum alium Regni, sub Episcopo Bremensi Remberto anno 860. vel circiter, quam secundam in Dania Ecclesiam nominat Adamus Bremensis, & Abbas Stadensis. Quam Ec-

clesiam B. Anscharius Remberto Presbytero commendauit, ipso interea aliò proficiscente, & Ecclesias fidei suæ commissas, indefesso studio ac diligentia, visitante ac frequentante. vt Adamus commemorat sequentibus.

His Ecclesiastico ordine compositis, Beatus Pater noster, Ecclesiam illam (Ripensem scilicet) Remberto commendauit presbytero, & reuersus est ad Hamaburg, vbi de venditione Christianorum Nordalbingos correxit: inde Fresos adiens, castigauit eos pro labore Dominici diei: pertinacius vero agentes, igne cœlesti mulctauit: & alia quæ antiquis miraculis non imparia leguntur in vita eius. Et quoniam totum studium eius erat, pro salute animarum, si quando à prædicatione Gentilium foris liber erat, domi congregationum suarum curam egit: quarum primam, quò ab Hamaburg olim barbarica incursione depulsa est, ipse (vt prædiximus) ad Ramsolas transtulit: Secundam in Bremis habuit sanctorum Virorum, qui habitu quidem vsi Canonico, regula viuebant monastica, vsque ad nostri ferè temporis ætatem. Tertiam sanctarum Virginum congregationem in Luximon adunauit: vbi deuota Christi matrona, totum patrimonium suum offerens cœlesti sponso, magnum Chorum castitatis suo Ducatu nutriuit. Ad curam autem pauperum, & susceptionem peregrinorum, multis locis hospitalia præparauit. Vnum autem, quod præcipuum habuit Bremæ, vbi per seipsum quotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare, quorum plurimos dicitur verbo vel tactu sanasse. Ipse trunstulit corpus S. Vvilhadi in matricem Ecclesiam B. Petri Apostoli, ab illo australi Oratorio, quo deportatum est à Vvillerico. Et hinc facta sunt miracula, quæ per merita S. Vvillehadi populo ostensa sunt, ab anno Domini octingentesimo sexagesimo primo, qui est ab ordinatione Episcopi trigesimus. Ipse enim qui transtulit vitam & miracula eius singulis libris comprehendit, &c. Hæc Adamus: Presbyter quidam Bremensis Diœcesis historiam Helmoldi continuans (quæ breui

à me

à me in lucem quoque prodibit. (hactenus quod ego quidem ſciam non impreſſa) de Anſchario quoque inter alia memorat. *S. Anſcharius, Bremenſem Eccleſiam & Hamburgenſem ſimul rexit, & prope Idzehoe, in terra Holſatiæ in Vvelna, paruum oratorium, in honorem ſancti Sixti, cuius caput ſemper ſecum deferebat, conſecrauit. Vbi cum aliquibus Monachis aliquando propter ſerenitatem loci ad contemplandum ſolebat reſidere. Et legitur in legenda eius, quod cum communiter in pane & aqua ſolebat carnem ſubigere, ibidem vna dierum aqua fuerit in vinum conuerſa. Et fons vbi illa aqua extracta fuit, hodierno die dicitur fons ſanctus.*

Tandem verò, Magnus ille Danorum & Suenonum Apoſtolus, S. Anſcharius vitę huius munere perfunctus, pie ac placide in ſuo ſaluatore obdormiuit, vt itidem Adamus, tam vitæ eius curriculum, quã beatum hinc diſceſſum, breuiter & ſuccincte complexus eſt. libr. 1. c. 31. *Interea B. Anſcharius, captiuos redimendo, tribulatos refouendo, erudiendo Domeſticos, barbaris euangelizando, foris Apoſtolus, intus Monachus, nunquam legitur ocioſus, nec ſolum erga ſuos, verum etiam alienos, quomodo viuerent, ſollicitus, Epiſcopos etiam tam voce, quam literis, vt vigilarent ſuper Dominicum gregem, hos arguit, illos obſecrauit: at vero Regibus Romanorum pro ſua legatione, Regibus Danorum pro Chriſtiana fide, crebro mandauit. Extant Epiſtolæ eius plures huiuſmodi: vnam vero quam ſcribit omnibus Epiſcopis de legatione ſua, quam ab Ebbone orſam aſſerit, ita claudit. Deprecor inquit, vt apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio, creſcere & fructificare mereatur in Domino: iam enim Deo propitio, & apud Danos & apud Suenones, fundata eſt Eccleſia Chriſti, & ſacerdotes abſque prohibitione, proprio funguntur officio. Omnipotens Deus, faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes, & in cœleſti gloria cohæredes. Superuixit autem, poſt illam plenariam Hamburg & Bremæ copulationem, annos ſeptem. Se-*

dit

dit annos omnes triginta quatuor. Cuius depositio summa veneratione colitur tertio Nonas Februarij. Obijt anno Domini octingentesimo sexagesimo quinto, indictione decima tertia, qui est Ludouici II. XXVI. sepultus est in Basilica S. Petri ante altare sanctæ Genitricis Mariæ.

CAPVT IV.

CANVTVS I. *Rex Daniæ 60. cuius administratores Germaniam Normaniam vsque, quæ inde nomen traxit, inuaserunt, qui tamen ab Arnolpho Imp. repulsi sunt: interim Hamburgum depopulantur. Hic verò hoc vno deflendus, quòd absque religione Christiana obijt.* A. C. 873. *qui alias ex desperato adolescente autor euaserat insperatæ probitatis.*

REMBERTVS Episcopus.

Christicolas veniens Slesuicum, carcere clausos
Fœdo, REMBERTVS *liberat ære sacer.*
Hortaturq́, crucem reliquos vt tollere discant,
Discipulos Christi nam mala ferre decet.

A. C. 865.

REMBERTVS itaq́; S. Anscharij successor, in Monasterio Galliæ Thuronensi quod ex liberalitate Cæsaris adeptus erat Anscharius à teneris educatus, vixit in contubernio fratrum, ibidemq́; singulari pietate, eruditione, vitæ sanctimonia morumq́; grauitate ac modestia tantopere eminuit, vt pro singulari amore quo eum amplecteretur, eximiaq́; spe ac opinione quam de eo conceperat, eum sibi filium adoptaret Anscharius, filijq́; loco haberet ac amaret. Thuronensem scholam aliquot annos summa cum laude, nec minori fructu ac vtilitate auditorum rexit ac gubernauit, ab Anschario eo missus, vt qui eum à teneris educas-

set

set & instituisset. Quod munus cum diligenter ac fideliter Thuronæ in erudienda iuuentute aliquot annos administrasset, de consilio Anscharij, Scholæ Corbeiensis Rector fuit designatus ac constitutus. Tandem sacris initiatus, Ripam in Iutiam ab Anschario missus ac ablegatus fuit, vt ibi Ecclesiam regeret, verbum Dei doceret, ac sacris Christianorum rudium animos imbueret. Qui etiam de vita Anscharij libellum conscripsit, quem fratribus Corbeæ nouæ dedicauit. Anschario autem defuncto sub annum 865. III. Non. Febr. Indictione XIII. Bremam vocatus, atque Episcopus creatus fuit, quod Anscharius diuino Spiritu afflatus, sæpe prædixerat, ipsum suæ virtutis æmulum fore & in Cathedra Pontificali successorem: creationem eius Pontifex, & Cæsar Ludouicus approbarunt. Ecclesiæ præfuit Rembertus magna cum laude annos nouendecim, eamque Diuini verbi prædicatione sacrorumq; administratione insigniter propagauit ac locupletauit. Sed & vicinas finitimasq; gentes religione Christianâ imbuit, captiuos vbique redemit ac vinculis liberauit, (*Remberti Episcopi temporibus circiter annum 865. Sigfridus cum fratre Haldano in Dania regnarunt. Hi munera Ludouico Cæsari miserunt gladium scilicet capulotenus aureum & alia præterea, pacem rogantes, missisq; vtrimq; ad Egdoram fluuiũ legatis & mediatoribus, pacem firmam ritu gentis per arma iurarunt. Erant alij Reges Danorum, qui piraticis excursionibus eo tempore Galliam vexabant. Horum præcipui erant, Horig, Ordvvig, Godefrid, Rodulf, & Inguar Tyranni. Crudelissimus autem omnium erat Inguar, qui Christianos vbique per supplicia necauit.* Abbas Stadens. fol. 94.

ERICO autem rebus humanis sublato, Ecclesia, nouas subinde calamitates perpessa est, quod Cnuto Erici filius, religioni infensus, Christianos vndique per-

persequeretur. Neque in Dania tantùm, sed & in locis remotioribus. Interea tamen Rembertus, feruentibus huiusmodi turbis ac persecutionibus, nunquam destitit monendo & prædicando verbum Dei propagare. Nam, qui S. Ansgarium in Suetiam & Daniam olim sequutus, comes laborũ & periculorum fuerat, diuinæ veritatis, religionisq; Catholicæ propagandæ ac defendendæ causa, nihil non subire paratus erat. Is cùm forte fortuna in Daniam iter suscepisset, & Slesuicum venisset, vbi Ecclesiam nouellæ Christianitati constructam habebat, vt quo in statu res Ecclesiæ essent, cognosceret, incidit in multitudinem Christianorum, qui catenis duriter vincti, ad fluuiũ Sliam submergendi trahebantur; Rembertus oratione blandâ eos, qui captiuos ducebant, permulcens, de liberatione agere cœpit. Quos vbi precibus non flecti animaduertit, precio captiuos redimere statuit. Quam conditionem Slesuicenses acceptarunt. Sed cùm pecunia illi non suppeteret, equo, quo vehebatur, & χειμηλίοις Ecclesiæ, quæ secum tulerat, datis, illos redemit, ipsaq; altaris vasa non dubitauit impendere, quòd diceret melius esse animas Domino, quam aurum seruare. Quam rem & miraculo claram & illustrem fecit. Nam catenæ & lora, quibus colligati erant Christiani, sponte dissilierunt ac dissoluta sunt, postquàm preces ad Deum fudisset Rembertus. Obijt autem Rembertus anno ab Incarnatione Domini 888. Bremæ sepultus.

Cnvtoni a. *(vt ad eum reuertamur)* cũ adhuc per ætatem regnũ administrare non posset, initio Curatores dati fuerunt, Godefridus & Sigefridus. Hi cum accepissent, Carolum Caluum bello contra Saracenos distineri, bellandi cupidi, genti suę persuaserunt; vt de finibus suis cum omnibus copijs exirent, & finitimas, aliasq; regiones inuaderent: perfacile esse cum re nauali

uali & multitudine præstarent, totius Germaniæ imperio potiri. Id hoc facilius eis, quòd Imperium Francorum, post tempora Ludouici, bellis debilitatum, misereque laceratum ac diuulsum esset. Classe igitur ingenti instructa ac armata, Rheno flumine vecti, Coloniam primum, Ambianos, Atrebatum, Cameracum, Menapios & Brabantinos inuadunt, eorumque agros & fines depopulantur. Inde vlterius progressi, Leodicum, Traiectum, Tungros & Treuiros vrbes incendunt, & diripiunt. Palatium regium Aquisgrani, amplissimum & elegantissimum in Equile conuertunt. Ligerim ingressi, Thurones oppugnant, & per Sequanam Parisios obsident, templisq; & monasterijs dirutis & prostratis, magnam hominum stragem edunt.

De quo immani ac nefando Danorum furore, ac Nortmannorum rabie ac sæuitia, Aimon. in historia de translatione & miraculis S. Germani Episcopi ita scribit: prout hæc verba in Annal. Baronij ad annum 845. recensentur ac cõmemorantur. *Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quadragesimo sexto, Regis item præcellentißimi Caroli sexto, cum Regnum Francorum post obitum Ludouici Imperatoris, varias diuisum esset in partes, & peccata populi crescerent; sanguisq; sanguinem tangeret, Deo permittente, flagitijs quidem exigentibus actum est nostris, vt exteræ Nationes è proprijs egrederentur sedibus, videlicet gens Danorum, quæ vulgo Nortmanni, id est, septentrionales homines appellabantur, & superbo tumentique corde cum valido nauium apparatu, Christianorum fines intrarent. Qui huc illucq; furentes, atque cum magna superbia cuncta gyrantes, cœperunt vastando diuersas Insulas maris, donec nemine sibi resistente, fluuium Sequanam ingressi, Rothomago sorte incredibili applicarent. Cumq; in eadem Ciuitate aliquantisper demorantes, regionis Principes (quod absque ingenti contritione cordis effari nequimus)*

ad

ad bellandum pigros timidosq; aduerterent, exeuntes è nauibus longe lateq; diffusi, cœperunt vtriusque sexus multitudinem trucidare, captiuare, villas, Monasteria, Ecclesiasq; depopulando cremare, totamq; suæ libidinis immensitatem sum omni crudelitate in populum Dei debacchando exercere, quousque ad locum qui vocatur Caroli venna, ventis velisq; suæ malignitati iusto Dei iudicio secundantibus, vltra spem securi nauigando peruenirent. Tunc gloriosus Rex Carolus, qui propter subitaneum eorum ascensum ex toto non poterat, conuocata aliqua exercitus sui parte, venit primum ad monasterium Macarij Dionysij, vt eius orationibus fultus, securius contra Dei suosq; pergeret hostes. Denique vt accessit paratus non solum dimicare, sed etiam pro fide, piaq; defensione sanctæ Dei Ecclesiæ laudabiliter mori, eius aduersarij cognoscentes aduentum, diuerterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, vbi quædam parua pars populi erat. Quibus confestim in fugam versis, in Insula quadam eiusdem fluuij, ad opprobrium Christianorum plus minus centum vndecim captiuos fudibus suspenderunt, multosq; alios per domos & arbores confixerunt: atque nonnullos per villas camposq; miserabili insecutione trucidantes, premerunt. Ipsoq; sanctissimo Paschalis festiuitatis Sabbatho, Parisios peruenientes, vacuam penitus ipsam Vrbem quondam populosam, & omnia in circuitu illius Monasteria suis habitatoribus deserta repererunt. Timor siquidem & metus vniuersos inuaserat, vtpote merito iniquitatis, diuino enudatos auxilio, atque adeo humanæ defensionis destitutos solatio. Quis rogo non doleret? antequam bellum committeretur fugatum exercitum; antequam iaceretur sagitta confossum? ante scuti allisionem ignominiosè subactum? vniuersorum namque ordo penitus in Ecclesia confusus, atque à bonitatis studio permutatus, hoc ipsa priuatione boni vsque ad excidij fomitem digna satis vltione promuerat: at pius Pater, iustus, delinquentium semper corrector, correctorumq; clemens susceptor, non hoc intulit, vt nos ob innumera, delictorum nostrorum

rum pondera crudelis damnaret, sed vt per immensam benignitatis suæ largitatem afflictos emendaret, &c. Tunc (proh dolor,) sanctissimum B. Germani corpus de suo effossum sepulchro, in possessionem quandam eius Ecclesiæ, quæ Cumbris dicitur, delatum est. Sed quæ facundia, quisue sermo exponere posset, qualis dum hæc agerentur, quantusue in eadem Ecclesia extitit luctus. Senes itaq;, & iuuenes & pueri flebant, & infantes, vtpote nemo sese à lachrymis temperare valens: similiter & aliorum corpora sanctorum in eodem pago degentiũ extumulata, atq; per diuersa sunt loca deportata, exceptis membris duntaxat Macarij Dionysij sociorumq; eius Martyrum, quæ licet à suis fuerunt extracta sepulchris propter tamen Regis præsentiam non sunt tunc ad alia loca transire compulsa, &c. Hinc clare cernere ac perspicere licet, effrenatam ac indomitam Danorum ac Nordmannorũ furorẽ ac sæuitiam, quã passim exercuerũt. Hanc a. Deum detestatum fuisse, multis indicijs, euidentibusq; signis ac miraculis, in sanctorum reliquijs editis satis clarè testatum fecit, quæ apud præfatum hunc Authorem vlterius recensentur. Interea a. dum Gallia longis ac diutinis hisce bellis ac persecutionibus, à sæuis ac truculentis istis populis ita duriter ac hostiliter premeretur ac affligeretur, Ludouici regiones (dum adhuc in viuis erat) ab huiusmodi turbis fere immunes fuerunt. Nam is siue arte, siue conditionibus, siue alia ratione, ita Nortmannos tractabat, vt cum totam Franciam vastarent, nihil eius ditio detrimenti acciperet.

Post mortem autem Ludouici, Carolus Filius, alias Crassus vocatus, ex Italiâ domum reuocatur, quòd Imperij Romani in summo discrimine versantis res id postularent. Is cum Danis aliquoties congressus acerrimè dimicauit, strenuèque ac fortiter conflixit, sed infelici Marte. Et refertur res admodum memorabilis ac stupenda in veteribus Francorum

Annal. apud Aim. l.5. c.16. & Regin.anno 882.quæ tunc temporis contigit, *Obsidentibus Francis & obsessis à Carolo Nortmannis, 12. Kalend. Augusti, post medium diem tenebrosa subito caligo tota castra operuit, fulgure & tonitru concrepante, & talis grando, vt nullus antea Mortalium se tale quid vidisse profiteretur, non vt solitum est, lapides descendere, plena & æquali superficie: sed cornuta & inæquali & aspera facie, omnibus cernentibus insolitum & magnum præbuit spectaculum (mirabile & incredibile dictu) vt vix grossitudo eorum potuerit pollice & digito medio circumdari. Nam & equi stupefacti fuerunt, & effractis sudibus ac habenis partim extra castra, partim in castris errore & stupore verterentur. Ciuitatis quoque quã obsederant, propter impetum aeris, magna pars corruit, ita vt vna cohors coaceruatim posset equitando ingredi, nisi vallo quod circumerat suspensa constaret. Igitur per tot dies obsidens tam magnis Exercitus, æstiuo in tempore, propter putredinem cadentium hominum, ægritudine correptus & pertæsus est: nec minus inclusi simili molestia premebantur.* Cum in huiusmodi angustias ac difficultates vtrinque redacti essent, de pace facienda consilium cœperunt, Caroloq; fœdere cum Danis inito, Frisiam illis habitandã concessit, & Godefrido vni ex Curatoribus regni, *Gislam* Lotharij Patruelis filiam in matrimonium, & Frisiam in dotem dedit. Godefrido etiam vt Christo nomen daret, author fuit. Sigefridus verò tutorum alter, postquam innumerabilem auri vim congessisset, relictâ Normanniâ, vnà cum magna ac valida suorum popularium manu confertissimoque agmine, in Daniam reuertitur. Godefrido post à Duce Henrico interempto, Dani eius cædis vindicandæ cupidi, denuò Galliam hostiliter inuadunt, ibique vnà cum illis, qui remanserant, sedes collocant. Vnde & appellatio Normandiæ in hodiernum vsque diem manet, nimirum à Normannis, hoc est, gente aquilonari, quæ illic

con-

consedit, nomine ducto. Normannorum autem exercitus, magnam partem ex Danis collectus fuit, quibus sese gentes finitimæ, Norvvegi, Suedi, & Cimbri aggregarunt, quos receptos ad se socios Dani sibi adsciuerunt. Nam & populi Septentrionales bellis adsueti & quasi innutriti, quum pace crescerent, otij ac quietis tandem pertęsi, finibusq; suis egressi, nominis illustrandi, & finium amplificandorum causa, solum verterunt & remotissimas quasque gentes petierunt easq; bello & armis adorti ac persequuti sunt, vt rectè Poeta:

Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & Martis amator.

Normannos autem tandem Lotharingiam ingressos, Arnolphus Carolomanni filius, Cæsar, in Patrui sui Caroli Crassi locum succedens, fudit ac prostrauit. Duodecim regia signa hostibus adempta, in Bauariam postea allata esse, nec non ad hominum millia centum prælijs occubuisse, scriptores memorant. (*Arnolphus Carolomanni filius fit Imperator anno* 894. *moritur* 906. *Aliter hæc narrat Abbas Stadensis fol.* 94. & 96.) Insigni itaque hac victoria, quam de hostibus reportauerat, elatus Arnolphus, magno exercitu fines Danorum inuâsit; eosque tandem multis & crebris prælijs ad Hexamilium, & Eidoram fluuium, qui tunc regni Daniæ terminus erat, cum ijs commissis, ad internecionem cecidit. Bellum diuinitus administratum esse, omnes vno ore testantur, quòd centum millibus paganorum cæsis, ex Christianorum exercitu pauci cecidissent. (*Helmod. cap.* 7. *anno* 888. *Bellum cœlitus administratum, in quo Nordmanni vel Dani ab Arnulpho Rege, vsque ad internecionem sunt deleti. Siquidem centum millibus paganorum prostratis, vnus de Christianis cecidisse repertus est. Godefridus & Sigfrid reges ibi sunt occisi. Ada. c.* 40. *Vnde colligo*

tria bella Normannorum insignia. Vnum regnante Erico iuniore. Stadens. fol. 92. Alterum anno 876. cuius idem Stadensis meminit fol. 94. Tertium & vltimum in quo deleti sunt fol. 96. Anno 888. vide Helmold. cap. 8.) Ita iustissimus Deus Nordmannos propter Religionis contemptum, & Christianorum ingentē afflictionem ac persecutionem, tandem ad pœnam rapuit: vt quibus primùm res paulo secundiores concesserit, postremo autem pro impietate plagam mortiferam inflixerit. Ab illo itaq; tempore grauissima ac asperrima Nordmannorum persecutio tandem cessauit & conquieuit, Deo sanguinem Christianorum, qui annos septuaginta abundè satis effusus erat, vindicante, (vt *Helmoldus* scribit *cap. 8. & Stadens. fol. 96.*) Hæc inciderunt in tempora Adelgarij Episcopi Hamburgensis, qui anno à Christo nato 909. ex hac vitâ migrauit. Ex quibus constat religionis exercitia, in his oris sub Cnutone interrupta, aliquantisper conquieuisse. *(Anno 912. post Olaph Sueonum Principem, qui regnauit in Dania cum filijs suis, ponitur in locum eius Sigerich. Cumq; paruo regnasset tempore Hardeger filius Sueni à Nordmannia veniens eum regno priuauit. Abbas Stadens. f. 98.*

CAPVT V.

FROTHO VI. *Rex Daniæ 61. rebelles Prouincias domuit: in Anglia religione Christiana imbutus & baptizatus, dum eandem per Agapetum Romanum illic introducere tentat, mortem obit, sub quo templum Slesuicense reædificatum.*

Imbutus sacro cultu, dum præfuit Anglis,
Danorum FROTHO, *Rex cupit esse pius.*
Romana mandat doctos à sede vocari,
Sed pia Religio Rege cadente cadit.

A. C. 896.

CNV-

CNVTONI succeßit Filius Froto, eius nominis sextus. Qui etsi impio Patre natus esset, tamen ad Religionem animum adiecit, in Anglia ea imbutus. Nam magnam Angliæ partem, quæ ab eius Patre defecerat, recuperauerat. Religionis autem propagandæ & amplificandæ studio in Daniam reuersus, ab Agapeto Pontifice Romano per Legatos, quos Romam ablegauit, petijt, vt viros pietate & eruditione præstantes, in Daniam mitteret, qui populum rudem ad Christum conuerterent, & Dei verbum docerent. Ex Anglia quoq; plerosque accersiuit, & ex ijs, qui in Regno Daniæ hinc inde dispersi exulabant, complures collegit, qui rem diuinam tractarent. Sed Froto, antequam Legati Roma redijssent, vitam cum morte commutauit, dignus vita longiori.

GORMO II. Rex Daniæ, 62, cognomento Anglicus, propterea quòd in Anglia à Rege Alurad educatus: Imperium vtriusque Regni Angliæ & Daniæ obtinere non potuit: sed hoc potitus, alterius dominium ac possessionem penitus amisit: nihilq; fortiter ac animose vnquam pro illius recuperatione conatus.

Huius filius GORMO, Anglicus cognomine, Christianam & ipse Religionem amplexus est, vt qui in Anglia iamdudum ad Christum conuersa, à Rege Alurad educatus esset. Cumq; ex Anglia in Daniam sese contulisset, & disponendis regni negotiis distineretur, Angli libertatis suæ spem in eius absentia reponentes, ab eo defecerunt, & rebellarunt. Neque eam postea vnquam recuperauit. Adeò difficile est regna prægrandia, magno interuallo locorum remota, & distantibus in locis posita, in officio continere. Cui defuncto succeßit Filius.

HARALDVS V. Rex Daniæ 63. obscurioris memoriæ, nullisq; rerum præclare gestarum monumentis clarus ac insignis, regiarum opum seruator magis, quàm propagator exstitit. Obijt anno

909.

CAPVT VI.

GORMO III. *ab Historicis dictus VVormo, hoc est, Anguis: Rex Daniæ 64. Christianorum persecutor infensissimus, templum Heydebuie demolitus est; qui nulla ratione, neque coniugis precibus ad fidem & religionem Christianam conuerti potuit; ab Henrico Imperatore (qui Marchionatum Slesuigæ & Daniæ limitem constituit, inq; eum finem castellum Oldenburg exstrui curauit, & Marchioni attribuit,* A.C. 925. *cuius rudera adhuc supersunt) tandem victus & Nord-Albingia pulsus, religionem Christianam tolerauit: Obyt cæcus* A.C.934.

Henrico victus Gormo est à Cæsare Danus,
Accepta pacis conditione pari.
Tunc Vnni vt Danos doceat pia dogmata Præsul
Hamburgo venit Rege iubente fero.

A.C.930.

HARALDO IV. successit Gormo, inimico, atque infenso erga religionem animo. (*Stadens. eum filium Hartevvichi nominat.*) Nam simul atque Rex exortus esset, Christianos maximè persequi, & quibus potuit iniurijs ac molestijs afficere & vexare non destitit. Quam ob causam ab Historicis Wormo nominatur, hoc est, anguis, quòd Religionem Christianam, Catholicamque Fidem ex Daniâ penitus exterminare, funditusque delere ac extinguere, omnino decreuisset, animumque induxisset. Quamobrem pios sacerdotes orthodoxosque Ecclesiæ Doctores, sua ditione ac regno pellere, multos etiam durissimis vinculis atque omni suppliciorum genere misere excruciatos, tandem quoque neci tradere non fuit veritus. Cum vero tem-

templis ac delubris Idolorum cultum iampridem abolitum, iterum restituere in animo haberet, templum in fundo Slesuicensi à Christianis erectum, tanquam Impietatis domicilium, ex imis demolitus est fundamentis, *Saxone teste.* Quod ego de templo Heidebuiensi accipiendum existimo, quod eius solummodo Historiæ meminerint. Sed & Nord-Albingiam vastauit, Transalbinos & Frisios inuasit, eorumque agros populatus est, quòd nemo eius conatibus resisteret. Nam Conradus I. Dux Franconiæ, Cæsar, Henrici Aucupis Antecessor, bello Vngarico & Bohemico occupatus, vim illatam propulsare, & Imperij subditos ab iniuria defendere non potuit. Quæ res fecit, vt maiores sibi Spiritus Gormo indies sumeret, miserosq; Christianos maiori confidentia ac libertate atrocius ac crudelius oppugnaret. Mortuo Conrado Imp. Anno 919. cum septem annos Imperio præfuisset, (qui odijs priuatis sepositis salutemque publicam iniurijs priuatis anteponendo ante obitum suaserat, vt Imperium commendaretur Henrico Aucupi nepoti Arnolphi Imperatoris ex filiâ Ludgardâ, cui & per Fratrem Eberhardum insignia Imperij miserat, adductus admiratione virtutis & sapientiæ Henrici quòd hunc solari afflictas, peneq; dirutas ac collapsas Imperij res iterum subleuare ac erigere, patriam quoque contra Barbarorum gentium furorem ac insidias strenue ac fortiter defendere ac vindicare posse, ex eius consilijs ac conatibus, arte militari ac industria, rerumque gerendarum peritia (quam cum hostem eum habuisset vsu iam satis & experientia esset expertus, sibi persuasissimum haberet) Corolina progenie exstincta, Henricus Auceps, origine Saxo, Othonis Magni Ducis Saxoniæ Filius, Imperator designatus fuit, Anno 920. Is Slauis, qui Danis fœderati erant, bellum primò intulit, & magnam eorum

partem concidit, reliquos Christo nomen dare, imperata facere, & tributum pendere coegit. Deinde Daniam magno cum exercitu ingressus, Gormonem primo impetu adeò perterrefecit, vt metu compulsus, se illius imperio submitteret pacemque supplex deposceret. *Adamus latè cap.* 48. *& Stadens. fol.* 102. *& Helmol. cap.* 8. Prælium illud prope Slesuicum ad Hexamilium commissum est. Quin & Vrbem Slesuicum florentissimam potentissimamque expugnando cœpit Henricus. Quo tempore & pacis conditiones à Cæsare oblatas acceptare, & inter alias concedere coactus fuit, vt Slesuici Marchio, hoc est, Dux limitaneus constitueretur, qui fines illos tutaretur, & ab iniuria & maleficio defenderet, quòd à Danis illam Saxoniæ partem continuis incursionibus infestari ac desolari audiret, & re ipsa experiretur. Quin & conuenit, vt Slesuici, Imperij Romani limes esset, quod antea Eidora flumine terminabatur. (*Helmoldus, cap.* 9. dum ait, *Fines Danorum, qui olim fuerunt apud Sleſvvic transgressus Otto. &c.*) Ita Vrbs Slesuicum, quæ tunc Heidebu nominabatur, (*Adamo cap.* 48. *& Helmoldo c.* 8. *teste,*) Saxonum Colonia constituta est, Gormoneque victo, & in gratiam, illis, quas diximus, conditionibus recepto, pax inter Imperatorem & Regem Daniæ est cõstituta. *Quæ omnia à quodam Episc. Danorum viro cordato se verè accepisse, & fideliter Ecclesiæ tradidisse, refert Adamus c.* 48. Quibus consentanea tradit Sigebertus, niminum *Henricum vicisse Danos, qui Piratica Frisones incursabant, atque etiam tributarios sibi fecisse.* Et Luitbrandus Ticinensis scribit, *Henricum Imperatorem ea de causa maximè apud Italos claruisse, quòd Danos nulli antea subiectos, solus ipse debellarit & tributarios fecerit.* Verba Luitbrandi hæc sunt lib. 3. cap. 5. *Henricus Slauorum gentem innumeram subiugauit, sibiq; tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subiugauit, sibiq; seruire coegit,*

coegit, ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. Et cap. 13. *Hugo Rex Henricum Regem fortissimum, multis collatis muneribus amicum sibi fecerat : cuius apud Italos nomen tunc maximè clarebat, quòd Danos nulli antea subiectos, solus ipse debellaret, ac tributarios faceret. Est enim gens indomita sub Septentrione in Oceano degens, cuius sæuitiam multarum sæpe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes ferro & igne cuncta miserè laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas Ciuitates Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treueros, non longè à Rheno positas, nonnullasq; alias in Regno Lotharij debellantes, vi ceperunt, cunctisq; ablatis, ea quæ secum deferre non poterant, combusserunt. Thermas etiam Grani Palatij atque Palatia combusserunt.* lib. 3. cap. 33. Idem tradit Witichindus libr. 1. fol. 18. de Henrico verba faciens, *Quum autem omnes in circuitu nationes subiecisset, Danos qui nauali latrocinio Fresones incursabant cum exercitu adijt, vicitq;, & tributarios faciens, Regem eorum nomine Nubam (legendum Gormam) baptismum percipere fecit.* Idem Withikindus libr. 3. in fine de Ottone. *Populus*, inquit, *pro laude Ottonis mortui, & gratiarum actione multa loquutus memorauit, eum paterna subiectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Auaros, Sarracenos, Danos, Sclauos armis, vicisse, Italiam subiugasse, delubra deorum in vicinis gentibus destruxisse, templa, ministrorumq; ordines constituisse, multaq; alia in vicem conferentes, regali funeri insistebant.* fol. 52. Limitem autem ea de causa Henricus Auceps Slesuicum esse voluit, & propter emporium, natura, situ, & potentia florentissimum & ditissimum, & multarum gentium conuentu frequens, (*vt Pauli Aemilij verbis vtar*;) quod intra munitiones retractum à Rege Godefrido, Henricus in suam ditionem potestatemque redegerat: & quòd Slia fluuius vnà cum Hexamilio Danos à Saxonibus planè segregaret &

diuideret, vsque adeò vt certiores & commodiores fines vel limites constitui nulli possent. Quos etiam arce vel castello communiuit Henricus, cuius adhuc vestigia tam aperta & euidentia non longè ab æde Heidebuiensi supersunt, vt ea de re dubitare nemo possit. Vulgus *Oldenburgum*, hoc est, arcem vetustam, & rectè. Nam annos ab hinc sexcentos & sexaginta, plus minus, ædificari cepta est. Sita autem fuit arx in monte edito & excelso, qui adhuc hodie conspicitur: sed arbustis, fruticibus & spinis adeò munitus & impeditus, vt ascensu difficilis sit. Etsi autem arx illa vel munitio planè diruta & solo æquata est, vt nec rudera quidem supersint, tamen fossæ adhuc tres satis altæ & conspicuæ visuntur, quibus illa septa & circumdata fuit. Sed & castrorum vestigia apparent. Atque hæc munitio vnà cum vrbe Slesuico, Marchioni vbi sederet, & præsidia haberet, attributa fuit. Vnde constat fuisse Oldenburgum propugnaculum totius Chersonesi Cimbricæ, & Ciuitatem Slesuicum Cimbriæ metropolim & caput, vnà cum territorio & agris à flumine Sliâ vsque ad Eidoram Imperio Romano subiectam fuisse. Quod & Helmoldus benè notauit.

CAPVT VII.

POSTQVAM autem Gormo victus, & Dania Imperatori tributaria facta esset, Vnno (alij legunt Vnni *Ad. c.* 49. *Helmol. c.* 8.) ex Monasterio Corbeiensi an. Christi 917. exortus & electus, iam sibi aditum ad verbum Dei gentibus publicandum, patefactum existimabat. Itaque religionis propagandæ & amplificandæ amore, quo flagrabat, omnem suam diœcesin peragrare & lustrare cœ-

ræ cœpit. (*Stadens. fol. 102. nihil asperum & graue se subire posse arbitrans pro Christo.*) Et viris pijs & doctis comitatus in Daniam profectionem suscepit, (*Secutus est eum, vt aiunt, grex vniuersus Bremensis Ecclesiæ, boni Pastoris absentia mœsti, secumq; & in carcerem & in mortem ire parati.*) vt Gormonem iam mitiorem factum ad religionem Christianam conuerteret.

(THYRA, *cognomento* Danebod / *Ethelredi Regis Angliæ filia, dicta caput maiestatis Danicæ, Gormonis coniux. Vallum Danicum, vulgò* Dennewerck / *quantum Slesuico ab Orientali ad Occidentalem Oceanum patet, distantia videlicet duorum milliarium, quò Isthmus Cimbricæ Chersonesi clauderetur, ac Patriam ab exterorum incursionibus tutam præstaret, perfecit, vbi & domicilium non procul à porta valli vnica, dicta Kalegatt, habuisse fertur: Iellingæ apud maritum sepulta, quorum monumentum Generosus, Strenuus ac Nobilißimus vir, Henricus Ranzouius, p. m. Produx Cimbricus in æs incidi, & suis Scriptis in antiquitatis memoriam inseri curauit.*)

Quam ad rem, magno ei adiumento fuit vxor Gormonis, Thyra, Anglica natione, Ethelredi Anglorum Regis Filia, femina singulari pietate & castitate prædita: quæ orando, & monendo quotidie apud maritum instabat, vt Christo nomen daret. Imò & congressum eius ad aliquod tempus refugiebat, vt hac ratione eum Christo lucrifaceret, & in suam sententiam pertraheret. Sed nec sic quicquam profecerunt. Nam Gormo pro innata feritate & sæuitia, eorum precibus & monitionibus locum nullum reliquit, neque vllo modo flecti potuit, vt Christianorum sacris baptismate initiaretur. Interim tamen potestatem permisit publicandi & prædicandi Euangelium: vel quod mihi verisimile sit, id permittere coactus fuit, idque de mandato Imperatoris Henrici. Quod & ipsius Filius Haraldus, quem Blatandum nominant

nant permisit, qui religione vtcunq; imbutus, Christianis aliquanto æquiorem ac beneuolentiorem se præbebat, etsi eo tempore nondum per baptisma Christo insertus esset. Huic etiam Vnni, cum apud Patrem nihil proficeret, Sacerdotes, Dei ministros, & multitudinem eorum qui Christo nomen dederant quàm diligentissimè commendauit, vtque eos in suam clientelam ac patrocinium reciperet, omniq́ue gratia ac fauore amplecteretur, amantissime rogauit. Quod & se facturum recepit. Ordinatis itaque ac constitutis in regno Danorum per singulas Ecclesias Sacerdotibus, multitudinem credentium Haraldo commendauit. Cuius etiam fultus præsidio ac adiutorio, eiusq́; nomine ac authoritate in obeundo suæ legationis munere firmiter munitus, omnes Danorum Insulas transeundo peragrauit, prædicans verbum Dei gentibus, & fideles, quos ibi captiuatos inuenit, in Christo confortans. *Annal. fol.* 102. Ibi tum Ecclesijs in his oris tranquillitas quædam ac malacia obtigit. Vnde & Sacerdotes Ecclesiaq́; Pastores, qui populum fidē Catholicam docerent remq́; diuinam administrarent, passim ab Vnnone delecti, & constituti fuerunt. Idem quoq; captiuos Christianos in carceribus & vinculis detentos, verbo Dei summo ardore ac vehementia spiritus constanter ac efficaciter consolatus est, animosq́ue eorum, ne ab agnita fide deficerent, neque in pietatis studio, doloris impatia fracti, languescerent ac defatigarentur, firmiter confirmauit ac robororauit. Moritur autem Vnno postquam in Gotlandiâ, Suetiâ, & Daniâ Ecclesias constituendo, & prædicando, sacraq́; peragendo magnos labores exantlasset in vrbe Suetiæ Bircâ An. 935.

De huius sanctissimi Hamburgensis Archiepiscopi Vnni, potentis opere & sermone felici obitu, prolixè narrat ac commemorat Adamus libr. 1. cap. vlt.

Per-

perfecto legationis suæ ministerio, cum tandem redire disponerat Euangelista Dei, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit: anima vero, cum multo animarum triumpho stipata, cœlestis patriæ Capitolium, semper lætatura conscendit. Tunc discipuli Pontificis, exequias eius, cum fletu & gaudio procurantes, cæteræ quidem membra sepelierunt eodem loco vel oppido Birca, solum caput reportantes Bremam, quod decenti honore condiderunt in Ecclesia S. Petri coram altari. Obijt autem, peracto boni certaminis cursu, in Suetia (vt scribitur) anno Dominicæ incarnationis nongentesimo trigesimo sexto, indictione nona, circa medium Septembris. Hic est annus Ottonis Magni primus, à transitu S. VVilhardi, primi Episcopi Bremensis, centesimus quadragesimus octauus: Addit autem porrò idem Author ad commendationem & imitationem huius sancti Episcopi hæc verba: Eia vos Episcopi, qui sedentes gloriæ, lucri, ventris & somni breues delicias, in primo Episcopatus officij loco ponitis, respicite inquam istum pauperem & modicum seculi, imo laudabilem magnumq; Sacerdotem, qui nuper tam nobili fine coronatus, exemplum dedit posteris, nulla temporum vel locorum asperitate, vestram pigritiam excusari posse: cum per tanta pericula maris & terræ, feroces Aquilonis populos ille pertransiens, ministerium legationis suæ tanto impleret studio, vt in vltimis terræ finibus expirans, animam suam pro Christo poneret. Hæc illa. De Birca oppido late Velleius, cap. 50.

CAPVT VIII.

HARALDVS VI. Rex Daniæ 65. post pacem reconciliationemq; ob Marchionem Slesuicensem occisum, & arcem Oldenburg à Danis desolatam, cum Othone I. Imp. Rom. 4000. apud Slesuicum cæsis, & Iutia occupata vsque ad fretum

tum Ottensund (ob lanceam ibidem eiaculatam denominatum,) initam ac factam, cum coniuge Gunilda & Filio Suenottone baptizatus, A.C.848. *Episcopatus fundauit, veteribus limitibus Daniæ per Eidoram reassumptis, & Marchionatu antiquato. Ab hoc tempore Cimbrica Chersonesus paganismo valedixit. Et sic Otho I. in religione propaganda idem præstitit Danis, quod Carolus magnus Saxonibus & VVestphalis, exinde horum Apostolus canonizatus Anno* 1165. *Ob filij persequutionem profugus Haraldus, Iulini ex vulnere interijt,* A.C.980. *Roschildiæ, vbi templum SS. Trinit. adificauerat, sepultus: in Martyrum ordinem relatus.*

SVENOTTO *Rex Daniæ* 66. *post trinam redemptionem à Vandalis Iulinensibus,* A.C.982. *& subsecutum exilium* 14. *annorum in Scotia, ab Erico Rege Suetiæ regno pulsus, ad religionem Christianam conuersus & baptizatus, propterea q; in regnum receptus est. Norvvegia subacta per Adaldagum constituitur Episcopus Poppo, qui plurima miracula per Christum, quem professus edidit, quibus suos populares & Suecos ad Catholicam religionem ac fidem perduxit. Syrittam Regis Sueci viduam duxit. Obijt anno* 1012. *al.* 1014. *Roschild. sep.*

Auceps Henricus Danorum vt cessit ab oris,
Primus Slesuici Præsul Ericus adest.
Defuncto Danus iuga pellit Cæsare fortis,
Tunc Bremam Antistes aufugit Vrbe nouus.

A.C.937.

PRIMVS itaque deligitur ab Vnnone Ericus, qui in Chersoneso Cimbrica, verbi Diuini veritatem Catholicam q; doctrinam doceret, propagaret, ac defenderet, quod eius constantiam Vnno multis experimentis iampridem satis cognitam ac perspectã haberet, qui si res postularet, religionis causa capitis periculum adire non vere-

vereretur. (*Quatuor persequutiones Ecclesiæ Nouellæ in Dania. Ad. fol.* 47.) Hunc itaque, mortuo iam Vnnone, Adaldagus Meindorfius Archiepiscopus Bremensis & Hamburgensis, Slesuicum misit, vt ibi initium docendi & sacra administrandi faceret. Quod & ipsum summa cura & diligentia est exsequutus. Nam rudem populum docere, conciones palam habere cepit, req́; diuina fungi, fretus ope & defensione Marchionis & militum, qui Slesuici in præsidio collocati erant. Nam Marchio non tantum de finibus tuendis, sed & de religione propagandâ mandatum habebat: eaq́ue res tam illi, quam cæteris militibus, viris Christianis, inprimis cordi erat, vt hac ratione gentem illam Deo lucrifacerent, & Imperatoris iussum exsequerentur. Sed non multo post, noui bellorum motus turbæq́ue indies ingrauescentes, religionis exercitia interruperunt. Nam Dani, simul atque accepissent, Henricum Aucupem è viuis excessisse, & Othonem bellis, domesticisq́ue malis distineri ac grauari, magnis copijs è Iutiâ collectis, Marchionem de improuiso adorti, vnà cum Legatis Regis Othonis, apud Hedebuiam, hoc est, Slesuicum trucidarunt & interemerunt, & sese in pristinam libertatem vindicarunt. (*Ada. c. 2. Helmold. cap. 9. eleganter.*) Arcem etiam Oldenburgum ex imis fundamentis demoliti sunt. Et Slesuico vrbe in suam potestatem redacta, Saxonum coloniam funditus euertunt. Graue enim ipsis, minusq́; ferendum videbatur, Marchionem vrbe ditissima, ac populosissima, vbi antea Rex Daniæ præfectum habuisset, loco tam propinquo considere, & limitibus Regni imminutis Marchionatum illic inualescere ac inueterascere. Nam terminum Regni Daniæ Carolus Magnus Eidoram constituerat, postquam Godefrido mortuo Henningus cum eo pacem fecisset, vt supra demonstrauimus. At Henri-

cus

cus eum Gormonem superasset, Slesuici limites esse voluit, hoc est, Sliam & Hexamilium. Qua ratione quicquid inter Sliam & Eidoram terrarum aut agrorum est, Danis ademit, & Imperio adiecit, hoc est, magnam partem Ducatus Slesuicensis, quæ Holsatiam spectat. (*Ad. Otto transgressus terminos apud Sleſvvig olim positos c. 2.*) Fuit hoc anno à nato Christo 938. vel circiter. Vnde colligitur, Marchionatum Slesuicensem ad tempus exiguum, hoc est, annos duodecim plus minus durasse. Hinc Velleius scribit, Marchionatus durationem cum mora Adami in Paradiso rectè conferri posse, *cap.* 48. Nam Henricus anno Christi 920. regnare cepit, & anno 937. Vel vt Schafnaburgensis notauit, anno 935. imperare desijt, vnaq; cum eo exstinctus est Marchionatus. In laudem Henrici & Othonis Filij hos versus fecit Luitprandus lib. 4. cap. 7.

Ipse qui quondam superare gentes
Impias bello solitus cruento,
Nouimus nunc Rex dederis popello
Morte quàm magnas propera ruinas:
Turba certatim viduata charo
Rege iam cesset lachrymare: quando
Alter exsurgit similis cluentì
Filius Patri venerandus orbi
Rex Otho: gentes ditione magna
Qui premet, pacemq; feret beatam.
Quicquid Henrici perijt recessu,
Præstitit rursus populis hic ortu,
Blandus & mitis, patiensq; sanctis,
Pestifer duris, rabidusq; sæuis.
Bella nonnullis tibi sunt gerunda,
Ex quibus nomen referens in astra
Cuncta calcabis pedibus per orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,

Et qui-

Et quibus nomen dedit Hesper almus,
Lucifer rursus vocitatus idem,
**Surgit eoo properans coruscо,*
**Exiens cælo iubar ante Eoum.*

Circa hæc tempora Gormo Rex, cũ ad summã senectutem peruenisset, impietatis pœnas dedit. Nam ad reliquã mala & incommoda, quibus conflictatus erat, oculorum quoque accessit cœcitas, quibus priuatus vitam acerbam in posterum ac iniucundam egit. Tandem cum de morte Knutonis filij, (cuius tanto amore afficiebatur, vt à se neci traditum iri iuraret, qui prius ipsius exitum nuntiasset,) certior factus esset, subito mœrore exstinctus est. Cui & filio simul, Thyra exsequias parauit.

Patris corpus Haraldus Filius, ampliſſimo funere elatum, in pago Iellingen sepulturæ mandauit. Thyra marito superstes aliquot annos adhuc in viuis fuit. Tandem & ipsa non longè à mariti sepulchro humata est. Exstat adhuc vtriusque monumentum visu & memoriã dignum, quod in æs incidi curauit vir Nobiliſſimus HENRICVS RANZOVIVS. Duo montes ex aduerso conspiciuntur, quorum alter ad Septentriones, alter ad meridiem spectat. Hic triginta septem vlnas altus, ille quadraginta septem vlnarum altitudinem habet. Vterque manu factus & coaceruatus videtur ex arenã, de vicinis locis congestã & cumulatã, quemadmodum illã ætate tumulos & montes in memoriam defunctorum excitare consueuerunt, vt paulò ante demonstrauimus. Inter hos montes templum vel Sacrarium, duobus coniugum socialibus bustis interſitum, & plumbo tectum iacet, vt Saxo refert. In monte qui ad Septentrionem vergit, fons est, è Saxis excitatus & exstructus, è quo quotidie aquam hauriunt, qui villam Iellingen incolunt, qui in circuitu vlnas quadraginta septem continet. Lapis

sepulchralis vlnas quinque & dimidiam, in circuitu nouem habet, & imaginem hominis vno latere exhibet, in altero latere hæc verba:
GORMO KONINGA GIORDE KVBE DISSE OFVER THYRE KONOE. Item. HARALD KONG BYGT KIRKE KYBL DISSE OFVER GORM FADER SIN, OCH OFVER TYRE MVTTER SINSE. HARALDER KES OFVER DENMARCK. (*Kibl*, hoc est, *Collis.*) In monte qui versus meridiem est, lapis insignis magnitudinis iacet, pauloque minor illo, qui apud templum inter duos montes collocatus est. Atque in illo monte Thyram sepultam esse verisimile est. Nam Saxo refert Haraldum totam Regni classem exerendo, ne paruo apparatu magnæ molis pondus aggrederetur, quo matris tumulum insigniret, inusitatæ magnitudinis saxum in Iutico litore repertum, iunctis hominum, boumq; copijs abstrahi iussisse. (*Vltimus Carolorum apud Orientales Francos imperantium Ludouicus erat. Qui cum accepisset vxorem nomine Luitgardam sororem Brunonis, ac Magni Ducis Ottonis, non multis hæc post vixerat annis. Ex quibus Bruno, cum Ducatum administraret totius Saxoniæ, duxit exercitum contra Danos, & inundatione repentina circumfusus, nec habens locum pugnandi, perijt cum omni exercitu, Fratri natu quidem minori, sed omni virtute multò potiori relinquens Ducatum. VVitichindus lib. 1. fol. 9.*) Sed ad institutum reuertamur. Hoc rerum statu Ericus Slesuicum missus metuq; mortis territus, loca illa in quibus hactenus semina verbi Diuini ieciisset, deserere, & Bremam sese recipere coactus fuit, vbi & paulò post vitam cum morte commutauit, in Basilicâ Diui Petri sepultus, vbi Folquardus, Magnus, Odoacer, & Poppo quiescunt.

Cædes autem illa funesta maximis motibus & bellis ansam præbuit. Nam Otto Henrici Filius, post-

quam

quam iniuriam à Fratribus acceptam vindicasset, bellum in Danos parat, vt & illic mortem Marchionis & Legatorum interemptorum vlciscereturpœnasq; sumeret de illis, qui contra pacta & fœdera inita, explosâ Religione, Marchionatum à Patre constitutum, euertissent. (*Abbas Stadens. fol.* 105. 106. *& Helmold. cap.* 9. *Transgressus fines Danorum cum exercitu, qui olim fuerant apud Slesvvic (scilicet constituti ab Henrico Aucupe) ferro & igne vastauit omnem regionem. Vide Luitbrandum lib.* 4. *cap.* 9. 10. 11. 12.) Itaque magno cum exercitu territorium Slesuicense ingressus, & fines Danorum transgressus, qui olim fuerunt apud Slesvvic, (scilicet constituti ab Henrico Aucupe) omnem illam plagam Iutiæ, & Ditionem vsque ad mare, quod Norvvagiam à Danis diuidit, ferro & igni vastauit, & in suam potestatem redegit. (*VVitichindus lib.* 3. *fol.* 35. *Otto collecta ex omni exercitu electorum militum manu, Rothum, aliàs Rothomagum Danorum vrbem adijt : sed difficultate locorum, asperioriq; hyeme ingruente, plaga eos quidem magna percussit: incolumi exercitu, infecto negotio, post tres menses Saxoniam regressus est, vrbibus Remense atque Lugduno cum cæteris armis captis Lothovvico Regi concessus. Annal. fol.* 105. Et cum ad extremam Iutiæ oram, quam mare alluit, peruenisset, lanceam in perpetuam eius rei memoriam in mari suâ ipsius manu defixit, eiq́ue nomen imposuit. Vnde adhuc appellatio *Ottensund*, hoc est, fretum Ottonis à victoriâ Imperatoris manet in hodiernum diem. Lanceam autem illam quam gestare solitus erat, Otto ab Henrico Patre accepit, qui à Burgundionum Principe Rudolpho partim precibus, partim minis illam extorsit, vt Sigebertus de hac Lancea memoriæ prodidit. *Lanceam mirandi operis ex clauis Iesu Christi sanctificatam quæ dicitur primi & Magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundiorum & Italiæ à Sampsone Comite,*

Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum à Rudolpho extorquet & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris reliquit. Lanceam autem Constantini Filij, Helenæ iussu confectam esse, ferunt. Fuit autem in medio lanceæ spina expressa, & circumcirca foramina instar fenestrarum. In medio autem spinæ, crux ex clauis conflata, quibus clauis Saluatoris nostri manus & pedes Iudæi confixerunt & perforarunt. Monet hic tamen Cæsar Baron. Annal. Eccles. tom. 10. ad annum Christi 928. *Quod (scilicet apud Historicos) dicitur ex clauis Dominicis illam esse confectam, verius puto esse dicendum ex aliqua parte claui alio ferro coniuncta illam elaboratam.* Huic autem lanceæ singularem quandam efficaciam, & diuinũ quiddã inesse, pia & veneranda sensit atq; experta est Antiquitas: vt de hac lãcea imprimis in gestis S. Gerhardi Abb. Bronienſis, qui tunc temporis singulari pietatis ac sanctitatis laude ac gloria eminuit, præclarè scribitur ac commemoratur apud Surium tom. 5. d. 3. Octob. *Henricus Rex Ottonis Saxonum Ducis filius, vt erat Deum timens, & amator Religionis Ecclesiasticæ, vbi percepit Rudolphum Burgundionum Regem habere tam cœleste & inæstimabile donum, quod idem Rudolphus pro summo amicitiæ munere à Samsone Comite acceperat, missis ad eum Legatis, tentauit multis oblatis muneribus, si ab illo impetrare, sibiq; aduersus tum inuisibiles, tũ visibiles hostes arma inuictissima, triumphumq; perpetuum comparare posset. At Rudolpho Rege id se nulla ratione daturum asseuerante, modis omnibus Henricus Rex, quem muneribus emollire non posset, minis intentatis frangere conatus est, affirmans se omne eius Regnum ferro, & flammis vastaturum. Sed quia illud quod petebatur munus eiusmodi erat, quo olim Deus terrena cœlestibus vtraque pacificans, coniunxit, Rudolphi Regis animus tandem diuinitus est emollitus, ita vt iusto Regi iusta petenti annueret. Quo autem amore donum hoc eximium*

mium Rex Henricus complexus sit, hoc ipso vel maximè declarauit, quod non modo auri & argenti muneribus Rudolphum Regem honorauit, verum etiam Sueuiæ Prouinciæ non minima donauit parte. Deus autem qui cordium inspector est, & bonas muneratur voluntates, qua mercede, huius rei causa, pium Regem Henricum in æterna vita affecerit, quibusdam indicijs etiam in hoc seculo, prodere voluit, quando hostes in ipsum incurrentes hoc victorioso præeunte signo semper terruit, atque fugauit. Tali igitur occasione, diuina fauente voluntate, Sanctam illam lanceam Rex Henricus adeptus est: quam filio, de quo nobis inpræsentiarum sermo est, è vita decedens dereliquit, vnà cum regno, non minori veneratione ab eo conseruandam, vti non paucæ testantur victoriæ, quas per eam orando obtinuit. (De lancea illa vide vlterius *Abbatem Stadensem fol.*101. *latè, Domini lanceam appellat. & fol.*104. *& Luitbrandum Ticinensem latè lib.*4. *cap.*11.12. *& VVitichindum lib.*1. *fol.*12. *qui lanceam sacram appellat. & fol* 43. *Et his dictis arrepto gladio & clypeo, ac sacra lancea, ipse* (Otto) *primus equum in hostes vertit, fortissimi militis ac optimi Imperatoris officia gerens.* (*VVitich. fol* 43.)

Haraldus etsi maximè eâ clade consternatus esset, tamen Ottoni ex Daniâ in Germaniam redeunti, prope Slesuicum valida copiarum manu stipatus occurrit, & cum eo maxima & acerrima acie contendit. Ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est. (*Saxo lib.*3. *Helmold. f.*21 *& c.*9.) Sed Dani postquam Saxonum impetum diutius sustinere non possent, tandem terga vertere, & in naues, quas in portu Slesuicensi & Sliâ flumine instructas habebant, sese recipere ac confugere coacti fuerunt. (*A. c.*2.2. *Annal. fol.*106.) In eo prælio, Danorum circiter millia quatuor ceciderunt. Ibi tum Haraldus victus, & vt quidam volunt, captus, pacis conditiones ab Ottone propositas accepit, & inter alias, vt regnum ab Im-

peratore in feudum reciperet, & Christianam Religionem profiteretur. (*Helmold. ijsdem verbis cap.9. Annal.fol.106. Haraldus Ottoni subijcitur, & ab eo Regnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. c.2.2. Seruantur in Bremensi Ecclesia præcepta Regis, quæ signant Ottonem Regem in sua ditione Regnum Danicum tenuisse, adeò vt Episcopatus ille donauerit. ibi. o.1. Helmold. Vigmannus, cum Imperatoris Ottonis reuersio differretur, ad aquilonares partes se contulit, quasi cum Sege Danorum Haraldo bellum ab integro machinaturus. At ille mandauit ei, si Ducem necasset, vel alium quemlibet Principum, nosset sine dolo, quem sibi sociare vellet, aliter rem fraudulenter agitasse non dubitaret. Interea ab emptore prætereunte latrocinia eius produntur, sociorumq́; alij comprehensi, & tanquam contra publicam rem agentes, à Duce damnati vitam strangulo perdiderunt. Ipse autem cum fratre vix euasit. VVitichind, lib.3. fol.47.*)

Quod cum se facturum recepisset, lauacro sancto ablutus fuit, vnà cum vxore Gunildâ & Filiolo Suenone, quem Otto sacro fonti à se admotum de suo nomine Suen-Ottonem appellari voluit, duobus nominibus in vnum coalescentibus. Ab Adaldago autem Haraldum baptizatum & religione Christiana imbutum fuisse, memoriæ proditum est. Idq́; circiter annum à nato Christo 946. Etsi autem vt diximus, pacis conditiones ab Ottone oblatas inire atq; acceptare coactus fuit Haraldus, interim tamen limites, quos Carolus Magnus constituerat, integri atq; immutati permanserunt, nimirum vt Regnum Daniæ Eidora flumine terminaretur, quod Henricus Auceps Sliâ & Hexamilio concluserat. (*VVitichindus lib.1. fol.15. Ad Oram quoque fluuium Danorum Imperium, erat legendum. Ad Eidoram quoque flurium.*) Sed & Marchionatum institutum passus est Otto Imperator antiquari, & veteri iure & consuetudine regionem

illam

illam administrari, quod putaret gentem fortissimam melius mansuetudine, quàm ferro, sub iugo contineri posse. Ita & ciuitas Slesuicensis & Ducatus in Regis manſit ditione & potestate, qui ibi præfectum constituit, quemadmodum ipsius Maiores, & qui successerunt Reges facere soliti fuerunt, quoad illa Iutiæ pars in Ducatum Slesuicensem euecta fuit. Nam & à primordio Regni Daniæ id obseruatum fuisse, testantur Historici. Et quidem regnante Vigeberto, & qui ei successit Wermundo, hoc est anno ante Christum natum 184. Ciuitas Slesuicensis Præfectum habuit virum clarissimum Frovvinum, quem etiam Wermundus Rex sibi affinem adsciuit, filia eius filio suo Vffoni in matrimonium collata, Illustrissimi viri affinitate vtilissimum regni gerendi subsidium recepturo, *vt verbis Saxonis vtar lib.* 4. Frovvinus autem postea ab *Atislo Sueco*, cum quo singulari certamine congressus est, occisus est, relictis duobus filijs *Ketone & VVigone.* Quorum alter *Keto* nimirum & ipse Slesuicensium Præfectus fuit, *de quo multa Saxo.* Ita & ciuitas Slesuicensis regnante Nicolao Præfectum Elinonem nomine habuit, de quo suo loco. Quis autem Vrbi præfuerit Haraldi tempore, hactenus non repperi. *Et de his hactenus.* Atque ab eo tempore Chersonesus Cimbrica Idolatriæ & Paganismo valedixit, & Christiana Religio florere cœpit. (*Helmold.* 9.) Nam & Otto eadem tempestate tres Episcopatus fundauit, Slesuicensem, Ripensem, & Arhusiensem, eosque Archiepiscopo Hamburgensi, tanquam Metropolitano subiecit. (*Eo tempore Dania Cismarina, quam Iutland incolæ vocant, in tres diuisa Episcopatus, Hamburgensi Episcopatui subiecta est. cap.* 2. *libr.* 2. *Abbas Stadens. fol.* 106. *& Helmold. cap.* 9. *Dania plenè recepit fidem, & diuisa in tres Episcopatus Hamburgensi Metropoli subiectos, &c.*) Cui etiam potestatem fecit

mittendi Episcopos in Ducatum Slesvvicensem, Idq; longo tempore obseruatum fuit. Qua de causa Agapetus Papa Hamburgensi Eccleſiæ garatulatur, de gentium ad fidem Christianam conuersione, & omnia quæ à Prædecessoribus suis Gregorio, Nicolao, Sergio, & cæteris Pontificibus, Archiepiscopatui Bremensi concessa sunt, ipse Episcopo Adaldago largitur & concedit. Et inter alia, ei ius ordinandi Episcopos sua vice, tam in Dania, quàm in aliis Septentrionis regionibus, Apostolica authoritate tribuit. (*Ad.c.2.2. Annal.fol.* 106.) Quamuis tandem aliquot annos post, beneficio Pontificis Romani, Ducatus Slesuicensis vnà cum Dania à Iurisdictione Hamburgensi exemptus sit, vt infra suo loco demonstrabimus. Haraldus autem Christianitatem, quam semel amplexus erat, in Regno suo latissimè propagauit, & constanter retinuit. Vnde Regnum suum sanctitate & iustitia confirmans, vltra mare in Nordmannos & Anglos suam dilatauit potentiam. *Ad.c.* 15. 2. Angliam etiam annos centum, post mortem Gudredi in Ditione & potestate Danorum permansisse refert, *Adam.* 15. *cap. libr.* 2, atq; eo tempore Haraldum Heringum Filium, cum exercitu in Angliam misisse, qui Insula subacta, tandem à Nortumbris proditus sit, & occisus.

CAPVT IX.

Otto vocat Marcum Frimus, dum colla repreßit
Sclauis, mox Danum vicit & ipse ferum.
Quem, docet vt Vagriam, Slesuicum iußit adire
Cæsar, fundarat nam tria templa pius.

A. C. 946.

ADALDAGVS itaque primus, in Ducatu Slesuicensi & Dania, Episcopos ordinauit & consecrauit.

crauit. Idque Imperatoris Ottonis iuſſu & mandato. (*De Adaldago Stadenſis. Tribus Ottonibus, fortißimis atque iuſtißimis Imperatoribus carus & familiaris erat Adaldagus, pro virtutum merito, & doctrinæ magiſterio, vt à latere eorum vix aut raro diuelleretur. fol.*109. *Igitur Adaldagus omnium primus ordinauit in Dania Epiſcopos, Haraldum in Sliaſvvig, Liafdagum ad Ripam, Reinhardum ad Arhuſam. fol.*106. *Annal.*) Adaldagus autem ex nobili familiâ *Meindorfiorum* prognatus, ex Canonico Hildesheimenſi exortus eſt Cubicularius, & poſtea Cancellarius Ottonis primi Imperatoris, totiusque Imperij, idque ex commendatione Cognati & Præceptoris ſui Adelvvardi Epiſcopi Ferdenſis. Hic Marconem nobili genere oriundum, Epiſcopum Sleſuicenſem conſtituit, Idque anno Chriſti 946. vel ſecundum calculum Chronici Bremenſis anno 952. (*Marco præfuit annis* 19. *& fuit Epiſcopus Sleſuicenſis ſecundus. nam ante ipſum Ericus præfuit. Helmold. c.*12.) *Genere illuſtris, ætate iuuenis, decorus ſpecie, morumq; probitate ſpecioſior. Ad l.*2. *c.*1. Marco propter ſummam eruditionem, pietatem, & in rebus agendis dexteritatem, apud Ottonem, principem locum obtinuerat, & Cancellarij munere functus erat. Sed & eius opera & conſilio Otto Secundus, & Tertius, quoad vixerunt, vſi ſunt. Quibus de cauſis Otto Imperator Aldenburgenſi vrbi eum Pontificem dederat, eiusque ditioni omnem Obotritorum regionem vſque ad Penim fluuium, & oppidum Deminum ſubiecerat. Nam Slauis deuictis & ſubiugatis, vrbs Aldenburgenſis, quæ in Wagria ſita eſt, & Stargardia lingua Slauonica, hoc eſt vrbs antiqua appellata fuit, Chriſto nomen dederat, vnà cum numeroſa eius Regionis plebe. Ea autem tempeſtate, vrbs Sleſuicum Imperio Romano ſubiecta, ſuperiorum temporum bellis direpta, ageraque omnis qui à lacu Slia ad Eidoram protenditur

vastatus & incultus erat, qui alioqui optimus & fertilis est, vt & vbertate & varietate fructuum & magnitudine pastionis facile solo Holsatico antecellat. Ita & Wagria, quæ & ipsa bonitate agrorum & copia fructuum abundat, à plebe & cultura hominum deserta erat. Quibus rebus fiebat, vt Episcopus prouentus nullos, vel exiguos saltem haberet, vnde sese aleret ac sustentaret. Eam ob causam, & quòd Marco vir experientissimus & industrius esset, ei & Episcopatus Slesuicensis commissus fuit (*Ciuitatem opulētißimam Slesvvic eiusdem Marconis iuri delegauit Imperator. Helmold. Qui præfuit annis* 19. *vt Frater meus notauit ad Helmoldum.*,) Huc accedebat commendatio sanctitatis, pietatis, & diligentiæ, quam in erudiendis Wagriæ & Obotritorum populis adhibuerat, vt quos ipse primus religione Christianâ imbuerat, & baptizârat. Quod & ipsum Marco, quamdiu Slesuicensi Ecclesiæ præfuit, magnâ cum laude exequutus est, docendo, prædicando, baptizando, remque diuinam faciendo vsque ad extremum vitæ spiritum, magnaque fide & constantiâ, quâ præditus, pericula quæ sibi imminebant, spreuit atque contempsit. Tandem post multos labores exantlatos, placidè in Domino obdormiuit Marco, & sepultus est. Eo autem mortuo peculiarem nacta est Ecclesia Slesuicensis Episcopum, vt deinceps ostendemus. (*Post obitum Adaldagi tota regio Iutlandiæ in duos Episcopatus bipartita est, tertio apud Arhusen desiciente. Annal. fol.* 113.) Atque ab eo tempore vnà cum Religione Christianâ, læta quoque & optata pax florere cœpit, cuius commoda ac beneficia experti sunt & Wagria & Dito Slesuicensis. Eo.n. tempore vrbs Slesuicum cum ditione adiacente, quæ à lacu Sliâ ad Egdoram fluuium protenditur, Romano subiecta erat Imperio, habens terram amplam & spatiosam, frugibusq; fertilem & copiosam, sed maximè

mè desertam, eò quòd inter Oceanum & Balthicum mare quotidianis excursionibus & insidiarum iacturis attereretur. Postquam autem misericordia Dei, & virtute Magni Ottonis pax omnia possedit, desertæ Wagriæ & Slesuicenses Prouinciæ habitari cœperunt. *Helmold.* Vsque adeò vt nullus penè locus, quantumuis exiguus reliquus fuerit, qui vrbibus, vicis, & ædibus sacris non esset ornatus. Quæ omnia Dei benignitati, & Ottonis pictati & sapientiæ accepta referenda sunt. (*fol.* 11. *Helmold.*) Atque harum vrbium & habitationum inditia in Syluâ, quæ ab vrbe Lucilenburgâ (Crantzius Luttelenburg nominat in Vandaliâ) Slesuicum vsque porrigitur, deprehendi posse scribit Helmoldus. (*Cap.* 49. *Helmoldus Lutilenburg appellat. Albertus Crantz. lib.* 6. *cap.* 14. *Lutkenburg legit; Kanutus interfectus est in vrbe Lutilenburg. cap.* 31. *Helmold. c.* 57. *Percußit omnem terram Planensem, Luttilenburgensem, Aldenburgensem, omnemq; regionem quæ inchoat à riuo Sualen, & clauditur mari Balthico & flumine Trabena. Idem Helmoldus cap.* 84. *Oportunum videbatur, vt ædificaretur Ecclesia in Lucelenburg & Rathecoue. Creuit ergo opus Dei in terra VVagirensi. Et cap.* 95. *Dominus Episcopus venit in Lucelenburg, perlatusq; Bozoue multis illic diebus decubuit.*) Cuius vasta solitudo, & vix peruia, inter quercus maximas, sulcos, quibus iugera ipsa quondam diuisa fuerint, indicet & ostendat. Et ego quidem Helmoldi verba de Syluâ illâ accipienda existimo, quæ & nostrâ ætate latissimè patet, hoc est, milliaria, si rem ad amussim examinare volumus, septem vel octo, ab vrbe nimirum Kilonensi, vbi initium est Danici saltus, (vulgo der Denische Waldt) qui deinde Huttam, Bustorpium, Gottorpiam, vbi Pola nominatur, protenditur tractu longissimo, & continuo, & quidem milliarium, vt diximus, octo vel nouem. Atque in his syluis vrbes quoque sitas fuisse, idem

Helmol-

Helmoldus autor est, idq; ex ruderibus, & vallorum reliquijs, & structurâ, nec non ex riuis, in quibus aggeres in vsum molarum aquis colligendis congesti sunt, haud obscurè colligi potest, omnem autem saltum à Saxonibus habitatum fuisse, constat, Nam Germani & Saxones. quos Augustus, teste Suetonio *cap.* 11. trans Albim fluuium summouit, in Holsatiâ, Wagriâ, & Ducatu Slesuicensi confederunt multos annos. Et tandem Britanniæ Insulæ opibus & commoditate allecti, relicto solo Patriæ, Britanniam occuparunt. Ita factum est, vt Wagria & Ducatus Slesuicensis incolis vacuus, desertus iaceret. Atq; hoc ita se habere, testimonio & authoritate *Bedæ* comprobatur, qui *libro* 1. *cap.* 15. ita scribit: *Angli de Patria illa, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vsque manere deserta inter Prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, &c.* Quamuis alij *Iutarum* legendum censeant. Ego verò *Vitarum* vocabulum retineo. Nam adhuc in Ducatu Slesuicensi reliquiæ exstant *Vitarum*. Hinc *Sundvit*, quasi dicas *Vitæ australes* Vide Cambdenum fol. 58. (*VVagerlandiam dictam existimo à voce* Wagen/ *Germanica & Saxonica, quod Latini periclitari dicunt. Vnde* Wagehelse / *qui lucri causa in discrimen vitam & fortunas adducunt & periclitantur. Quales fuisse illos, qui in Angliam inuaserint, verisimile est.*)

CAPVT X.

DANIA pacata, Ecclesijsq; constitutis, Otto Imperator in Germaniam rediit. Haraldi Regis mater, *Thyra*, vidua Gormonis, quam Saxo *caput maiestatis Danicæ* appellat, cum videret, excursiones & irruptiones quotidie à Ger-

à Germanis alijsq; fieri, secum deliberare cœpit, quanam ratione huic malo occurri posset: eoque magis, quòd indignè ferret, Danicam gentem, quæ hactenus exteris terrori fuisset, & finitimis bella intulisset, nunc eò redactam esse, vt ægrè hostem suis finibus prohiberet, & regionem ab iniuriâ defenderet. His rebus permota, popularibus & subditis suis autor fuit, & suasit, vt vallum à mari Orientali ad Occidentale excitarent & ducerent, quo Isthmus Cimbricæ Chersonesi clauderetur, & contra incursum hostium muniretur. Hac enim ratione posse excludi exteros, quòd vallo clausa Peninsulâ, nemini aditus pateret. Id hoc facilius eis persuasit, quòd Isthmus Chersonesi, hoc est, Intercapedo & terra inter duo illa maria, vnius saltem esset milliaris Germanici, ideoque nullo negotio contra transgressionem Germanorum sepiri ac muniri posset. His rebus adducti, & authoritate Reginæ permoti, opus illud admirabile & æternâ memoriâ dignum, aggredi constituerunt. Et vt in opere tanti momenti, laboris æqualitas seruaretur, anguſtias illas Isthmi inter se partiti sunt, idque sortibus opere diuiso. Quarum vna pars Scaniæ, alia Selandiæ, terra Fioniæ excitanda atque vallanda sorte obtigit. Scaniæ illa pars cecidit, quæ à portâ illâ, quæ vulgo *Kalegatum* appellatur, *Hollingstedium* vsque protenditur: Selandis autem & Fionibus portio illa, quæ à portâ versus Sliam vergit, obuenit. Cuius rei adhuc vestigia euidentissima supersunt, & antiquitatis studioso ad oculum demonstrari possunt. Et quò cibariorum copia suppeteret, commeatum ad alendam multitudinem eorum qui foderent, & opus facerent, Iuti & Slesuicenses subleuarunt, & comportarunt. Vallum autem etiam fossa alta circumdederunt & cinxerunt, quæ adhuc vbique conspicitur. Murum multis post annis, Waldemarus

Rex,

Rex, deuictis Slauis, ductore Absalone Episcopo Slesuicensi, pro sua in Patriam pietate & beneuolentiâ ex cocto latere conflatum, excitauit, & vallo imposuit; vt potius valli occidu os lapsus, solidior nouæ molis structura reficeret, quàm debilem eius situm crebrior in posterum ruina submitteret, vt Saxo loquitur: & quod Slaui, quos Carolus Magnus in transalbinam Saxoniam traduxerat, Ducatum Slesuicensem assiduè excursionibus vastarent, ita vt solitudini penè simillima esset. Murus ille multis in locis septem pedes latus, & octodecim altus adhuc hodie deprehenditur, quamuis magnâ ex parte lateres eruti, & murus dirutus sit, ita vt saltē rudera supersint. Nā ex lateribus illis templum Suesingense conflatum & exstructum est, & omnes penè furni, quibus panem in locis vicinis pinsunt & decoquunt agricolæ, ex ijsdem lapidibus compacti sunt. Lateres in pago *Schubuia & Hesbuia* cocti fuerunt. Nam & ibi fornaces lateritiæ & calcariæ fuerunt, quarum adhuc hodie vestigia ibi videre licet. Calcem ex Gotlandia comportarunt, & nauibus aduexerunt. Vallum in summitate latitudinem habet triginta, quadraginta, & quibusdam in locis quinquaginta pedum. Longitudo est vnius milliaris Germanici, vel sex Italicorum, vt rectè Hexamilium dici possit, quo nomine murum in Peloponneso appellarunt, vt deinceps ostendemus. Vallum quà Orientem solem spectat, initium capit à flumine Sliâ, & per dorsum Chersonesi protensum vergit ad Occasum *Hollingstedium* vsque, idque paludes, quas æstus maris Occidentalis ad flumen *Threnam* efficit, excipiunt, & hac ratione à parte maris vnâ, ad alseram vsque Peninsulam claudit. Porta vna in medio relicta fuit, per quam transitus daretur, quam *Kalegatum* nominant, appellatione inde petitâ, quòd in loco vndique patenti & aperto, nullisque arbo-

ribus

ribus aut syluis impedito, ea sita sit, quasi dicas, Kael/ schlecht/ vnd offen. Arcem etiam vel Castellum adhuc hodie monstrant, vbi Thyra domicilium habuerit, non procul à pago *Denenvverko* paruo, quod vallo contiguum est & cohæret, idque adhuc, ea quæ supersunt rudera, & vallorum vestigia & fossæ ostendunt, vt certum sit Tyram in ædificationem valli multum operæ posuisse, omnique curâ incubuisse, vt eo Peninsula clauderetur, & muniretur, ad exemplum eius valli, quod ab Imperatore Seuero in Britanniâ ductum, Scotiam ab Anglis diuidit, (*vulgò vallum Seueri, Seuers Vvahl appellatum*) & vtramque regionem ab incursionibus tutam reddit. (Vide *Camdenum fol.* 31. *Habitabant, inquam, Romani intra vallum (quod Seuerum trans Insulam fecisse commemorauimus) ad plagam meridianam, quod ciuitates, fana, pontes, & statuæ ibidem factæ testantur.* Et *fol.* 32. *Adrianus murum* LXXX. *mille passuum primus inter Barbaros Romanosq; duxit, & fol.* 34. 38. *ac* 43.) Quod Tyræ, vt quæ in Angliâ nata & educata esset, cognitum & exploratum fuit. Etsi plerique rerum Gallicarum authores non contemnendi, Tyram huius operis inuentricem atque authorem primam non fuisse tradant: quòd vallum illud multis ante annis & penè ducentis, temporibus nimirum Caroli Magni inchoatum, & ædificari cœptum sit. Inter quos *Annonius lib.* 4. *Historiæ Francorum de Vallo* ita scribit; *Godefridus limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, vt ab Orientali maris sinu, (quem illi Ostersolt nominant) vsque ad Occidentalem Oceanum, totam Eidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, vna tantùm porta dimissa, per quam Carra & Equites emitti & recipi possent. Diuiso itaq; opere inter Duces copiarum, domum reuersus est, &c.* Huc vsque Annonius. Quibus consentanea tradit Paulus Æmilius lib. 3. his verbis; *Danorum*

Rex

Rex Godefridus finibus suis non contentus, dum Imperium Germaniæ bellis Francorum fessæ, spe sibi destinat, congredi cum Carolo ausus, terra victus, quòd Peninsulam incolens, mari se plus valere putaret, Daniam quà Francorum bello patebat, fossa aggereq; ac vallo præmunijt, vna omninò porta relicta, intraq; munitiones ad Oceanum vsque vtrimq; promotas, retraxit Emporium (Slesuicum scilicet) multarum gentium conuentu frequens. Sed & mari mox victus, positis cum vana spe ferocioribus animis, supplex pacem petens, impetrauit, &c. Hactenus Paulus Æmilius, qui vnà cum Annonio verissima de hoc vallo tradit. Nam & portæ reliquiæ, & vestigia adhuc cuiuis obuia sunt, & transitum præbent illis, qui ex Holsatia & locis finitimis Flensburgum iter faciunt. Vulgus, vt supra annotauimus portam *Kalegatum* nominat, quasi dicas *portam carbonum*, vt quidam censent, (Cimbri enim *Kalen*, carbones, & *Gat* foramen appellant) quod per eam portam, *Hollingstedio*, *Ellingstedio*, & vicinis locis nemorosis, carbones in pagos & oppida inuehantur. Quod friuolum est, & nulla ratione nititur. Verisimilius est, à voce Kahl / quod nudum, detectum, & apertum significat, nomen portæ impositum esse, quod ibi locus spatiosus & patens sit, nullisque arboribus impeditus, (daß da eine grosse reume sey) vt longè lateque circumspiciendi vndique copia detur. (Omnia iam vepribus & dumis obsita.) Itaq; si Gallos tanquam bonos authores sequamur, primum eius operis inceptorem & authorem Godefridum constituamus necesse est. Nam fœmineum id esse inuentum vt credam, vix adduci possum. Interim tamen Thyræ non minor laus tribuenda est, quæ vt Patriæ Regnique salus in tuto collocaretur, (quod inprimis Principi curæ esse debet,) opus illud ante annos ducentos, plus minus, inchoatum, & haud dubiè collapsum & attritum, refecerit & repararit, ad

exclu-

excludendos Saxones, Slauos, & Germanos, qui quotidie in Ducatum Slesuicensem excurrerent & irrumperent. Cui postea, vt supra demonstrauimus, murum Waldemarus adiecit & superædificauit, & portam clausstris cinxit. Sed & Regina Daniæ Margareta, quam Nigram nominant Scriptores, vallum tertiò reficiendum & instaurandum, murisq; & fossis pedum viginti muniendum curauit, idque circiter annum à nato Christo 1185. Canuto Waldemari Filio regnante, hoc est annos 380. post, quàm Thyra Regina vallum instaurauerat, temporibus nimirum Friderici Primi Imperatoris Romani. Cuius adhuc vestigia satis multa supersunt. Et hæc quidem de vallo illo, quod *Dennevverkum* nominat vulgus, quæ partim ex Historijs conquisiuimus, partim diligenti inquisitione ac percontationibus accepimus, commemorare visum fuit. Quod Dani exemplo aliarum gentium, hostis propulsandi, patriæque in tuto collocandæ causa, exædificarunt & struxerunt. Nam si quis existimat, Danos solos Chersonesum Cimbricam aggere & vallo clausisse, is longè fallitur, cum constet Græcos duobus in locis idem tentasse & perfecisse, quemadmodum ex Herodoto & Xenophonte, alijsq; colligere licet. Ita Dercyllidas, cum Thraces Chersonesum infestarent, eam à parte maris vna ad alteram muro sepiuit, *teste Xenophonte libr. 3. Historiarum Græcarum (fol. 380.)* Et Miltiades Isthmum ab vrbe Candiâ ad Pactium mare præsepsit, ne Absynthij excursionibus regionem vastarent, qui triginta stadiorum est *vt Herodotus tradit. (lib. 6.)* Ita Absynthios cohibuit, ne excurrerent. Omnium autem Isthmo nostro simillimus est Corinthiacus, in ea parte Græciæ, quæ Peloponnesus, nunc Morea appellatur, & omnium scriptis celebratur, siue situm respicias, siue latitudinem. Nam & hic inter duo ingen-

tia maria Ionium scilicet & Ægeum iacet; de quo *Ouidius*:

Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmum,
Et tenuis tellus audit vtrumq; mare.

Et latitudinem habet eandem, quadraginta nimirum stadiorum, vt *Hermolaus Barbarus* notauit, quæ quinque Italica milliaria conficiunt, alij sex milliarium spatio eum definiunt. Vnde & murum, qui à mari ad mare in Isthmo Corinthiaco deductus est, castrensi vocabulo Hexamilium vocarunt, atq; nos, Græcos sequuti, & vallum Danorum Hexamilium nominamus. *Strabo lib.* 8. διόλκον nominat, per quem à mari ad mare plaustris nauiculas transuehere solent, periculi vitandi & compendij causa, eumq; πεντήκοντα, hoc est quinquaginta stadiorum esse scribit, vt & *Paulus Iouius*, vocabuli originem rationemque sequutus. Murus autem ille multis ante Christum natum annis ædificari ceptus est, & quidem Xerxis tempore. Nam cum è Græcia in Peloponnesum bello Persico frequentes irruptiones fierent, Peloponnesij, quò patriam in tuto collocarent, consternati clade Spartani Leonidæ, apud Isthmum congregati communibus suffragijs murum à mari ad mare ducere decreuerunt, hoc est à Lechæo ad Cenchræas *teste Diodoro lib.* 11. Quod opus aggressi, aliquot hominum millia dies ac noctes continuos sine vlla quiete elaborarunt, alijs ligna, alijs lapides, alijs lateres, alijs corbes harena repletos comportantibus & conuehentibus. Itaque intra dies pauciſſimos murus ille stetit. Populi, qui opus fecerunt, apud Herodotum in Vrania enumerantur. Quem tamen Athenienses, bello Peloponnesiaco victores, postea demoliti sunt, quod causarentur, se illo opere Persis proditos fuisse. Murus autem ille postea reædificatus, vsque ad Patrum nostrorum memoriam stetit, & quidem vsque ad annum redemptio-

demptionis nostræ 1453. Quo tempore Amurates Imperator Turcarum, quò facilius Peloponneso potiretur, Hexamilium demolitus est, & Peninsulam vastauit, incolis partim interemptis, partim in seruitutem abductis. Veneti autem post acceptam hanc cladem Hexamilium destructum intra decimum quintum diem restaurauerunt, opera 40000. hominum, quos muro sarciendo & redintegrando adhibuerunt. Et ita semper Turcis atque Christianis inprimis curæ fuit, Hexamilium vel reficere vel demoliri; quòd in eo magnam vim ac præsidium positum esse animaduerterent, ad impetum hostium sustinendum, & ab ingressione propulsandum. Atque in ea re explicandâ, longiores, quàm par est, fuimus, his de causis, vt ostenderemus Corinthum & Slesuicum vrbes, & vtriusque Isthmum rectè inter sese conferri posse, quòd in multis conueniant. Et primùm in eo, quòd vtraque vrbs in Isthmo, inter duo amplissima maria sita sit. Item quod multi Isthmum perfodere conati sunt, ita & Cimbricum. Deinde, quòd vtriusque Isthmi, hoc est, terræ angustæ inter duo illa maria, intercapedo & spacium, eiusdem sit latitudinis, hoc est, sex vel quinque milliarium Italicorum. Tertiò, quod & Græci & Dani Isthmum muro & vallo cinxerint & sepserint. Item, quod vtraque vrbs, omnium testimonio, florentissima, potentissima, & amplissima fuerit, Postremò, quòd variam vtraque experta sit fortunam, & tandem deleta & prostrata iaceat, ita vt emergere non possit. In eâ autem re Græcis Dani anteponendi videntur, quòd Isthmum non tantum muro, sed & vallo fossisque altissimis clauserint. Illud etiam addendum videtur, quod & supra attigimus, Imperatorem Seuerum in finibus Scotiæ & Angliæ vallum excitasse, atque ædificasse contra Pictonum & aliarum gentium incursiones, quod Sco-

tiam ab Angliâ interfluente flumine Tueda diuidit. Quæ omnia hic congerere, opere pretium visum est, vt ostenderemus Danos, neque nouum, neque temerè quidquam tentasse, quod vsum nullum præberet; sed quod ab alijs, & quidem à Græcis, qui omnium hominum sapientissimi habiti fuerunt, antea factitatum esset, idque patriæ conseruandæ & in tuto collocandæ causa, idem quoque illos effeciisse ac præstitisse. Ideoq; laudem maximam, & memoriam sempiternam adeptos esse, quàm, quoad operis istius reliquiæ vllæ, aut vestigium supererit, nulla vnquam delebit obliuio: culpandam autem posteritatem, quæ vallum vnà cum muro diruendum & exscindendum permiserit, quem absque vllis sumptibus & labore sartum tectum integrumq; conseruare & debuissent & potuissent. Imò opus illud per seipsum constare, seque tueri potuisset, quòd ea esset firmitate, modo ab eo demoliendo & violando vulgus manus continuisset, idque Principes edixissent. Et hæc de opere Danorum satis superq;. Nuuc ad institutam narrationem redeamus.

CAPVT XI.

Pax placida vt fuerat Danis, tunc Præsul Haraldus.
Vt populo tradat dogmata sancta, venit.
Natus at expulso Genitore, fideq; negata
Christi, contemerat sacra rapitq; bona.

A. C. 951.

MARCONE Episcopo defuncto, Ecclesia Slesuicensis peculiarem adepta est Episcopum Haraldum, qui ab Hadaldago Meiendorfio Slesuicum missus fuit, vt Eccle-

Ecclesiæ & Episcopatui præesset. Fuit hoc anno à Christo nato 951. (*Annal. fol.* 106. *Defuncto Marcone, Slesvvic singulari Pontifice honorata est. Helmoldus cap.*12.) Nam Hadaldagus cum videret verbum Dei disseminatum quotidie crescere, messem illam minimè negligendam existimabat. Idque quòd Haraldus Rex Christo nomen dedisset, & quòd iam bello confecto paceque constitutâ, finibus Regni muniendis, valloq; claudendis Dani occupati essent, & tranquillitas quædam Ecclesiæ obtigisse videretur. Itaque Haraldum Episcop. qui idem cum Rege nomen haberet, & tam eruditionis præstantia quam vitæ morumq; integritate conspicuus esset, designauit & delegit Hadaldagus, qui illam docendi prouinciam in Ducatu Slesuicensi susciperet. Is est, ni fallor, quem Saxo Haricum nominat, & alij omnes. (*Ada.c.*2.*lib.* 2. *Adaldagus primus ordinauit in Daniam, Haraldum in Slesuich, Liafdagum ad Ripam, Reginbrandum ad Arhusiam. Quibus etiam commendauit illas Ecclesias, quæ trans mare sunt, in Fionia, Selandia, Scania, ac in Suenonia. Id factum est anno Adaldagi* XII. Et *cap.* 16. *libr.* 2. *Ada. Episcopi qui in Daniam ordinati sunt, vt Hared, Liafdag, Reginbrand, & post eos Harig, Stercolf, Folgbract, Adalbrig, Mera, & alij. Annal. fol.*110. *Cæterorum verò Episcoporum vix aliquem sic clarum prodidit antiquitas, præter Liafdagum Ripensem, qui & miraculis celebris fuit, & transmarinis prædicauit Sueonibus & Normannis.*) De Haraldo Rege narrant Historici, eum tanta erga Deum religione & pietate fuisse, vt inter omnes Reges, plaga aquilonaris, qui cum eo conferri possit, habuerit neminem. Nam in hoc vnum incubuisse fertur, vt Regnum Daniæ viris religiosis & sacerdotibus, qui verbum Dei disseminarent & publicarent, abundaret, & vt Ecclesia Dei indies magis magisq; incrementa caperet. In rebus autem ciuilibus & politicis, vt & Iure constituendo administran-

doque tanta fuit industria, perspicacitate, & solertia, vt non tantum Dani, sed & Saxones & Frisones, eius Sanctiones & Constitutiones pro legibus seruarint, & adhuc pro autoritate viri easdem saluas inuiolatasq; retineri ac conseruari, summopere contendant. (*Vide Leges veteres Frisonum Salicas.*) Interim tamen, vt sunt humana, variam & ipsemet expertus est fortunam. Nam filius eius Suenotto, in cuius quasi gremio ac amore, Haraldi Patris ætas iam ingraescens placidè ac tranquillè conquiescere debebat, Patrem persequi & oppugnare cœpit, quòd diutius pater superstes viueret, quàm filius vellet atque optaret. Erat autem Haraldus Iustitiæ amantissimus ac obseruantissimus, pietatisq; cultor maximus atque eximius, ita vt apud exteras etiam gentes ob æquitatem gratiosus esset, summoq; in honore ac veneratione haberetur. Qua de causa in odium & inuidiam & Filij & Procerum adductus, maximis incommodis conflictatus est. De Haraldo Episcopo Slesuicensi peculiari, & primo, nihil memoriæ proditum est, nisi quòd commissum sibi munus quàm diligentissimè exequutus sit, & in Ecclesijs constituendis, Deiq; verbo propagando & publicando fidelem operam præstiterit. Cumque Ecclesiæ Slesuicensi decem annos præfuisset, ex hac vitâ in cœlum emigrauerit. Et hæc primordia misericordiæ diuinæ eiusmodi incrementa subsequuta sunt, Dei benignitate, vt ab illo tempore, in hodiernum diem, Ecclesiæ Danorum, multiplici Borealium gentium fructu redundare videantur.

Ad.c.3.2.

***

CA-

CAPVT XII.

Maximus accedit, Regem, tunc flamen Adalgus,
Quem stimulis agitat dira Megæra suis,
Vt grex saluetur Christi, delictaq; culpet
Sæua, sed haud animo gaudia vera capit.

A. C. 961.

HARALDO succeſſit Adaldagus Epiſcopus Sleſuicenſis, vt ex Catalogo vetuſtiſſimo, cuius mihi copiam fecit vir doctus & Mathematicus inſignis M. Petrus Scriba, colligere licet. De eius vita, genere, & rebus geſtis nihil memoriæ proditum eſt. Quibus de cauſis, & quod nemo eorum, quos ego legi, Adaldagi Epiſcopi Sleſuicenſis mentionem faciat, ego adducor vt credam, Adaldagum Archiepiſcopum Hamburgenſem in Catalogum Epiſcoporum Sleſuicenſium relatum eſſe, quòd Epiſcopo Haraldo mortuo, ipſe Epiſcopi partes ſuſtinuerit, & Sueuottem ad pietatem & religionem Chriſtianam, quam abnegarat, retinendam hortatus ſit. Quamuis apud eum nihil profecerit. Item quod Epiſcopos multos deſignauerit, & in Daniam miſerit, quorum nomina apud *Abbatem Stadenſem* exſtant, & hæc quidem, *Hæred* vel *Haraldus*, *Liafdagus*, *Reimbraodus*, *Harigus*, *Stercolphus*, *Folbrechtus*, *Adelbrechtus*, *Merhe*, *Odinkaris*. Et quidem *Haraldus*, vt oſtendimus, *Sleſuicum*, *Liafdagus Ripam*, *Rembrandus Arhuſiam*, *ab eo miſſus, & Eccleſijs præfectus fuit.* (Adamus lib. 2. cap. 16. & Annal. fol. 110.) *Folcbertus in Eccleſiam Sleſuicenſem ſucceſſit Haraldo mortuo*, vt poſtea explicabimus. *Liafdagus ob miracula quæ edidit celebris fuit, & Sueonibus ac Normannis Euangelium publicauit. Odinkarus*

Danus nobili familia prognatus, ab eo in Suetiam missus, munus suum fideliter administrauit, quòd pietate & doctrina præstaret. Aldenburgensem autem Ecclesiam Edoardus adeptus est, qui magnam Slauorum multitudinem ad Christum conuertit, quem & ipsum Adaldagus ordinauit, vt Abbas Stadensis & Helmoldus scribunt. Hoc tempore odium, quod Suenotto aduersus Patrem mente conceperat, in actum erupit. Nam regni cupiditate adductus, Patrem solio imperij pellere ac deturbare cõstituerat, idque de consilio Procerum, qui à Religione Christianâ abhorrerent, & Pyraticam in mari, vt hactenus consueuissent, diutius exercere, grauissimo edicto prohiberentur. Huc accedebat, quòd Haraldus in homines facinorosos & nefarios seuerè animaduerteret; prout à viris Religiosis, Sacerdotibus & Pastoribus, sui muneris ac officij esse, edoctus erat. Haraldus cum videret rem ad bellum spectare, neque vlla ratione componi posse, de consilio eorum, qui fidem, quam semel Regi polliciti erant, saluam ac inuiolatam præstare cupiebant, arma, licet inuitus sumsit, & exercitum collegit. (*Vide Adamum lib. 2. cap. 18. & Annal. fol. 110. Consilium habuit cum his: quos Pater ad Christianitatem inuitos coegit.*) Cumque filius Patri pugnandi ansam præbuisset potestatemq; fecisset, & vterque aciem instruxissent, Haraldus, cui filij salus magis quàm sua ipsius curæ esset, hoc vnum petijt, vt filio parcerent, Dauidis exemplũ in eo sequutus. Et, vt à primo tempore, quo regnare cœpisset, spem omnem & fiduciam in Deo collocauerat, ita & euentum fortunamq; belli vnicè eidem commendabat. Neque tam suum ipsius periculum, quàm filij facinus, & Ecclesiæ persequutiones miserabatur & deplorabat. Acriter vtrimque pugnatum est, multis vulneratis & cœsis. Sed tamen filius in eo prælio victor superiorq; euasit. Haraldus saucius ex acie profugit, & naui conscensa

ſcenſa *Vvinetam*, quæ Slauorum ciuitas erat, & olim *Iulinum*, nunc *VVollinum* appellatur, delatus eſt. (*Olim Iumne appellatam Ada. lib. 2. cap.* 18.) Vbi præter ſpem ac opinionem, quòd homines pagani, barbari, moribuſque inculti eſſent, benigne ac humaniter receptus, paucis poſt diebus ex eodem vulnere deficiens, in confeſſione Chriſti migrauit. Princeps optimus, qui non tantùm Regibus Deo chariſſimis annumerandus, ſed & in Martyrum numerum relatus eſt. (*Helmold, & Saxo lib.* 10. *Ada. Ille noſter Haraldus, qui populo Danorum Chriſtianitatem primus indixit, qui totum Septentrionem Prædicatoribus & Eccleſijs repleuit, Ille, inquam, innocens vulneratus, & pro Chriſto expulſus, Martyrij gloria non carebit. c.* 18. *lib.* 2.) Qua de cauſa & eius memoriam in feſto Omnium Sanctorum, Maiores noſtri celebrarunt. nam eo die obijt. Annos regnauit L. Corpus Roskildiam translatum, in Eccleſia, quam ipſe in honorem ſanctæ Trinitatis ædificauerat humatum eſt. Ad ſepulchrum eius cœcos viſum recepiſſe, aliaq; inſignia miracula edita eſſe, conſtanti fama ac traditione perhibetur. (Ad. B.) Haraldum autem Regem ſaucium interijſſe anno Domini 980. indicant verſus Epitaphij, qui in æde Trinitatis Roſkildiæ adſcripti ſunt:

Poſt natale Dei dum ſcripſimus Octoaginta
Nongentos, meruit ſcandere celſa poli.

A. 19. 2.

Svenotto autem, quòd Patrem ipſius hoſpitio excepiſſent, omniq́ue amore ac beneuolentia proſecuti eſſent, Iulinis bellum indicit, & armis rem vindicare & experiri ſtatuit. Sed prælio victus & captus, vitam redimere & λύτρον perſoluere coactus fuit, magnâ pecuniæ ſummâ expensâ. Ingenti autem hac clade nequaquam perterrefactus, ſui vlciſcendi ac vindicandi cauſa rurſus Iulinos adoritur, belli aleam pe-

riclitaturus. At rursus victus, inq; potestatem eorum redactus redemptionis nomine, Procerum Regni liberos obsides dare cogitur. Qui cum ante pecuniam persolutam, quæ redemptioni dicta erat, liberari non possent, parentes præsidijs & possessionibus ac rure vendito eos redemerunt. Suenotto adhuc sibi victoriam pollicens, bellandi cupidus, tertiùm prælio contendit & vincitur: quòd Deus iniuriam & mortem Patri illatam non pateretur inultam. (*Et hæc nobis, inquit Adamus cap.* 21. *Iunior Sueno recitauit in auo suo contigisse iusto Dei iudicio: quoniam illum dereliquit, quem Pater eius bonum defensorem habuit.*) Ibi tum beneficio & liberalitate matronarum locupletum, captiuitate liberatur. Nam cum Regni Proceres, vt qui magno ære persoluto liberos suos redemissent, in illius redemptionem nec possent nec vellent quicquam amplius erogare & conferre, tandem fœminæ misertæ Regis capti, mundo muliebri, monilibus, & alijs ornamentis collectis, eum custodia liberarunt. (*De Danis cæsis prope Glindesmor, vide Helmoldum, qui* 20000. *interemptos esse memorat.*) Ita Rex, & regno facultatibusque omnibus exutus, conditiones, quas victores præscripsissent, libens acceptauit, & inter alias, Iulinensibus in Regno Daniæ liberè negociandi & versandi copiam ac facultatem permisit ac concessit, iuratusque promisit, sese memoriam omnium offensionum & iniuriarum ex animo deleturum, neque vnquam sui vlciscendi causa quidquam aduersus Iulinenses tentaturum ac moliturum esse. Rex restitutus, quò beneficiorum acceptorum memorem & gratum erga illum sexum sese ostenderet, lege latâ sanxit, vt in posterum fœminæ, eodem Iure quo masculi, in bona tam mobilia, quàm immobilia parentibus & cognatis defunctis succederent. Quo priuilegio adhuc in Daniâ fœminæ fruuntur. Sed & Rex Sueonum

num Henricus, magno exercitu collecto Daniam inuasit, Suenonemque à Deo derelictum, qui in Idolis suis spem collocauerat, fudit fugauitque, & victor Daniam obtinuit. Sueno Regno spoliatus dignam à Deo zelote factis suis recepit mercedem. Et hæc, *inquit Adamus*, nobis iunior Sueno recitauit, auo suo contigisse iudicio iusto Dei, qui illum dereliquit, quem Pater eius bonum defensorem habuit. *A. c.* 21. Anno Domini 988. cum magnam Christianorum persequutionem in Daniâ Sueno Rex exercuisset, supplicibus Archiepiscopus legatis, crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum mansuetum redderet Christianis. Quibus ille reiectis in sua nimirum crudelitate & perfidia sæuire non cessauit. Vnde & vltio diuina Regem Deo rebellem est subsequuta. Nam cum contra Slauos bellum susciperet, bis captus, & in Slauiam ductus, totiesque à Danis ingenti auri pondere est redemptus. Nec tamen adhuc Deum reuereri voluit, quem primò in morte Patris offendit, & deinde in nece fidelium irritauit. Tunc potentissimus Sueonum Rex Hericus, collecto exercitu, Daniam inuasit & occurrit ei Sueno à Deo derelictus. Sed cum vtrimque bello nauali, (sic enim gens illa confligere solet) omnes copiæ Danorum essent obtritæ, Hericus Rex victor Daniam obtinuit. *Stadens. III. folio.* Suein ergo depulsus à Regno, dignam factis suis à Deo mercedem recepit.

Dum Sueno iratum Regem fugit impius, aras
Folcbartus mitra mox venerandus adit.
Vitæ magna suæ sensit discrimina, at acer
Poppo animum Regis mitigat vsque malum.

Anno 964. Folcbertus Episcopus Slesuicensis ab Adaldago, more ac ritu solenni ac consueto creatus & consecratus fuit. Abbas Stadensis Episcoporum nomina, quos Adaldagus in Daniam misit, recensens, & Folc-

& Folcbertum vel Folbrechtum memorat, vt & Catalogus Episcoporum. De cuius ortu, familia, genere,& rebus gestis nihil memoriæ proditum est, nisi quòd summo in discrimine,magnis cum impedimentis conflictatus, verbum Dei propagare conatus sit, sed parum felici successu.Nam Rex Sueno sui vbique similis, Religionem Christianam ,eosque qui illam profiterentur, adhuc persequi non destitit , etsi tot tantisque calamitatibus & miserijs fatigatum ac oppressum,tandem aliquanto mitiorem factum esse,verisimile sit. Mortuo Adaldago, Libentius Archiepiscopus Bremensis Successor, Legatis & muneribus missis, animum Suenottonis crudelem ac sanguinarium placare & Christianis æquiorem reddere conabatur,sed longe obstinatior erat, quàm vt de propositâ sententiâ ac conatu persequendi Christianos,cum vel periculum & calamitates quas perpessus erat, vel monitiones & preces Sacerdotum Dei abstrahere ac depellere possent. Vnde & iusto Dei iudicio in maiores adhuc longeque grauiores incidit miserias & calamitates. Nam à Rege Suetiæ Erico,regno pulsus,& à suis desertus,errabundus & inops auxilij ad Northmannos proficiscitur, vbi tunc Thrucco rerum potiebatur. Is quod à Religione Christiana omnino abhorreret,nulla erga Suenonem misericordia ac compassione efficiebatur. Quâ de causâ ad Regem Angliæ Edoardum (*Adamus Adelraadum Edgaris filium nominat, c.* 25. 2.) auxilium petitum confugit. Edoardus qui memoriâ adhuc teneret, quàm feliciter Pater ipsius aduersus Anglos pugnasset,& quasque iniurias Dani iamdudum Anglis intulissent, ei suppetias ferre recusauit, cum & hominis fidem suspectam haberet. Hac spe itaque frustratus in Scotiam proficiscitur, cuius vicem miseratus Scotiæ Rex , hominem benignè susceptt. Vbi & solitariam vitam agens in obscuro de-

scuro delituit, quoad Rex Ericus diem suum obijsset. Quatuordecim annos eum in Scotiâ exulasse, *scribit Adamus, Saxo* septem annos. *cap.* 28. *libr.* 2. *& cap.* 25. *eod.* Erico mortuo, Suenotto Proceres regni, qui ei authores belli contra Patrem suscipiendi, & religionis explodendæ fuissent, anxie sollicitare, precibusq; contendere, vt ab ijs in regnum reciperetur. Quò autem eò facilius peruenire posset, Religionis Christianæ zelum & amorem præ se tulit, & simulauit. His artibus in regnum receptus fuit, idque concessu & permissione Regis Suetiæ, qui Suenottonis vitricus erat. Nam in vxorem duxerat Herici viduam, matrem Olaphi Regis Suetiæ. *Ad. c.* 28. 2. Eum autem rursus Olaphus regno expulisse fertur, Daniamque occupasse, vt *Adamus* testatur. Sed tandem Sueno anteactæ vitæ pœnitentiâ ductus peccata confessus est, precibusq; ad Deum conuersus, clementer exauditus est, Ita vt eum Olaphus in Regnum restitueret, quòd matrem eius in matrimonio haberet. Ibi tum inter sese pacti sunt, fidemque & Iusiurandum dederunt, de Religione Christianâ, quàm semel amplexi essent, constanter ac firmiter retinendâ, & ad exteros quoq; propagandâ, ac disseminanda. *A. c.* 28. 2. Post id tempus, nihil aduersus Religionem tentare aut moliri ausus fuit, cum eius propagandæ studio sese flagrare antea professus esset, idq; non obscurè præ se tulisset. Itaque libertatem & exercitia Religionis omnibus concessit, neque post illa vnquam in Christianos sæuijt. Imò conscientiæ scrupulo exstimulatus, & quòd videret se ob Religionem temeratam diuinitus affligi, ad meliorem frugem sese recepit, omnesque ad cultum verbi Dei cohortatus est, sperans fore, vt hac ratione Deum iratum placare, & sæuitiam quam exercuisset, expiare posset. *Hector Boethius scribit, Sueuonem in Scotia ad pietatem, Sacerdotum Scotorum predi-*

cationi-

cationibus & monitis conuersum & baptizatum, atque hac ratione auxilium, quod ab Eduardo petierat, à Scotis impetrasse, eorumq; præsidio in Regnum restitutum. libr. 2. c. 18. Narrat Adamus, se cum Rege Danorum Suenone, nepote Suenottonis, qui eius tempore in Dania regnauit, de morte & exilio Suenottonis sermonem habuisse, cumq; aui delicta & crimina quasi de industriâ præteriret, & Adamus parricidium exaggeraret, Suenottonem in hæc verba prorupisse: Hoc est parricidium quod nos luimus, & quod ipse Parricida suo piauit exilio. Vox memorabilis & notatu digna, qua significatur, Deum parricidia inulta non pati, sed persequi in tertiam & quartam generationem. (*Stadensis anno 974. f. 109. & c. 25. Hæc Parricida aui pericula Sueno Rex nobis attonitis exposuit,*) Folcberto mortuo Poppo vir Sanctus designatus fuit, qui Religionem in Ducatu collapsam erigeret, & Idolatriâ exstirpatâ, verum Dei cultum restitueret. (*A. c. 26.*)

CAPVT XIII.

Poppo edit clarus miracula, numine Diuum
Tunc se conuertit Dania tota Deo.
Sentinam scelerum mersit, taxatq; tyrannos,
Dogmata qui Christi reppulerant q; fidem.

A. C. 986.

ANNO itaque 984. plus minus, Poppo Episcopus Slesuicensis creatus, & ab Adaldago secundum morem ac institutum Ecclesiæ consecratus ac designatus fuit, qui in Chersoneso Cimbricâ Ecclesijs præesset. (*Velleius*

Anno

Anno 966. id factum existimat.) Saxo Popponem ab Adaldago apud Arusium gerendi Pontificij vitæ atq; operibus eius debitum impetrasse scribit. (*Saxo fol.* 101. *Crantz. f.* 153.) Vnde constat eum Arhusio relicto Slesuicum migrasse, & ab Adaldago missum esse. Idq; disertis verbis testatur Adamus, eum scilicet ordinatum esse ad Ecclesiam Slesuicensem. (26. *c.*) Nam, vt paulò ante demonstrauimus, Suenotto tot tantisque calamitatibus fractus, æquiorem paulo ac propensiorem se erga Catholicam Religionem exhibebat, resipiscentiamq; testabatur. (*Adamus narrat, Popponem Legatum Cæsaris & Hamburgensis Ecclesiæ, ad Regem Ericum, qui & Daniæ & Regnum Suetiæ obtinuit, missum, qui Christianorum Patrocinium susciperet, & de pace ageret.*) Cumque Poppo ob miracula & signa, quæ in Daniâ, exulante Suenottone, edidisset, omnium sermone celebraretur, Conciones eruditissimas habrret, remque diuinam sedulo ac indefesso studio perageret ac conficeret, tandem Suenonem in suam sententiam pertraxit, effecitque, vt eius permissione verbum Dei vbique libere ac palam proponeretur ac edoceretur. De Poppone, eiusque vitâ hic aliquid dicendum est. Poppo natione Danus, vir Sanctus & sapiens, (*Ad.*) exteras nationes peragrauit, & in Italiâ aliquot annos apud Pontificem Romanum (cuius etiam Sacellanus fuit,) ætatem egit, idq; Religionis Christianæ, cuius maximè flagrabat amore, cognoscendæ studio. Quâ cum solidè eruditus ac imbutus esset, in Daniam reuersus, populares suos docere, & Euangelium publicare cœpit, Deo ipsius conatus prouehente & fortunante. (*Anno Domini* 974. *Dani sunt ad fidem per Popponem quendam conuersi, qui ferrum candens & ignitum, in modum Chirothecæ formatum, coram populo sine læsione portauit. Quod videns Rex Haraldus, abiecta Idolatria, cum toto populo ad verum Deum sese conuertit. Poppo autem in*

Episco-

Episcopum est promotus. fol. 109. Annal.) Et cum forte fortuna Comitia Wiburgi, quæ ciuitas Iutiæ primaria est, haberet Haraldus, eoque Proceres & totius Regni Ordines conuenissent deliberatum, vtrum ex vsu Regni satius esset, Religionem Christianam amplecti, vel à maioribus traditam & acceptam retinere, sententijs variatum est, quòd maxima pars veterem Religionem retinendam, alij verò Christo nomen dandum existimarent. *(Saxo f. 101.)* Poppo, cui verbum Christi cordi esset, vbi ad Comitia venisset, religionem Danorum insectari, reprehendere, damnare, & argumentis testimonijsq; è sacrâ Scripturâ petitis demonstrare, eam pro superstitione & Dæmonum cultu habendam, & reijciendam esse. Cumq; populares suos ad Christianam Religionem amplectendam vehementer hortatus esset, parumque proficeret, quod ab Idolomania & dæmonum cultu ægrè sese diuelli paterentur, & tamen quid Popponi responderent, non haberent, tandem in Concione populi frequentissimâ affirmauit, se signis euidentissimis & miraculis, doctrinam quam profiteretur confirmaturum, clarissimeq; demonstraturum eam verissimam esse. Et quid, si inquit, ferrum feruefactum & ignitum sublatum, ad locum de quo inter nos conueniat, deferam, manibus saluis & illæsis, idq; virtute & potentiâ Iesu Christi, quem vobis annuncio, an meis verbis & prædicationi fidem habebitis? Cumque magno applausu annuissent Dani, Chirothecam, quam ex ferro formari & fieri curauerat, ad cubitum vsque pertingentem, in ignem iniecit, quoad canderet. Feruefactam & ignitam magnâ vultus hilaritate sumpsit, & manui applicuit, ac ad illum locum gestauit, de quo conuenerat. Et quemadmodum hilaris illam manui admouerat, ita lætior eam ante pedes Regis Haraldi abiecit, vt qui nulla parte

manus,

manus, aut articulis saucius aut crematus esset. (*Stadens. f.* 109.) Et tandem in hæc verba prorupit; En manum saluam & incolumem virtute & præsidio Iesu Christi, cui hic orbis, & quicquid in illo continetur, paret! Si quis igitur vestrum suæ Religioni fidit, is meo exemplo Chirothecam candentem tollat, & periculum faciat, num à calore & igne eum Deus, cui seruit, conseruare possit, vt nos potius illum sequamur. Quibus rebus perculsi & obstupefacti Dani, contra Religionem Christianam ne mutire quidem ausi fuerunt. Ita effectum est, vt multi ad Religionem conuersi, lauacro sacro abluerentur. Hæc in Daniâ gesta sunt ad portum, cui à copiâ glaciei, quâ abundat, nomen impositum est, & quidem Haraldo regnante vt *Stadensis* scribit. Sed & Popponem Deus alijs miraculis & signis ornauit. Nam Dani etsi Christiani haberi vellent, tamen Idolorum cultum non intermittebant, aliarum gentium & Idolatrarum exemplo. (*VVitichindus lib. 3. Gestorum Saxonicorum, Dani antiquitus erant Christiani, sed nihilominus Idolis ritu gentili seruientes. Contigit altercationem super cultura Deorum fieri. Vide latè VVitichindum lib. 3. fol.* 47.) Actidit, vt in conuiuio quodam de cultu Deorum quæstio moueretur, præsente Rege Haraldo, Danis contendentibus, Christum quidem pro Deo habendum & adorandum; interim tamen Deos potentiores, & maiores existere, vt qui signis & prodigijs cuidentioribus vim suam & numen patefacerent & ostenderent. Quibus Poppo aduersatus est, contendens vnum verum Deum, cum Filio vnigenito Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto colendum: simulachra verò, quæ ipsi honorarent, non Deos, sed dæmonia esse omni adseueratione adfirmans. Haraldus Rex, qui teste Vitichindo, ad audiendum velox, ad loquendum tardus fuisse traditur, ab eo percontatus

est, num illam quam profiteretur Religionem probare, signisque ac argumentis firmissimis ac euidentissimis demonstrare posset. Quod cum se facturum respondisset, Rex Popponem in crastinum seruari curauit. Postridie ferrum immensi ponderis, & grauius, quàm vt id ab vllo homine tolli, aut gestari posset, tollere & portare iussit. Ille Confessionis suæ testificandæ causa, ferrum imperterritus sustulit, & ad locum, quem Rex designasset, deportauit, manu saluâ & illæsâ, & hac ratione doctrinam de Christo omnibus probabilem reddidit. Fuit id anno Christi 971. vt annotauit *Antoninus Abbas Stadensis, & VVitichindus, & Adamus c.26.2. (f. 97. VVitichind.)* Sed & aliud edidit miraculum Poppo afflatu diuino præditus, & quidem memoriâ dignum, ad amnem qui vulgò *Sacer* nominatus est, & adhuc eo nomine appellatur, ac Slesuico quadraginta stadijs distat Flensburgum versus, Subuculam vel indusium ceratum, hoc est ceræ liquefactæ immissum atque illitum induit, & corpori nudo applicuit. Et iam, inquit, aliquis adesto, qui hanc subuculam incendat, in testimonium eius doctrinæ, quàm hactenus professus sum. Si subucula corpus adusserit, nolo eam recipiatis. Sin illæsus mansero, meæ prædicationi fidem adhibebitis, & baptizari vos patiemini. Idque promittitis? Spondent omnes. Cumque subucula igne cremaretur, ille oculis & manibus in cœlum porrectis, liquentes flammas magnâ patientiâ sustinuit, (*A.*) & incolumis ac illæsus euasit: neque quisquam ex ijs, qui circumstarent fumum exhalantem vidit, neque animaduertere potuit, etiamsi subucula tota conflagraret, & in fauillam redigeretur, tantùm abest, vt corpori vlla inusta sit macula flammis, quas ipse magnâ patientiâ & vultu hilari perpessus est: cuius miraculi nouitate obstupefacti & commoti aliquot millia hominum Christo

nomen

nomen dederunt, & baptiſmo abluti ſunt. (*Ada. Hæc aliqui geſta apud Ripam confirmaut, alij apud Hedeby, quæ Sleſvvich dicitur. cap.* 26. 2.) Amni autem ſacro colliculus vicinus eſt, & ſylua quædam, quæ de eius nomine in hunc vſque diem *Popponis ſylua* nuncupatur, vulgò Popholtz. Quo in loco Poppo publicas conciones habuit, & populares ſuos ad Chriſtum conuertit. Amnis autem ille, olim à pago vicino *Iudebeke* appellatus fuit. Ab eo autem tempore, quo Poppo illic populum docuit, & baptizauit *Hilligebeke*, hoc eſt amnis ſacer nominatus fuit. Quod nomen adhuc hodie retinet. Cui amni etiam Antiquitas hunc honorem habuit, & noſtra etiam ætate equites & aurigæ, vt ibi equos bibere non ſinant, quòd experientiâ compertum ſit, equos qui ibi adaquantur, aſthmate corripi. (ſich verfangen.) Ideoque ab eo tanquam re ſacrâ abſtinent. Quod vt nos conſtanti fama à fide dignis hominibus accepimus, ita fide ac verò ad Lectorem remittimus. His itaque diuinis miraculis, cum Sleſuicenſis Epiſcopus exortus eſſet, Poppo inſigniter claruit. Vnde conſtat, Religionem ea tempeſtate miraculis non minus confirmari ceptam eſſe, quàm Apoſtolorum temporibus. Quæ ope & auxilio diuino edita & perpetrata miracula adeo ſunt clara ac manifeſta, vtpote, continua totius venerandæ Antiquitatis traditione ac prædicatione, nec non tot Doctiſſimorum & probatiſſimorum virorum teſtimonijs confirmata, vt eorum veritatem ac certitudinem vlla ratione in dubium vocare, extremæ certè foret temeritatis ac audaciæ. Præſertim cum & ipſa loca, vbi hæc miracula ſunt facta & propterea nouis nominibus inſignita & appellata, adhuc hodierno die ad oculum demonſtrentur, vt huic rei fidem derogare, ſummæ foret infidelitatis extremæq; impietatis. Hiſce quoque miraculis Poppo inueteratam illam conſuetudinem bel-

landi & armis concertandi, paulatim abrogauit, eoq; rem perduxit, vt pleraſque Controuerſias & lites, quas ante hac bello decreuiſſent, arbitrio diuino ſubmiſerint: & ita κακοζηλίας quadam purgationes vulgares in vſum deductæ ſunt, quas poſtea Pontifices damnarunt. Et rectè. Poppo autem poſt exantlatos labores maximos, quos peregrinando, prædicando, baptizando remque diuinam faciendo ſuſtinuit, tandem in Domino obdormiuit, & Bremæ ſepultus eſt, idque anno 1029. vt *Crantzius notauit.* (*Anno Domini* M.XXIX. *Poppo celeberrimus Danorum Epiſcopus obijt, cui mox ſubrogatus Ezico, qui cum ad Egdoram fluuium peruenisſet, ibidem ægritudine correptus obijt. Annal. fol.* 117.) Cuius nomen adhuc hodie per populos & Eccleſias celebre vbique manet, vſque adeò vt in Friſia Poppones multos, de eius nomine nuncupatos, reperire liceat. Ex his colligitur, eum Regi Suenoni ſuperſtitem fuiſſe, qui anno 1012. in Anglia obijt, Eboraci ſepultus, poſtquam totius Angliæ Imperio potitus eſſet. (De morte Popponis nihil memoriæ proditum eſt. *Adamus* refert, eum tempore Vnvvani Epiſcopi Hamburgenſis ſuperſtitem fuiſſe, quo etiam pro fide & ſanctitate vitæ familiariter vſus ſit, vt & Otinkaro: cum Sleſuici Ezico ſederet, *cap.* 34. 2. Popponem Bremæ ſepultum in Baſilica diui Petri idem refert, *cap.* 46. *Annal. fol.* 117.) *Hac tempeſtate, hoc eſt, anno* 1007. *fames & peſtis horrenda toto orbe terrarum ſæuijt.*

(***)

CA-

CAPVT XIV.

CANVTVS II. *vel Magnus, Rex Daniæ, 67. Angliæ, Norvvegiæ Suetiæ, Vandaliæ & Hiberniæ Regna inter Filios distribuit, sibi tamen reseruato summo Imperio: Gaardrecht promulgauit: Monachos in Daniam introduxit. Sub quo Slesvvici emporium Anglorum, vulgò Stapel floruit, vnde merces suas, cum transfretatio per fretum Oresundicum nondum adhuc ita frequens ac vsitata esset, ex mari Occidentali ad Orientale, & contra, per duorum milliarium spatium, plaustris transuehi curauerunt, in Anglia obijt anno* 1036. *VVinthoniæ sepultus.*

Ezico tranquillam, satur annis, ducere vitam
Rege pio potuit, non labor vllus erat.
Nam Sclauos sæuo vicit Rex Marte feroces,
Ac Anglum, mœsto qui obediere metu.

A. C. 1018.

REGI Suenoni succeſſit Canutus Filius, qui Angliam subiugauit anno 1017. sedente Ioanne II. Pontifice, vbi & diem extremum clausit. (*Regnauit Knut in Anglia, Nordmannia simul & Dania, quod nulli Regum prius contigit in Dania. Annal. fol.* 117.) Princeps optimus & religiosissimus, diuinæ veritatis fideiq; Catholicæ propagator studiosissimus & defensor acerrimus. His temporibus anno nimirum 1030. (vel potius anno 1013. Ezico qui Popponi succeſſit. *(Annal. f.* 117.) Slesuicensem Ecclesiam rexit, cuius nomen & in Catalogum Episcoporum relatum est. (*Commenta. Ada Post obitum Popponis succeßit Ezico, qui ad Egdoram perueniens, ægritudine correptus migrauit è viuis.*) Missus autem fuit & consecratus ab Vnvvano Episcopo Hamburgensi,

qui Slesuicensi Ecclesiæ præesset. Ordinati quidem fuerunt plurimi, quorum nomina exstant. Quibus autem locis sederint, certò non constat. (*Adamus tradit à Libentio Archiepiscopo missum esse Eziconem, lib. 2. c. 32. qui obijt Anno* 1013. *Refert Adamus post mortem Adaldaqi Iutlandiam totam in duos Episcopatus diuisam esse, Ripensem nimirum & Slesuicensem, Arhusiensi ibi antiquato. & Annal.*) Verisimile est, cum nullæ possessiones, aut prouentus Episcopis attributi essent, & quòd tempus persequutionis incumberet, (*Ad.*) plerosque, quorum meminerunt Historiæ, in loca vicina & remota Euangelij propagandi & publicandi gratiâ missos esse, & nullas certas sedes habuisse. Ezico tamen nullas peregrinationes suscepisse, sed domi permansisse, (*Ada. Ezico domi sedit. c. 34.*) & in suâ Diœcesi Euangelium prædicasse, munereque suo functus fuisse legitur, (à Vandalis eiectus, cum Ecclesiæ Aldenburgensi præfuisset) quòd laboribus exhaustus viribusq; fractus ac debilitatus, pace ac tranquillitate, quæ tunc Ecclesiæ sub Canuto Rege obtigisset, gauderet ac delectaretur. Nam Canutus debellandis ac subiugandis Exteris occupatus, Daniam tranquillam ac pacatam reddere summopere studebat. Quo factum, vt Christiana Religio indies crescerct, Sacerdotibus fidelibusq; Dei ministris in pace & tranquillitate in id vnicè incombentibus, vt verbum Dei longè lateque disseminaretur: cuius cultus atque exercitium viuo Suenone aliquamdiu conquieuerant, quòd is abnegatâ religione Apostata factus esset. Quamuis tandem ad meliorem frugem sese receperit, & resipuerit, vt supra ostendimus. Canutus autem Rex, vt belli gloriâ, ita & munificentiâ erga Ecclesias, ac Sacerdotes clarere cœpit. Sclauos bis subiugauit. (*De Gotscalco Principe Slauorum, qui Christianos persequutus est, eiusq; pœnitentia Helmoldus latè cap.* 19. *Qui postea duxit Filiam Regis Danorum,*

rum, Magni scilicet, ibidem.) Sembos deuicit, Angliam in suam potestatem redegit, & finitimos metu adactos pacem petere ac inire coegit. Filiam suam Gunildam Henrico III. cognomento Nigro, Imperatori, Conradi II. Saliqui Imperatoris Filio nuptui tradidit. Cum Imperatore Romam proficiscitur, tum vt memoriam Maiorum suorum & Gothorum, à quibus Roma capta & euersa esset, renouaret, tum vt pietatem ac internam animi deuotionem indicaret ac testatam faceret: inde epistolam conscripsit longam ac ponderosissimam, ex qua tam amorem ac veneration nem eius erga SS. Apostolicam sedem, quam insignem eius pietatem & clementiam clarè cernere ac perspicere licet, quæ epistola tum à Wilhelmo Malmesburiensi de *Gest. Reg. Angl. lib. 2. c. 11.* tum etiam ex parte ab *Ingulpho* ad omnem posteritatem memoriæ prodita est: eam hic inserere, non abs re neque inutile fore iudicaui.

CNVTO *Rex totius Angliæ, & Danamarchiæ, & Norvvegiæ, & magnæ partis Suanonum Egelnoto Metropolitano; & Alfrico Eboracensi, omnibusq; Episcopis & Primatibus, & toti genti Anglorum tam nobilibus quam plebeis salutem.*

Notifico vobis nouiter me isse Romam, oratum pro redemptione peccatorum meorum & pro salute regnorum, quicunq; subiacent regimini, populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram, sed pro negotijs regni & causis impedientibus huc vsque non poteram persicere: nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod concesit in vita mea Petrum & Paulum beatos Apostolos, & omne sanctuarium, quod intra vrbem Romam aut extra addiscere, potui expetere, & secundum desiderium meum præsentialiter venerari & adorari. Et ideo hoc maxime patraui, quia à sapientibus didici S. Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse à Domino ligandi & soluendi, clauigerumq; esse Regni cœlestis, & ideo specialiter

eius patrocinium apud Deum expetere, valde vtile duxi.

Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa solemnitate Paschali ibi cum Domino Papa Iohanne & Imperatore Conrado erat, scilicet omnes Principes gentium à monte Gargano vsque ad istud proximum mare. Qui omnes me & honorifice susceperè & magnificis donis honorauere. Maxime autem ab Imperatore donis varijs & muneribus honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in pallijs & vestibus valde preciosis. Locutus sum igitur cum ipso Imperatore & Domino Papa, & Principibus qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei, tam Angli quam Dani, vt eis concederetur lex æquior & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arcerentur, & propter iniustum teloneum fatigarentur. Annuitq; postulatis Imperator & Rudolphus Rex, qui maxime ipsarum clausurarum dominatur: cunctiq; Principes edictis firmarunt, vt homines mei, tam mercatores quam alij orandi gratia viatores, absque omni anguria clausurarum & teloneorum cum firma pace Romam eant & redeant. Conquestus igitur sum coram Domino Papa, & mihi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab ijs expetebantur, dum pro pallio accipiendo secundum morem, Apostolicam sedem expeterent: decretumq; est ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ a Domino Papa & ab Imperatore, & à Rege Rudolpho, cæterisq; Principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meæ gentis vtilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam Sacramento firmarunt sub testimonio quatuor Archiepiscoporum, & innumeræ multitudinis Ducum, & Nobilium, qui aderant. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia quæ desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci, votisq; meis ad velle satisfeci. Nunc itaq; sit notum, quia ipsi Deo supplex deuoui, meam vitam à modo in omnibus iustificare, & regna mihi subdita, populosq; iuste & pie regere, æquumq; iudicium per

omnia

omnia obseruare: &, si quid per meæ iuuentutis intemperantiam aut negligentiam hactenus, præter quod iustum erat, est actum, totum Deo auxiliante, dispono emendare. Idcirco obtestor & præcipio meis Consiliariis, quibus Regni consilia credidi, ne vllo modo, aut propter meum timorem, aut alicuius potentis personæ fauorem, aliquam iniustitiam à modo consentiant, vel faciant pullulare in omni regno meo. Præcipio omnibus etiam Vicecomitibus & præpositis vniuersi Regni mei, si meam volunt habere amicitiam, aut suam salutem, vt vlli hominum nec diuiti, nec pauperi vim iniustam inferant, sed omnibus tam Nobilibus quam ignobilibus sit fas iusta lege potiundi, à qua nec propter fauorem Regium, nec propter alicuius potentis personam, nec propter mihi congerendam pecuniam vllo modo deuient: quia mihi nulla necessitas est, vt iniqua exactione mihi pecunia congeratur. Ego autem notum vobis fieri volo, quod eadem via qua exiui regrediens, Danimarchiam tendo, pacem & firmum pactum, omnium Danorum consilio, compositurus cum eis gentibus, quæ nos & vita & regno iuuare, si eis fuisset possibile, volebant, sed non potuerunt, Deo scilicet virtutem eorum destruente, qui nos sua benignitate in regno & honore conseruet, omniumq; inimicorum nostrorum potentiam annihilet. Composita denique pace cum Gentibus quæ in circuitu nostro sunt, dispositoq; & pacato omni regno nostro hic in Oriente, ita vt nulla parte bellum, aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac æstate apparatum nauigij habere potero, Angliam venire dispono. Hanc autem epistolam iam præmisi, vt de mea prosperitate omnis populus Regni mei lætificetur, quia vt vosipsi scitis, nunquam memetipsum nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo impendere pro omni populi mei necessaria vtilitate. Nunc igitur obtestor omnes Episcopos & regni mei præpositos per fidem quam mihi debetis & Deo, quatenus faciatis, vt antequam Angliam veniam, omnia debita quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna

pro aratris & decimæ animalium ipso anno procreatorum & denarij, quos Romam ad sanctum Petrum debetis, siue ex vrbibus siue ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum & in festiuitate sancti Martini primitiæ seminum ad Ecclesiam, sub cuius parochia quisq; degit quæ anglice Curescet vel (Chirescher) nominatur: Hæc & alia, si cum venero, non erunt persoluta, regia exactio secundum leges, in quem culpa cadit, districte absque venia comparebit. Potentia quoque Regis Canuti maxima longeque ampliſſima fuit. Nam Norvvegiæ, Daniæ, Suetiæ, Scotiæ, & Gothorum Rex creatus ac designatus erat. (*Anno Domini 1036. Conradus Imperator Filiam Regis Knut Henrico Filio suo accepit in matrimonium. Et regio fastu statim Italiam ingressus, Knut Regem itineris sui comitem adsumsit, potentia trium Regnorum barbaris gentibus valde terribilem. Regno fecit iustitiam. Knut autem cum tres haberet filios, singulos super singula regna posuit, ipse aliquando visitans Danos, aliquando verò Nordmannos, sæpissimè autem sedit in Anglia. Annal. f. 119. Sueni Regi Danorum Knut Filius eius successit, qui deuicto Adelrad Rege Anglorum, victor ab Anglia rediens, in ditione sua per annos multos Regnum Daniæ possedit & Angliæ. Annal.*) In legibus ferendis & iure constituendo æquissimus fuit, quique ipsemet legibus, quas tulisset, sese lubens subijceret. Exstant adhuc leges, quas Anglis dedit in Archæonomiâ Lælandi. Templum Roskildense exædificauit, nec non diui Laurentij Lundis. Quod & ipsum magno argumento est, eum non minus Religionis propagandæ ac defendendæ, quam Regni dilatandi studiosissimum fuisse. Ex ærario ingentem auri vim ad sustentandos Sacerdotes erogauit, Cœnobia quoque Monachorum habitationibus & cellulis amplificauit. Ita factum est, vt moriens numerosum gregem Sacerdotum, Canonicorum regulariter viuentium, & Monachorum post se reliquerit. Vt qui primus

Mo-

Monachis ac Religiosis in Dania ianuam quasi aperuerit, aditumque patefecerit. Tam læto atque exoptato itaque, tamq; tranquillo ac quieto rerum statu, mirum non est, si Ezico placidè ætatem exegerit. Nam & ante Slauorum irruptionem, & motum qui paulò post sequutus est, diem suum obijt. Talis itaq; fuit status Ecclesiæ, quamdiu vixit Ezico. (*Ezico ad Egdoram perueniens, agritudine correptus migrauit è viuis. Ad. gloss. c. 46. 2. & Annal. fol. 117. Idq; anno 1029. factum esse scribit. Ada. cap. 38.*)

CAPVT XV.

VT autem historiam Canuti resq; id temporis gestas vlterius persequar. Canutus Rex, Angliâ deuictâ, cum Episcopos aliquot in Daniam adduxisset, indignè admodum hoc ipsum tulit Vnvvanus Archiepiscopus Hamburgensis, ideoq; Gerbrandum ex Angliâ redeuntem in custodiam tradidit, eâ de causâ, quòd is inscio & inconsulto Vnvvano, ab Eltrodo Anglorum Archiepiscopo ordinatus esset. Gerbrandus quo carcere liberaretur, Vnvvano fidem ac obedientiam promisit. Nam & illum liberaliter habitum Vnvvanus sibi summâ familiaritate deuinxerat, eo tempore, quo detentus esset, vt hac ratione de iniuriâ illatâ Gerbrando aliquo pacto satisfaceret, eumque sibi offensum iterum amicum ac placatum redderet. Itaque priusquam eâ de re Rex certior factus esset, Gerbrandum vnà cum suis ad Regem mittit cum muneribus (*A. c. 38.*) Vnvvanus, qui ei de rebus in Angliâ feliciter gestis gratularetur; eumque de Episcoporum in Angliâ factâ electione reprehenderet & obiurga-

ret,

ret. Rex vbi comperisset factum, etsi commotus, iniuriam tamen & contumeliam Gerbrando illatam, pro suâ, erga Episcopum, Dei ministrum, obseruantiâ & amore, mussitauit, & æquo animo tulit. Et post id tempus Archiepiscopo adeò deditus & coniunctus fuit, vt ex eius sententia omnia faceret. (*A.c.*38.2.) Et hæc se à Suenone Estritio accepisse refert Adamus. (*ibidem.*) Vnvvanus etiam eos, qui ex Anglia subeundo docendi & prædicandi muneri destinarentur, humanissimè recepit, & donis muneribusque pellexit, vt Ecclesiæ Hamburgensi obedientiam sponte præstarent. (*Anno* 1022. *Kanutus multos in Daniam ab Anglia adduxit Episcopos. De quibus Bernardum posuit in Sconiam, Gerbrandum in Selandiam, Reinherum in Fune. Quod zelatus Vnvvanus, Gerbrandum redeuntem ab Anglia cœpit, quem ab Eluodo, Anglorum Archiepiscopo ordinatum esse cognouit. Ille verò, vt necessitas persuasit, satisfaciens, fidelitatem Bremensi Ecclesiæ, cum subiectione debita spondens, familiarissimus deinde Vnvvano effectus est. Per quem & suos Legatos ad Knut Regem cum muneribus transmittens, congratulatus est ei, de rebus benè gestis in Anglia, sed corripuit eum de præsumptione Episcoporum, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex grauiter accipiens, in posterum coniunctus est Archiepiscopo, vt ex sententia eius omnia deinceps agere maluerit. Annal, fol.* 115.) Canuto regnante lateres illi incocti, vel pumices (vulgo Duffstein/) ex Anglia in Chersonesum Slesuicensem nauibus aduecti sunt. Ex quibus templa quædam ædificata fuerunt Slesuici, & illud quod Hollingstedij conspicitur. Sed & templum Haddebuiense, & Monasterij Slesuicensis, in quo Virgines Deo dicatæ nobiles viuunt, ex his lateribus magna ex parte conflatum est. In quibus & lapides sepulchrales pedis pastoralibus insignitos cernere licet, in memoriam Pastorum, & ministrorum verbi Dei, qui illic humati

humati sunt. Nam cum vni & eidem Regi Anglia & Dania tunc temporis pareret, cœperunt Angli merces suas Slesuicum nauibus asportare, vbi Emporium eo tempore celeberrimum & opulentissimum erat, quòd facilis esset & breuissima transmissio ex Angliâ Hollingstedium, quas inde Slesuicum ad mercatum plaustris transuehendas curarunt. Indicio sunt ædificia illa quæ adhuc ex pumicibus conflata, Slesuici & Hollingstedij conspiciuntur & exstant. Nam ea ab Anglis exstructa, & mercium condendarum & venum exponendarum causa, à mercatoribus facta esse, monumenta, quæ supersunt, satis indicant. Vtraque aurem domus, vrbe postea diruta & euersa, & quòd, vt à maioribus nostris proditum est, Anglorum discessu cessarent commercia, in templa conuersa est, & quidem Slesuicensis in ædem sancti Spiritus. Cui etiam deinceps turres duæ altæ & elegantes, sumptibus ciuium locupletum & religiosorum adiectæ fuerunt, quarum altera adhuc nostrâ ætate sarta tectaq; permansit, & anno 1593. tecto & culmine, quòd ruinam minari videretur, primùm nudata & spoliata fuit. Ædem autem ipsam non multò ante destructam esse nouimus, fatali vrbis nostræ casu, quæ iam quadringentis plus minus annis, tot ærumnis & calamitatibus fatigata & vexata, in vicum, teste *Saxone*, redacta est, vsque adeò, vt nec templa, fana, aliaque monumenta, quibus vrbs abundauit plurimis, à maioribus ædificata, posteritas sarta tecta præstare potuerit, vt rectè ille scripserit, ἀποθνήσκουσι πόλεις ὥσπερ καὶ ἄνθρωποι. Νῦν ἀπόλωλεν ἤδη καὶ οὐδὲν ἴχνος ἔλειπεν αὐτῆς. In Charonte. Quid, quòd & spolia ex Anglia in Daniam & Ducatum Slesuicensem aduecta esse constat, & inter alia imagunculas & simulacra templo Slesuicensi dicata: Laminas item & massas altaria solida referentes, quæ extrinsecus splendidè deau-

rata,

rata, magni quis precij & solida esse, existimaret, cum tamen ex ære vel cupro conflata essent. Sed & plumbum, quo templa penè omnia in Chersoneso Cimbricâ tecta cernuntur, regnante Canuto, & aliquot post annis, quibus Anglia Danis paruit, ex Angliâ transportatum esse, constat; quòd Reges Daniæ, qui tunc rerum potirentur, subditis & popularibus suis merces omnis generis ex Britanniâ exportandi potestatem facerent, & quidem vel nullo vel exiguo pretio.

CANVTVS Rex, tandem mortalitatis suæ memor, dum adhuc in viuis fuit, Roma reuersus, Regna, quæ possidebat, inter Filios diuisit, & tandem pie ac placide in Christo obdormiuit Anno 1036.

CANVTVS III. *siue Durus, Rex Daniæ 68. vt Norvvegiam Daniæ coniungeret, cum Magno transegit, vt, quicunq; post alterius fatum superstes esset, is Regna Daniæ & Norvvegiæ solus obtineret. In Nuptijs subitò exspirauit.*

SVENO *ex Alfgiua natus Norvvegiæ Præfectus & Rex. Anno* 1039. *post Patrem per* 4. *annos. Obijt* 1040.

KNVTONEM autem Suetiæ & Angliæ solum hæredem reliquit. Norvvegiæ regnum inuasit Sueno, quod tunc obtinebat Magnus diui Olai Filius. Cumque diu multumq; certatum esset, tandem post longam disceptationem inter eos conuenit, vt vter alteri superstes esset, is vtroque Regno potiretur, hoc est, Daniæ & Norvvegiæ. Quæ pacta Procerum consensu & Iureiurando firmata fuerunt. Cumq; Canutus alteri præmortuus esset, Magnus vigore fœderis iurati, vtriusque Regni Rex exortus est.

MAGNVS I. *dictus Bonus, Rex Norvvegiæ, per pactum hæreditarium de mutua successione cum Canuto initum Rex Daniæ 69. Vandalos in Iutiam irrumpentes repressit,* 15000. *apud Heydebuy cæsis, anno* 1048. *obijt. Cuius Filia Gisula Ordolpho Electori Saxoniæ, de familia Billingorum nupta, à Vandalis supplicio affecta.*

Hoc

Hoc tempore serenitatem & pacem diuturnam tempestas maxima consecuta est. (*Adam. c. 59. lib. 2. latè.*) Nam mortuo Canuto Magno, Wandali bellandi cupidi in Iutiam de improuiso irrumpunt, eamque populantur. Quibus rebus nunciatis, Magnus collecto exercitu eos reprimere conatur. Cui Princeps Vandalorum Ratibor, vir inter barbaros magnæ authoritatis ac potestatis, confertissimo agmine validaq; copiarum manu instructus obuiam procedit. Ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est, sed tandem Ratibor victus, grauiterq; vulneribus confectus occubuit. Ratiboris filij, quos octo superstites reliquerat, cladem acceptam vlturi bellum renouant, quòd armis exercitati multisque præliis experti essent. Sed parum feliciter. Nam omnes ad internecionem cæsi sunt. Vandali victi magno dolore afficiebantur. Interim tamen vindictæ cupidi occasionem quærunt belli redintegrandi, quæ paulò post satis commode atque ex sententia sese illis obtulit. Nam cum bello acerrimo atque grauissimo aduersus Suenonem Magnus distineretur, longiusq; abesset, Vandali rursus in Ducatum Slesuicensem impressionem faciunt, eumque Ripam vsque depopulantur & diripiunt. Rex Magnus è Nordmannia rediens Heydebium appulit, (*Ada c. 59.*) *Annal. ijsdem verbis. fol. 121.*) deque his rebus certior factus dubitauit, Suenonemne in bello persequi, an exercitum Slauorum, qui Iutiam inuasissent, profligare & expellere, magis è re regni atque vsu suo foret. Tandem re cum Proceribus deliberata, cunctorum suffragiis vnanimiq; consensu placuit ac decretum fuit, Wandalo ex Iutiâ abitionem paranti prius occurrendum, iterq; obstruendum ac intercludendum esse. Itaque ne elabendi facultas daretur in Isthmo ad Heidebuiam, hoc est, Slesuicum exspectare constituit, quoad Vandalus veni-

veniret. Omnibus ad pugnam paratis Vandalum occurrentem prope Slesuicum, ad Sliam flumen in campestribus Heideby intrepidus excepit, (*Ad. c. 59.*) & quasi de victoriâ certus, confidenti ac imperterito animo aggreditur, idq; quod in somnis vidisset, se in ista pugna victorem fore, cui euentus respondit, hoste partim cæso, partim in fugam verso. In eo prælio ad quindecim mille occubuisse ferunt. (*Annal. Qui Danorum copiis collectis, egredientes à Dania VVinulos in campestribus Heidabæ excepit, & quindecim millibus occisis, facta est pax & lætitia Danis omni tempore Magni. fol. 121.*) Felicissimo hoc rerum successu insigniq; hac victoria de hostibus reportata, Magnus apud suos laudem maximam, & Boni cognomentum adeptus est, Regnumque deinceps in pace & quiete administrauit: qua & eius subditi Christiani à Slauis hactenus grauiter afflicti, omnibusque fortunis spoliati, ac fere ad summam inopiam ac egestatem redacti, deinceps læto ac tranquillo animo tempore Magni perfruebantur.

Sternitur vt Sclauus (mox vita est dura Rodolpho)
Tristis, cum natis tota cohorsq; perit.
Tunc magnus studuit flamen Patriarcha vocari.
Rege sed inuito spe cadit ipse sua.

A. C. 1038.

Circa hæc tempora Rodolphus Episcopus Slesuicensis exortus & creatus est, à Bezelino Alebrando Archiepiscopo Hamburgensi legitimè consecratus ac missus, cui antea Sacellanum egerat. (*Anno M.XXXIX. Bezelinus, pro legatione sibi ad gentes credita, amore Prædecessorum suorum sollicitus, Coadiutores prædicationis suæ ordinauit Episcopos, Rodulphum è Capellanis suis in Sliasvvig, Abellinum in Slauoniam, VVala Bremensi è Choro in Ripam. Annal. fol. 119.*) *Adamus cap. 58. l. 2. Magnus Daniæ Rex, qui Canuto Duro successit, Daniæ & Norvvegiæ Regnum obtinuit.*

nuit. Ad eum Archiepiscopus Bezelinus (qui & Alebrandus nominatus fuit) venit Slesuicum, colloquendi causa. Habebat in comitatu secum Ducem Bernardum & Thiadmarum Episcopum Hildimensem, nec non Rodolphum Slesuicensem. Thiadmarus natione Danus, antea Tymmo dictus, eò quoque venit cum Reginâ Gunildâ, filiâ Canuti Magni, cuius commendatione ille ad Episcopatum Hildimensem euectus erat. Ibi tum de nuptijs agi ceptum est, reque diu deliberata & transacta, Magni Regis soror, Ordolpho filio Ducis Saxoniæ desponsata, & postea domum deducta fuit. Nuptijs vix peractis ac celebratis, Ordolphus Dux, in gratiam cognati, Danorum quendam Principem Româ ab Apostolorum liminibus redeuntem trans Albiam obtruncauit, nihilque tale merentem (*innoxium. Annal.*) idque quòd Regia stirpe prognatus, propior Regno, quàm Magnus videbatur. Ea res initium dedit turbis ac calamitati, quâ familia Ducis postea misere affecta ac perturbata fuit. (Eodem tempore Filius Olaphi Martyris Magnus nomine regnauit in Daniâ simul & Norvvegiâ.) Bezelino (qui & Alebrandus dictus fuit *Annal. fol.* 121.) defuncto, successit Adelbertus, qui gloriæ cupiditate adductus (sedente Leone Pontifice Maximo,) nec non Episcopatus sui amplificandi studio ac desiderio incensus, Episcopos duodecim suæ Iurisdictioni subijcere, qui se ei fideles ac obsequentes præstarent, atque hac ratione Patriarchatum Hamburgi constituere, (*Ad. c.* 34.) conabatur. (*Vide Adamum latè cap.* 34. *& Annal. fol.* 128.) idque hoc facilius se efficere posse sperabat, quòd apud Imperatorem Henricum tertium Conradi II. Saliqui Filium, qui Canuti Regis Danorum filiam in matrimonio habebat, gratia & autoritate plurimũ posset: & quòd Daniæ, Suetiæ, ac Norvvegiæ Pastor esset. Nam, teste Schafnaburgensi,

Adalbertus, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque Archiepiscopatus prærogatiuam, illum sæpius colloquendo, obsequendo, etiam atque etiam assentando, ita sibi Regem deuinxerat, vt cæteris Episcopis posthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipse in Regno communi Monarchiam vsurpare videbatur. *Ad. c. 37. lib. 3.* Itaque apud finitimos, Suerinensem scilicet & Raceburgensem eam rem vrgere, & pro suâ, quam in Ecclesias Boreales habere se putabat, potestate, literas ad Pastores dare, eosq; sui officij commonefacere; Immò pro Imperio mandare, vt gregem Domini cui præsint, diligenter pascant, & eos, qui nondum Christo nomen dedissent, ad Religionem conuertant. (Albertus Archiepiscopus statim vt ingressus est Episcopatum, ad Reges Aquilonis pro amicitiâ Legatos misit. Epistolas quoq; monitorias per totam sparsit Daniam, siue Nordmanniam ac Suediam, & vsque in fines terræ, exhortans Episcopos & Presbyteros in illis partibus degentes, vt Ecclesias Domini nostri Iesu Christi diligenter custodirent, atque ad conuersionem Paganorum intrepidi accederent. (*fol. 241. Annal.*)

Sveno Estritivs *Vlfonis Filius, Rex Daniæ 70. Daniæ Regnum magno obtinuit labore, quod & contra Haraldum Norvvegiæ Regem strenuè defendit: relicta consanguinea Gyutha piam traduxit ætatem. Roskildiæ sepultus. Obijt anno 1074.*

Sed & Suenonem II. quem Estritium nominant, qui Canuti Magni Sororis erat Filius, pro eâ, quàm se adeptum putabat authoritate, acriter reprehendere, & insectari, quòd multis annis concubinarum libidinibus sese contaminasset, & quòd tandem ijs posthabitis Gutham (*Gude nominant Annal. fol. 123.*) Consanguineam suam Regis Suetiæ filiam, in vxorem duxisset, & incestu sese polluisset. (*Vide hic Annal.*

fol.

fol. 124. *quæ eam Guden nominant*, *& Historiam benè recensent*, *vt & Ada.lib.* 3.*cap.*12.) Quod cum Archiepiscopus factum exaggeraret, Regemque, missis Legatis, acriter increparet, & culparet, excommunicationisq; gladio, nisi ad frugem meliorem sese reciperet, eum persequi minaretur, (*Ad.c.* 12.*lib.*3. *& Annal.fol.* 124.) Sueno grauiter stomachari & indignari cœpit, vsq; adeò vt palam profiteretur, se has reprehẽsiones inultas non passurum, sed gladio persequuturum, & Parochiam Hamburgensem vastaturum & excisurum, (*Ad.c.*13.) Insuper Religionem potius, quàm vxorem se deserturum. Quod vbi Archiepiscopus accepisset, minis perterrefactus recedere satius esse putauit, quam in loco maritimo & periculi pleno commorari. Itaque Hamburgo relicto Bremam migrauit, eoque Pontificatum transtulit. (*Anno* 1049. *Aldenburgensis Ecclesia in tres diuisa est Episcopatus. Quod Imperatoris mandato factum non est, sed Magni Adalberti, Episcopi Hammenburgensis Archiepiscopi adinuentione. Ille enim vir Magnificus & præpotens in Regno studuit Patriarchatus honorem adipisci. Vide plura cap.*22.*apud Helmold.*) Suenonem autem adeò iracundiâ exarsisse ferunt in Albertum, vt nisi Gulielmi Episcopi Roskildensis authoritate & persuasionibus repressus fuisset, voces minaces executioni proculdubio dedisset. Qui tamen tandem vbi ira deferbuisset, literis Pontificis flexus, & Sacerdotum admonitionibus, & precibus virorum bonorum locum reliquit, ac libellum repudij consobrinæ dedit, (*Ad.c.*13.3.) eaque repudiatâ, ad sanitatem redijt. (*Ada.Sed dimissa Consobrina, alias vxores & concubinas accepit*, *& suscitauit ei Dominus inimicos multos, sicut Salomoni proprios famulos.*) Ea paternos lares repetens, vidua reliquam vitæ partem exegit; & resipiscentiam testata est. Vixit autem, Giuthe repudiata à Rege Danorum propter consanguinitatem, in prædijs

dijs suis trans Daniam, hospitalitati & Eleemosynis vacans, & cæteris operibus sanctitatis insistens. Quæ & Legatos Ecclesiæ Bremensis, à Rege Suetiæ repulsos, magnâ reuerentiâ, quasi à Deo missos recipiens, magna per eos Xenia misit Archiepiscopo. *Ad.c.16.3. & Annal. fol.124. 6.* Sed & Ecclesijs multa largita est, eorumque Sacerdotibus ac Pastoribus. Inprimis Ecclesiæ Roskildensi chlamydem, & alia ornamenta, ab ancillis, quas conduxerat, elaborata, quibus ad rem Diuinam vterentur, dono dedit, de quibus *Saxo* latius *lib.* 11.

(*Anno Domini* M.LV. *fames multas regiones afflixit, egestas & penuria vbique præualuit, multi Principes diuersarum Prouinciarum perierunt. Annal. fol.126.*)

Insula sacra datur Siuardo à Rege potente.
Præsulis vt magni temnat vbiq; decus.
Ira cadit Regis dum Antistes dulcia fundit
Verba, & sic longo tempore venit amor.

A. C. 1062.

Anno 1060. Rudolpho successit Siuardus in Episcopatum Slesuicensem, non quidem ab Alberto S. Romanæ & Apostolicæ Sedis Legato, nec non Septentrionalium Nationum Archiep. ritu solenni consecratus, sed Regis Suenonis II. efflagitatu in Anglia sacris fuit initiatus. Interea nondum ex animo odium Aduersus Adalbertum conceptum deposuerat Sueno Rex, vt qui etiam Pastores plerosque ab exteris missos Ditione suâ pelleret. Albertus tamen, quod de Episcopatu tuendo ac amplificando mente conceperat, ad exitum perducere satagebat. Cumque videret ac perspiceret, summo labore ac industria propter multa impedimenta se parum proficere, aliâ viâ rem adgrediendam statuit. Negotium ad Pontificem Alexandrum II. defert, petitque vt is eâ de re Regem moneat, & quod facto opus sit vrgeat. Pontifex eius impul-

impulsu literas ad Regem Norvvegiæ dat, quarum hæc erat Summa; sibi tanquam Pontifici curam & inspectionem totius Christianitatis Ecclesiarum commissam esse: idque Regem non ignorare. Cum autem longius absit, & propter locorum distantiam omnia administrare & regere nequeat, eâ de causâ se munus illud Ecclesiarum inspiciendarum Archiepiscopo Hamburgensi commisisse, qui vicariam operam in illis regionibus, quæ Septentriones spectant, præstaret, & quæ reformanda sint, corrigeret. Exemplum literarum Romani Pontificis ex parte extat apud Abbatem Stadensem in suo Chronico his verbis:

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Haraldo Northmannorum Regi salutem & Apostolicam benedictionẽ.

Quia adhuc rudes in fide existitis, & in Ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis: oportet nos, quibus totius Ecclesiæ est commissum Regimen, diuinis admonitionibus vos frequentius visitare: sed quia ob longam difficultatem viarum per nos hoc agere minime valemus, sciatis, nos Alberto (alij Adelberdo) Bremensi Archiepiscopo Vicario nostro hæc firmiter commisisse. Prædictus itaq; Archiepiscopus legatus noster, suis nobis est conquestus epistolis, quod Episcopi vestræ prouinciæ, aut non sunt consecrati, aut data pecunia, cõtra Romana priuilegia, quæ suæ Ecclesiæ sibiq; data sunt, in Anglia: vel in Gallia, pessimè sunt ordinati. Vnde ex authoritate Apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt, sicuti Apostolicæ sedi reuerentiam subiectionis debetis exhibere: ita præfatam venerabili Archiepiscopo Vicario nostro & vice nostra fungenti vos, vestriq; Episcopi impendatis &c.

Extant quoque in eandem ferè sententiam literæ Gregorij ad Suenottonem apud *Adam. libr. 3. cap. 20.* Albertus lectis illis literis in Norvvegiâ, vbi tunc agebat, occasionem sibi datam existimabat, Regis Suenonis sibi propter repudium Consobrinæ adhuc infensi, reconciliandi, quo placato, ad id fasti-

gium, quo contendebat, se peruenire posse existimabat. Slesuicum igitur sese recepit, vbi & propter loci commoditatem Synodum cogere solebat, & omnibus familiariter vtebatur. Sueno Rex, qui Slesuici agebat, de Episcopi aduentu certior factus, eum inuitat, & splendido conuiuio acceptum liberaliter tractat. (*c.20. Ada.*) Episcopus vicissim Regem lautè accepit, & quasi cum eò comessationibus & muneribus certauit, Archiepiscopalem potentiam Regalibus diuitijs anteponendo & præferendo. Et tandem, sicut mos est inter Barbaros, ad confirmandum pactum & fœdus, dies octo continuos conuiuia agitata fuere. Ita Rex Episcopum ex inimicitijs in gratiam recipit, odio, quo hactenus illum persequutus erat, deposito. Cumque inter alia de Episcopis & Pastoribus in Daniâ constituendis, Archiepiscopus verba facere, & agere cœpisset: Rex satius esse respondit, si ad Ecclesiastica munera & ministeria vocarentur indigenæ, in Regno Daniæ nati & educati, quibus sermo Danicus vernaculus & notus esset, quàm exteri & alienigenæ, qui eius vsum nullum haberent: idq; sibi placere. Ita enim Interpretibus opus non esse. Quæ cum ita sint, cupere se, vt in posterum Albertus, in Episcopis designandis & creandis, eius rationem habere, & indigenas exteris præferre vellet. Sed & de pace Christianorum, & paganorum conuersione actum & transactum fuit. Atque ita inter Regem & Episcopum conuenit, & discessum est, consentientibus animis, & rebus benè compositis. Sed & post id tempus, (*Ad.c.33-3.*) Adalbertus sæpe Regem ad Eidoram fluuium consistentem conuenit, eumq; ad pietatem & studium Religionis cohortatus est; Rege omnia, quæ ab Archiepiscopo ex sacris literis proferebantur, notante, & memoriæ mandante, & ad ea vitam & mores componente. Quamuis de continentiâ

gulæ

gulæ & mulierum frustra illi concionatus sit, nec persuadere potuerit, quòd naturalia illis gentibus ea tempestate essent. Archiepiscopus etsi de Regis voluntate non dubitaret, tamen maioris firmitatis gratiâ, domum ad suos reuersus, author fuit Imperatori, vt Regem Daniæ euocaret, & cum eo fœdus feriret. (*Ada.* vterque alteri perpetuam iuraret amicitiam, *cap.* 20.) Cuius consilijs obsequutus Imperator, fœdere cum Rege inito, eum sibi deuinxit. Vnde maximæ & amplissimæ commoditates ad Ecclesias Boreales redierunt. Nam Sueno ad exemplum Imperatoris & aliorum Principum fœderatorum, qui Christianam Religionem profiterentur, in deligendis Sacerdotibus Deique ministris, iudicio vtebatur accurato ac maturo, vt non tantum eruditionem spectaret, sed inprimis etiam pietatem, vitæ castitatem, morumq; sanctimoniam & modestiam consideraret ac perpenderet. Ædes quoque sacras, templa & sacella, à fundamentis erigere, & collapsa sarcire & instaurare, magnis in eam rem sumptibus impensis ac collatis. Liberalitas verò & beneficentia eius erga Doctores & Sacerdotes maximè prædicanda est. Nam quartam, hoc est trientem Numismatis Regij: quartam item exactionis vel capitationis ciuium: & quartam æstiui census portionem Episcopo, qui eo tempore sederet, concessit & legauit, hac additâ comminatione, vt, si quis Successorum suorum, suæ voluntati de hisce donationibus & legatis contrauenire ausus fuerit, is diris deuoueatur, & exsecrabilis sit. Ita Regnum Daniæ Religione ornatius & excultius reddidit Sueno. Ius quoque Archiepiscopi, consuetudoq; mittendi Legatos, & Episcopos in regiones Boreales confirmatum est solertia & studio Archiepiscopi, qui in demortui Bezelini, (*vt dictum supra circa ann.* 1043. 27. *Kal. Maij*) locum suffectus Suenonem diu reluctantem

ctantem ac tergiuersantem tandem in suam sententiam pertraxit.

In Breuiario Slesuicensi, à Reuerendo in Christo Patre ac Domino, Domino Godschalco de Aleuelde, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Ecclesiæ Slesuicensis (& quidem vltimo) in lucem edito, memoratur historia admodum memorabilis, vereque admiranda, quæ tunc temporis contigit, dum Danis Anglia pulsis, Northmanni eiusdem imperio potiebantur: quam tum propter veritatem tum vetustatem, in laudem Beatissimæ ac glorioſissimæ Virginis Mariæ (cum liber iste breuiarius admodum rarus sit) hic ponere, fert animus.

Ancelmvs *Cantuariensis Archiepiscopus & Pastor Anglorum, Coepiscopis suis & omnibus mysteria B. Virginis Mariæ recolentibus, salutem & perpetuam in Domino benedictionem. Cum Conceptio veneranda Dei Genetricis Mariæ, Dilectissimi fratres quemadmodum per multa experimenta signorum in Anglia & Francia, cæterisq; climatibus diuersis olim sit declarata, me narrante audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suaq; serututis officiis arctius astringere, glorioſissimo Normannorum Duce VVilhelmo, eandem primam debellando subegit. Qui scilicet VVilhelmus, Rex Anglorum factus, Dei virtute & industria sua, totius Ecclesiæ dignitates & honores in melius reformauit. Cuius intentioni piæ & operibus bonis inuidens ille bonorum omnium inimicus, tum familiariorum fraudibus, tum extraneorum incursibus, conatus est eius obsistere successibus: sed Domino protegente, & timente se Rege & glorificante, ad nihilum redactus est malignus. Audientes autem Dani, Angliam Normannis subiectam, grauiter indignati sunt, se suo quasi hæreditario iure priuari, arma parant & classem aptant, vt eos adeuntes à data sibi patria penitus expellant. Quo comperto, Rex prudentissimus, VVilhelmum Helsimum*

quen-

quendam Religiosum, Abbatem Remensienſ. Cœnobij accerſitum ad Daniam dirigit, vt huius rei veritatem inquirat. At ille, vt vir admodum ſagacis ingenij, ſtrenue negotium Regis exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur, & iam maximam maris partem proſpero curſu tranſierat. Tunc ſubito denſis ſurgentibus vndiq; ventis, horrida tempeſtas cœlum commouit & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltra valentibus obniti, fractis remis funibus ruptis, & cadentibus velis, ſpes ſalutis amittitur. Cumq; de ſalute corporum deſperati, animarum curam ſolummodo magnis clamoribus Domino commendarent, & Beatam Dei Genetricem Mariam, miſerorum refugium & deſperatorum ſpem, deuote acclamarent, ecce ſubito conſpiciunt quendam reuerendæ habitudinis virum, Pontificali infula decoratum quaſi inter medias vndas naui proximum. Qui aduocans ad ſe Abbatem Helſimum, ait. Vis ſanus ad patriam redire? cumq; ille ſe toto corde id ſolum deſiderare reſponderet, ait illi Angelus. Scias inquit, me ad te à Domina noſtra Dei Genetrice Maria, quam dulciter inclamaſti, directum, vt ſi dictis meis obtemperaueris, ſaluus cum comitibus tuis, imminens maris periculum euades. Spondet illico ſe in omnibus ei obtemperaturum, ſi hoc euaderet naufragium. Promitte Deo & mihi, inquit ille, quod diem conceptionis, & creationis Matris Chriſti ſolenniter celebrabis, & aliis celebrandum prædicabis. Ait ille, Quo tempore celebrabitur feſtum iſtud? Sexto ait, Idus Decemb. hoc feſtum ſolenniſandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio vtetur Eccleſia, & Eccleſiaſtico obſequio? Omne, inquit, obſequium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur & in eius conceptione, excepto, quod nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille diſparuit. Et citius ſedata tempeſtate, Abbas cũ ſuis incolumis cõcito gradu applicauit anglicis littoribus. Et quæ viderat audierat q; quib. potuit intimauit, ſtatuens diem Remenſiẽſi in Cœnobio celebrari & ipſe, quoad vixit deuotis obſequiis celebrauit. Et nos fratres, ſi portus

salutis volumus applicare, Dei Genetricis creationem & Conceptionem dignis officiis celebremus, vt ab eius benedicto filio digna mercede remuneremur. Hac ibi.

HARALDVS VII. *Rex Daniæ 71. Iuramenta litium decisoria introduxit. Obyt A.R.2.1080.*

Regnante Suuenone Haraldus, cui scelera Mali cognomen adiecerunt, Olai Regis Norvvegiæ Frater, Constantinopoli, Fratre mortuo, in Daniam rediens, Suenonem consanguineum regnantem reperit. Sueno Regnum Norvvegiæ ferro acquisitum, Haraldo fidelitatis Sacramentum iuranti, dedit in beneficium, id pro Ducatu accipienti, quòd is totum sese Suenoni submisisset. Haraldus ad suos reuersus, fretus eorum beneuolentiâ & fidelitate, rebellare cœpit, classemque 60. nauium adornauit, ac Daniæ oras maritimas adortus, ferro & igne eosdem vastauit ac populatus est. Maximas tunc temporis clades acceperunt Arhusia & Slesvviga. Nam Ecclesia Arhusiensis incensa conflagrauit, Ciuitas autem Slesuicensis direpta & vastata fuit. Rex Sueno terga vertit. Haraldus & Sueno quotidianis inter se prælijs, quoad vixerunt, contenderunt, Haraldus tandem in Angliam profectus est, vbi & cæsus fuit. *Ad.c.13.3.*

CAPVT XVI.

S. CANVTVS III. *Rex Daniæ 72. Episcopis sessionem à Regibus proximam & Decimas attribuit. Othoniæ, Blaccone proditore, à Fionibus ante altare internecioni datus, Anno* 1088. 10. *Iul.*

MOrtuo Suenone, Canutus, qui propter pietatem & integritatem Sancti cognomen adeptus est, in

in Regno ſucceſſit. Is ad exemplum Suenonis, Sacerdotum & Eccleſiaſticum ordinem honeſtare & promouehere cupiens, lege latâ confirmauit, quemadmodum vſu Canonum receptum ac approbatum erat, vt Epiſcopi Regibus proximi aſſiderent, & apud eos principalem locum obtinerent. Qui honos etiam Siuardo Epiſcopo Sleſuicenſi oblatus & exhibitus fuit, vt proximum à Rege locum occuparet, Regiq; aſſideret. Neque ea re contentus Rex, alijs etiam priuilegijs, immunitatibus, & honoribus, ordinem illum decorauit & ornauit: & inter alia iuri diuino, & Canonibus conuenienter, vt Clerici, Religioſi, & literati, Iuriſdictioni Politici Magiſtratus exempti, coram ſui ordinis hominibus conueniantur. Et ſi qua pœnâ afficiendi ſint, vel æris, vel grauioris mulctæ, vt id de arbitrio cuiuſque ordinis, atq; Eccleſiaſticorũ, corã Superioribus Magiſtratibus, ac Rectoribus fiat, ita enim Clericos à Laicis differre conueniebat. Quin ad inſtitutionem Sacrorum Canonum, Decimarum ſolutionem populo imperauit. Sed pius ac ſanctus Rex, dum Eccleſiæ ſaluti ac incolumitati intentus, de eiuſdem incremento ac propagatione, gloriaque ac honoris Chriſti apud ſuam gentem amplificatione, anxie ac ſollicite laborat ac contendit, malorum odium ac inuidiam ſibi conflauit, qui felicem Euangelij curſum non ſolum ſiſtere, ſed omnino intercidere ſummopere conabantur ac impedire. Nam cum in conuentu Procerum, de finibus regni amplificandis, & de Angliâ, quam ipſius Maiores ſubegerant, recuperandâ, deliberatum eſſet, adhibito ſimul in conſilium Olao fratre, ſine quo nihil decernere ac tentare ſolebat, omnibus Regis inſtitutum placuit, inprimis autem Olao, ſimulanti, ſibi eam rem maximè cordi eſſe, ſimulq; promittenti, ſe vnà in Angliam expeditionem ſuſcepturum. Quamuis regni cupiditate

tate adductus longè aliter sentiret, aliudq; clam corde agitaret. Dani vbi iam ad eam rem se paratos esse arbitrati sunt, deq; fide Olai, qui in Angliam vnà se profecturum fratri receperat, nihil quicquam amplius dubitarent, ibi Olaus contra omnium exspectationem, diem ex die ducere, procrastinare, modo hoc, modo illud causari, & quòd multis grauissimis rebus, magniq́ue momenti negocijs impediretur, prætendere. Quæres, diuturnaq; cunctatio ac tergiuersatio, non minimam sinistræ ac difficilis cogitationis suspicionem præbuit, quod aliquid monstri aleret, aliudq; corde clausum aliud ore promptum haberet. Cumque Rex non obscuris indicijs accepisset, eum sibi insidias struere, præter omnium exspectationem magnis itineribus Slesuicum contendit, vbi tum Olaus agens nouis rebus studebat, vrbis amplitudine & loci oportunitate, vt quæ in Isthmo, & finibus Regni Daniæ sita esset, fretus. Fratrem nihil quicquam mali metuentem de improuiso aggreditur, captumque in Flandriam relegat, quòd eum rerum nouarum & Imperij cupidum, magnæque apud Danos authoritatis, & animi in se infensi cognouisset. Quare ne longius eius dementia progrederetur, mature prouidendum, operaque danda, ne quid in posterum sibi nocere ac obesse posset. His peractis Rex iterum in Daniam magnis itineribus contendit, vt classe, quam instructam habebat, in Angliam transmitteret, bellandi & Insulæ recuperandæ studio ac desiderio incensus ac commotus. Sed longè aliter res cecidit, quàm sperarat. Nam ad suos reuersus omnium ordinum & plebis animos à se abalienatos, reperit, vsque adeò, vt nauibus relictis in summum Regis contemptum atque opprobium vnusquisque domum suam repeteret. Hac subditorum suorum contumacia ac temeritate Rex commotus, edicto publico im-

eo imperat, optione datâ populo, vt vel grauissimam Regi mulctam pendant, deq; illatâ contumeliâ hac ratione satisfaciant: aut Sacerdotibus ac ministris Dei quotannis Decimas persoluant. Congregatione totius Regni facta, consilioque habito, Regi renunciatum est, malle populum exactionibus semel grauari & vexari, quàm in seruitutem perpetuam vnà cum liberis & nepotibus conijci, quæ Decimarum annuâ solutione illis subeunda esset. Quod cum Rex accepisset, exactiones imperauit, missisq; in omnes Regni partes ministris, vt capitationis nomine pecuniam exigerent & Regis Imperium exsequerentur, illis in mandatis dedit. Eos populus, cum pro Imperio agerent, & paulò durius ac asperius pecuniam extorquerent, interemit, conspirationeq; facta de Rege quoq; necando, consilia iniuit. Quæ res cum per indicium Regi enunciata esset, timore adductus, & periculi vitandi causa, Slesuicum tanquam ad asylum firmissimum, vnà cum vxore & filiabus profugit, eo consilio, vt, si res postularet, inde in Flandriam cum suis traijceret. Sed paulò post mutato consilio, quòd iam furorem populi deferbuisse existimaret, in Daniam reuertitur. Est locus in meditullio Iutiæ celebris, qui ob celsitatem, siue propter antiquorum sacrificiorum frequentiam, vel ob Idoli ibi culti, quod Wyg nominabatur, memoriam, Wygbergis / hoc est, Mons excelsus, aut Mons sanctus nominatur. Eò populus ex totâ Iutiâ ad iudicium conuenire, & bona sua repetere: actionesque omnis generis intendere, & persequi lite & iudicio solet. Huc Rex confugit, quòd eum locum putaret fortunæ suæ miseriæ & iactatæ portum & perfugium futurum. Sed cum illic sibi insidias parari comperisset, relicta Wiberga in Fioniam properauit. De cuius aduentu populus certior factus, spiritu Diabolico afflatus & inflammatus

in

in Regem conspirat: numerusque eorum, qui de Rege interficiendo consilia capiebant, quotidie crescebat. Ad quam rem se administrum præbuit, homo versutus & sceleratus, Blacco nomine, qui sub prætextu pacis conciliandæ, & transigendi inter Regem & populum, ad mensam & colloquium Regis admissus, & liberaliter habitus fuit. Atque vbi animum & voluntatem regis explorasset, ad populum seditiosum reuersus, tantum abest, vt sedandis motibus studuerit, vt omnia in peiorem partem interpretatus sit, verba Regis peruerterit, atque in eius necem animos eorum iamdudum inflammatos atque exulceratos, magis concitauerit atque incenderit. Cumque Rex, qui turbas ac seditionem populi iam sedatam, atque in tranquillo collocatam existimaret, ijs, quibus maximè fidebat, comitatus, ad ædem S. Albani, vespertinas preces auditum, sese contulisset, populus in continenti eum subsequutus est, magno impetu violentisq; manibus, plerique valuas Basilicæ infringere, alij ignem admouere ceperunt. Interim Rex religiosissimus, qui videret sibi interitum parari, peccata sua confessus, communione corporis & sanguinis Christi, tanquam viatico omnium certissimo sese communiuit. Ibi tum populus Regem, eosque, qui in ædem sacram conuenerant, iaculis & saxis per fenestras petere, & vbicunque apertura esset, oppugnare. Rex, qui mortem præ oculis videret, coram altari sese abijciens, in modum crucis pronus procumbebat, seque, suosq; Deo commendabat. Benedictus & Ericus, Regis Fratres, Regi suppetias ferre conantur. Sed multitudini in limina irrumpenti obsistere non potuerunt. Ericus non sine vitæ discrimine elabitur. Benedictus vnà cum Satellitibus Regis irrumpentes excepit, & quosdam interemit. Inter quos & Blacco proditor occisus, proditionis pœnas dedit.

Sed

Sed & Benedictus Frater Regis insons occubuit. Rex precibus fundendis intentus trucidatur. Nam quidam, lancea per fenestras immissa, latus eius transfodit & transfixit. Hic fuit exitus tristissimus ac calamitosissimus quanquam beatissimus Regis optimi, deq; Ecclesia Christi præclarè meriti, diuinæ veritatis Catholicæq; Religionis ac fidei amantissimi, eiusque Patroni ac defensoris acerrimi ac studiosissimi.

In cuius sancti ac Beati Regis sempiternam memoriam, inserere iterum huic historiæ libet, insignem eius commendationem, ex Breuiario Slesuicensi antea nominato, vbi primum hac oratio præmittitur.

Deus, qui hodierna die Beatum Canutum Regem & Martyrem à subditis sibi plebibus iniuste peremptum, glorioso Martyrio coronasti: præsta quæsumus, vt ipsum apud te sentiamus intercessorem, quem credimus in cœlis gratia tua glorioſe regnare victorem. Huic orationi vlterius subijcitur, in præfato hoc breuiario, succincta ac breuis vitæ, remq; eius gestarum, nec non glorioſissimi martyrij descriptio ac commendatio.

Canvtvs *Rex Danorum, acutus ingenio, specie decorus, armis ac animo strenuus, mentisq; industria & oris facundia redolebat. Ad miseras personas viscera gerebat materna: diuinum cultum ampliabat, carnemq; propriam ieiunijs affligebat. Nam solennibus ac priuatis ieiuniorum diebus, nec non & sextis feriis panem solummodo cum sale & aqua comedebat, cum aliis ferculis regalibus, quæ ei apponebantur, vti credebatur.*

Considerans autem se Regem factum, propter hoc vt iustitia coleretur, incepit Regni prauas constitutiones pro viribus extirpare. Et vt populus contra ignauiam, virtuosum exercitium haberet, edixit, vt classis paretur pro Anglia subiuganda, quæ à Dominio Danorum recesserat, & tunc erat per extraneos occupata. Cumq; naues parentur, ac superue-

nienti

nienti tempore autumnali populus supplicabat Regi, vt propter culturam agrorum, & occupationem rei domesticæ suspenderet expeditionem vsque ad tempus vernale. Quod & Rex annuebat. Omnibus igitur ad propria reuersis, cœpit edicta proponere cum comminatione vindictæ, vt Decimas populus Ecclesijs solueret, ieiuniáq; per Ecclesias indicta reseruaret. Plura etiam alia, quæ secundum Deum statuenda videbantur. At populus vesanus vicijs & iniuriis assuetus contra Regem propter salubria edicta odium concepit: ac destructionem ipsius, primo per occulta conuenticula tractare cœpit, incentiuum habens per Olaum Regis fratrem, & quosdam proceres qui Olao adhærebant. Est autem locus celeberrimus ferè in medio Luciæ, qui ob sui eminentiam, siue ob antiquorum sacrificiorum frequentiam, vel ob idoli quondam ibi nominatissimi, quod Wyg dicebatur memoriam Wygbergis (veluti excelsum, aut belli mons, seu sanctificationis, lingua Danica) nuncupatur, vbi pro causis terminãdis, siue pro legũ veritate & firmitate discutienda, populus ex more de omnibus partib. Luciæ congregabatur. Hunc locũ nobilis Princeps adijt, vt vel ibi refugium inueniret. Sed dum illic insidias paratas videret, versus Fioniam properauit. Cumq; Fioniam intrasset, cœpit & ille populus diabolico spiritu inflammatus in mortem pij Principis conspirare. Confluit ergo malignus populus, ac de die in diem augmentatus. Aderat inter eos versutissimus proditor dictus Pipireo (Blacco) qui Regem adijt sub specie pacis faciendæ inter populum & ipsum. Suscipitur reuerenter, & in mensa Regis honoratur. Sed cum Regis propositum cognouisset, rediens ad populum, omnia verba Regis peruertit, atque in necem pij Principis eorum animos malignus proditor concitauit. Rex autem cum aliquibus sibi fidelibus ad Ecclesiam S. Albani accessit pro vesperis audiendis. Quod cum populus comperisset, subito eum insequitur: alijq; valuas Basilicæ infringere, alij ignem admouere tentabant. Interea Rex deuotissimus per confessionem, & Dominici corporis communionem se

muniuit:

muniuit. Cumq; obstinatus populus ipsum & socios eius, iaculis & saxis per fenestras, aliasq; aperturas nimium infestarent, Rex pius coram altari in modum Crucis procumbens, se & suos Domino commendabat. Dum autem sic orando iaceret, vnus per fenestram, immissa lancea latus eius transfixit, Christo Martyrem fecit. Hæc ibi.

CAPVT XVII.

OLAVS IV. *Ex Flandria à Vitis reuocatus, Rex Daniæ 73. summam annonæ caritatem morte expiauit, Anno 1099. 9. Iul.*

Censuram tristi sacram dum mente volutat
Spernere Rex, aris ipse Rodolphus adest.
Papa audit causam, tunc Regem Flamine donat
Summo, Metropolis iure caditq; suo.

A. C. 1065.

ANNO 1064. Slesuicum missus fuit Rodulphus, ab Adalberto Magno Episcopo Hamburgensi, qui Episcopatum regeret ac administraret, vir vitæ sanctitate insignis, doctrina singulari præditus, quique apud Adelbertum Sacellani officio antea functus fuisset. Cui etiam pro opinione virtutis ac pietatis hic honos habitus fuit, vt templum maximum Mindæ, quod vnà cum tota Ciuitate conflagrauerat, & decem post annis reædificatum fuerat, iterum inauguraret & consecraret, Henrico IV. Imperatore præsente & solennem hunc actum decorante, Anno 1080. idq; ratione affinitatis cum Rege Knutone factum esse, verisimile est, cui hunc honorem Imperator præstare & exhibere voluit. Nam Knutonis Magni filiam

Gunildam Henricus III. Imperator in vxorem duxerat. (*Saxo f.* 108. *Helmol.* 48. *Crantz.* 102.) Alioqui mirum videri posset, quod in literas relatum est, à Pontifice extero, & in loco remoto agenti consecrationem Ecclesiæ Mindensis factam esse. Olaus qui Slesuici in vincula coniectus, & in Flandriam relegatus fuerat, carcere liberatus domumque reuersus, Kanuto Fratri in Regni imperio ac gubernatione successit. Qui toto tempore, quo imperio præfuit, expertus est Deum vindicem esse scelerum, & sanguinem innocentem exposcere de manibus illorum, qui illum effuderunt. Nec Rex solum qui nefandæ ac detestandæ illius aduersus S. Canutum coniurationis conscius, & quasi author ac Princeps fuerat, sed & Dania tota, finitimæque gentes grauissimam ac seueriſſimam vltionem diuinam expertæ sunt, pœnasq; suæ impietatis dederunt, longè duriſſimas ac acerbiſſimas. Nam non multo post, tanta rerum omnium summa caritas ac inopia extitit, tantaque laboratum est annonæ penuriâ, vt propter frugum inopiam multi fame perirent; quiq; superstites essent, vitam diuturnam sibi polliceri non possent. Idque quod non aliunde alimenta & cibaria, ad subleuandam tantam rei frumentariæ inopiam, quibus tamen finitimæ gentes abundabant, aduehi ac importari tuto ac commode posse, viderent ac perspicerent. Nam vndique ab hostibus Dani premebantur, & eo anno frumentum in Daniâ veris tempore vredine exesum, propter siccitates anguſtius prouenerat. Quam vredinem ingens caloris æstus subsecutus, segetes arefecit & aduſſit: Autumno autem, ob copiam imbrium & pluuiarum continuarum agri, & loca culta aqua natabant, vsque adeo vt aristas ex aquis colligere oportet. In locis decliuibus & vallibus cymbis vecti, fruges demessuerunt. Aristas demessas fur-

furnis & fornacibus calefactis arefecerunt & siccarunt, vnde panem pinserent. Sed & ex farinâ illâ panis qui esui esset, subigi aut fieri non potuit, itaque pro pulte conuesci, necessitas extorsit. Ita consumptis longè lateque frumentis, in summis versabantur angustijs, quòd nemo huic inopiæ succurrere, reiq; frumentariæ mederi posse cernerent. Rex Olaus multis prædijs abalienatis, quo militem aleret ac sustentaret, vix habuit. Die quodam, Rege natalem suum celebrante, vix tantum cibariorum suppetebat, quo inuitati saturarentur. Rex qui videret ob iniustam ac nefandam fratris cædem perpetratam, delictaque enormia ac grauissima commissa, Daniæ Regnum ita diuinitus inopia ac calamitate affligi, assiduis ac indefessis precibus à Deo contendit, vt, si quid iræ ac indignationis aduersus populum concepisset, in se, non in populum effunderet ac deriuaret, seque è vitâ tolleret, vt qui huius calamitatis author esset, & populo parceret. Cuius etiam preces Deus exaudijt, eumque rebus humanis exemit.

CAPVT XVIII.

ERICVS III. *bonus, Rex Daniæ 74. post impetratam à Papa Romano exemptionem à Iurisdictione Archiepiscopi Bremensis, Archiepiscopatum Lundensem instituit, eiq; Episcopatus Boreales subiecit, Hierosolymam cum vxore Bothilda profectus in Cypro moritur. Anno* 1102.

OLAO successit Ericus, ex Suetiâ, vbi hactenus ætatem egerat, euocatus. Cuius regnum Deus in ipso administrationis auspicio ita fortunauit, vt superiorem rei

frumentariæ inopiam, magnâ frugum vbertate abunde remuneraret & rependeret: quod iam cœlum mitius omnia vbertim & copiosè suppeditaret & produceret. Rex ob insignem pietatem & integritatem Boni cognomen inuenit, Danicè Eigodt. Wandali vbi accepissent, in quas angustias Daniæ Regnum redactum esset, nouis rebus studebant, commodam iam occasionem rati se nactos, quæ minimè negligenda esset. Itaq; bellandi cupidi Daniam inuadunt, & pyraticam strenuè exercent, multis interfectis, plurimisque spoliatis & abductis. Quibus rebus cognitis, concilio habito, req; deliberata, placuit belli gerendi prouinciam proceribus Regni Daniæ demandare ac committere, Regem vero domi retinere. Iulinum quò Pyratæ, qui hactenus Daniam incursionibus & latrocinijs infestassent, sese tanquam in asylum recepere consueuissent, prius expugnari ceptum est. Ciuitate obsessa, Ciuibus imperant, vt Pyratas omnes vnà cũ hominibus maleficis & facinorosis, qui scelerum causa solum vertissent, vrbe eijciant, eorumque potestatem faciant, nec non mulctæ nomine grandem pecuniæ summam exsoluant. In Pyratas & transfugas grauissimè animaduersum est. Nam ad palos deligati, reuinctis post tergum manibus, ventre aperto, exenterati & euiscerati sunt, corde etiam euulso & ori impacto, additis verbis contumeliosis, quibus illis culpam ac delicta exprobrarunt, vt nouo hoc supplicij genere, alij imposterum similibus peccatis deterrerentur. Qua re comperta, Archiepiscopus Bremensis Liemarus grauiter commotus, Regem diris deuouet, & excommunicationis fulmine ferit, quòd existimaret, eum in pœnis inferendis modum excessisse, tyrannidemq; ac crudelitatem noua ac insolita hac pœna exercuisse. Rex accepto hoc nuncio indignatus, vt qui nullius sibi criminis conscius

scius esset, Romam proficiscitur, & de iniuria ab Episcopo illatâ queritur. Pontifex vtraque parte audita, Regem absoluit, & excommunicationis vinculo, quo irretitus erat, liberat. Rex his rebus adductus, apud Pontificem instare, vt Iurisdictione Archiepiscopi eximeretur, atque vt Archiepiscopus in posterum ex numero Episcoporum Regni Daniæ cooptaretur, subeundo visitationis muneri, quod hucusque Hamburgensis obisset. Papa ad Regis instantiam recepit, se Cardinalem missurum, qui de statu Ecclesiarum Regni Daniæ cognosceret, & ad se referret. Cumq; præter spem & exspectationem hoc negotium aliquanto longius differretur, Rex tandem moram pertæsus, cum Hierosolymam versus peregrinationem suscepisset, denuò Legatos ad Pontificem misit, qui de mittendo Cardinali, vrgerent & instarent, quòd Rex non libenter vellet in posterum Ecclesias suas externi alicuius Episcopi Iurisdictioni & potestati subiectas esse. Ibi tum Legatus à Pontifice mittitur, qui de Regni & Ecclesiarum statu ad Pontificem retulit, eoque rem perduxit, vt Pontifex Regis precibus, & calumnijs, quibus grauatus erat permotus, Archiepiscopum Lundensem designaret Ascherum nomine, cui Daniæ, Suetiæ, & Norvvegiæ Episcopi subiecti, vsq; ad tempora Anastasij, id est, vsque ad annum 1153. Papæ obedientiam præstiterunt. Quo tempore Norvvegia peculiarem adepta est Archiepiscopum, quem Nicolaus Cardinalis, ab Eugenio Papâ ablegatus, emenso mari Britannico, præsidente Eschillo Lundensi constituit, qua ætate & Norvvegia Regem peculiarem habuit. Ita propter censuram & excommunicationem temerè ac inconsideratè aduersus Regem decretam, Archiepiscopus Bremensis Iurisdictionem in Religiosos & Clericos, visitandiq; ius, quod à primo quoque tempore Euangelij publi-

cati in totâ Daniâ habuerat, amiſit. Rex tamen præpropera ac immatura morte prȩuentus, Archiepiſcopi confirmationem, & reformationem à Pontifice factam oculis ſuis non vidit, atque perſpexit, vt qui peregrè in Cypro mortem obierit. Eo autem peregrinante & abſente, Aſcherus & electus, & à Pontifice confirmatus fuit. Qui & poſt, Epiſcopos à ſe ordinatos, & confirmatos, in Ducatum Sleſuicenſem miſit, vt & ipſius Succeſſores, quemadmodum ſuo loco oſtendemus.

CAPVT XIX.

HAc ferè ætate, anno ſcilicet 1066. plus minus, floruit Anſuerus, vir ſingulari pietate & eruditione præditus. (*Metrop. f. 70. Helm. 21.*) De quo nobis hic aliquid dicendum eſt, quòd illuſtre ac inſigne hoc decus Patria noſtra vrbs Sleſuicenſis tulerit nobisque dederit. Anſvverus nobili genere prognatus, Patre Oſvvaldo Equite ſtrenuo, & Matre Agnete, & quidem Sleſuici in ædibus illis, quæ plateam (Caninam vulgò dictã,) ingredientibus ad ſiniſtram ſeſe offerunt, (quas nunc, quando ego hæc ad poſteritatem tranſmitto, Bernhardus Soltovv Quæſtor Ducalis Gottorſienſis poſſidet, quemadmodum conſtanti fama ad nos perlatum eſt. Annos natus quindecim, hæres futurus paternorum bonorum, parentibus inuitis & reclamantibus, totum ſe literarum ſacrarum ſtudijs dedit. Quæ tamen ſtudia initio naſcentis Eccleſiæ in his oris fere neglecta & contempta iacebant, etiamſi Sleſuicum ciuitas Saxonum Tranſalbinorum, vt eam *Helmoldus* & alij nominant, opulentiſſima, & populoſiſſima

sissima esset. Itaque relictâ Patriâ, & parentibus, Raceburgum profectus, idq; hortatu Rudolphi Episc. Slesuicensis, Cœnobium S. Georgij ingressus est: vbi eo tempore inter Paganos, Idololatras, Monachi ordinis Benedictini viuebant. Vbi cum plusculum temporis exegisset, Christianæ doctrinæ fundamentis perceptis, ad Religionis professionem sese admitti petijt. Quod cum impetrasset, assumpto religioso habitu, tantos in studijs literarum progressus fecit, vt inter viros doctos Principem locum obtineret, vitæq; sanctimonia & exemplo cunctis præiret. Sacris initiatus, & ad Sacerdotium promotus, totus contemplationi rerum diuinarum, ardentibus precibus insistens, cor & corpus suum feruenti deuotione in sacrificium Deo offerebat, & lachrymis litabat. Cumque Monasterij Abbas vel Rector è viuis sublatus esset, ipse cunctis Collegarum suffragijs, vnanimiq; omnium voto ac desiderio, Abbas creatus ac designatus fuit, nomen ac officium boni Pastoris consequutus. In quo munere ita se gessit, vt magnam apud omnes laudem inuenerit, vt qui gregem sibi commissum non tantùm verbo, sed & exemplo erudiret & regeret. Collegas verò delinquentes & peccantes ita correxit, vt nec rigore & asperitate eos planè pessumdaret, nec nimiâ facilitate eorum erratis indulgendo conniueret. Sed & verbum Dei in Slauiâ, quæ nondum ad Christum conuersa erat, publicauit, & docuit, vnà cum Collegis & fratribus, quos viginti octo fuisse memoriæ proditum est, & plurimos ad Religionem conuertit. Qua de causa in odium Slauorum primariorum, qui à Religione Christianâ abhorrebant, adductus, vnà cum Collegis summo in discrimine aliquamdiu vixit, quoad Slaui, qui inueteratum Dæmonum cultum aboleri nolebant, impetu in Monasterium facto, Ansvverum vnà cum Collegis

comprehensos in Monte non procul à Monasterio sito apud *Rinsberg* lapidauerunt. (*Ada. cap.*11.*libr.*4.) Ansvverus veritus, ne Collegæ ipsius, terrore supplicij fracti ac perterrefacti, religione abnegata iterum deficerent, ab ijs, qui eos lapidaturi erant, cum ad supplicium duceretur, precibus contendit, vt prius quam ipse lapidibus obrueretur, de Collegis sumeretur supplicium, quò fortitudine & constantiâ Christianorum Martyrum, malè de Religione sentientes pudore ac ignominia suffunderentur, certaque fide ac indubitata spe contra coronæ gloriæ breui indipiscendæ non excciderent collegæ, nec pusillanimitate sua Slauorum diffidentiam augerent, Religionemq; deridendam propinarent. Quibus trucidatis, ipse in genua prouolutus, exemplo Stephani, Deo animam commendauit, & tradidit, magnâ cum hilaritate. Atque ita testibus *Annal.fol.*130. *Ada. cap.* 11.*lib.*4.*& Helmoldo lib.*1.*cap.*22.*&* 23. Idibus Iulij Martyrij decora sibi peperêre. Quo die & eorum memoriam celebrarunt Maiores nostri. Ansvveri brachium adhuc Stadij in Ecclesia Beatæ Mariæ exstare & conseruari dicitur. *Crantz.lib.*4.*Metropolis.*) Ad eius sepulchrum cœcos visum recepisse, & alia miracula edita esse, virtute & Clementiâ Seruatoris nostri, Antiquitas memoriæ prodidit, quod nos, vt constanti fama ac indubitata fide à maioribus ac progenitoribus nostris accepimus, ita ad posteros Fide ac verò transmittimus.

Quanto autem honore ac veneratione, memoria Sanctissimi ac Glorioſissimi martyris Ansueri, in Ecclesia celebrata fuerit, ex Breuiario nostro Slesuicensi, à Reuerendo nec non Nobili ac Generoso Domino, Godschalco de Aleuelde (vt ante dictum) edito, aperte colligitur, vbi cum totum vitæ eius curriculum, & beatum ac glorioſum eius Martyrium prolixè describatur: non inutile operæ ac laboris pretium

me

me facturum existimaui, si in Viri huius sanctissimi, de Ecclesia Christi præclarè meriti, & popularis nostri Slesuicensis, æterna laude digni, sempiternam memoriam, verba ex præfato Breuiario deprompta, huic historiæ insererem.

Præmittitur autem primum more consueto Oratio. *Adesto Pater gloriæ nobis, vt victoriæ laudes tuorum Martyrum, digne possimus promere, Ansueri & eius Sociorum.*

Cordis ex secretario, gens omnis simphonizat:
Nam in tormento vario, Ansuerus stephanizat.
Cœleste viridarium, iocunde tunc stipatur.
Cum felix per Martyrium, hic mundus irrigatur.
Auete sancti Martyres, Ansueri comitiua:
Orate, ne nos flebiles mors tangat recidiua.
Sancte Ansuere, Martyr Dei inclyte,
Cum tuis consortibus, Ora pro nobis, quæsumus.

Item:

Pange terra Holsaciæ, Nobilis & Generosa:
Nam de tua progenie, prodijt rubens rosa:
Ansuerus, qui nobiliter ex te generatur:
Per quem ineffabiliter multa mirabilia Deus operatur:
Ex cuius odoris fragrantia, tota redundat Slauia.

Sequitur Elogium. *S. Ansuerus, innocens ab infantia, mãsuetus in pueritia, sobrius in adolescentia, secutus parentum vestigia, tantis virtutum moribus est adornatus, vt vsque ætatem virilem, qua perfecte vixerat, propter suæ perfectionis culmen, possit Beato Iob comparari.*

Oratio. *Deus, qui Beatum Ansuerum sociosq; eius, glorioßimo Prothomartyri tuo Stephano in passione coæquasti: concede propitius, vt eorum meritis & intercessionibus, à tormentis perpetuis liberemur & ad vitam peruenia-mus æternam.*

Regi regum Domino, venite iubilantes:
Qui sanctos in martyrio, confortat agonizantes.

Hymnus.

Æterna Christi gloria de Martyrum victoria,
Laudetur cum tripudio, in cordium pallacio.
Cultores vineæ Dei, in charitate flammei.
Ansuerus nam cum socijs, sunt iuncti cæli incolis.
Pro fletu transitorio, vescuntur cœli gaudio.
Quorum nobis precatio, sit mentis iubilatio.
Laudemus Patrem omnium, laudemus sanctum Spiritum
Trinum & vnum Deum.

Alius:

Ansuerus in consilio non abijt prauorum:
Quapropter nunc collegio sortitur Beatorum. Ps. 1.
Cur in Sanctos Domini, gentes fremuerunt,
Quos nece valde flebili, flebiliter strauerunt. Ps. 2.
Inuocantes Domine, sanctos exaudisti,
Quos in tuo nomine, pati voluisti. Ps. Cum inuocarem.

Descriptio vitæ eiusdem ortus, progressus, ac exitus ex eodem Breuiario.

B. Ansverus *Nobili prosapia, videlicet ex Patre Osvvaldo, milite strenuo, & matre Agneta progenitus: de Ciuitate Slesuicensi fuit oriundus. Ipso namque tempore, sicut ex Hamburgensi colligitur Cronica, Slesvvick, ciuitas Saxonum transalbianorum, quæ sita est in confinio Danici Regni, opulentissima atque populosissima, ex improuiso, paganorum incursu funditus est excisa. Ansuerus spreuit Scoriam terrenæ dignitatis, vt vsurparet gloriam cœlestis Ciuitatis. Dereliquit patriam iuuentutis flore, adeptus castimoniam sub Benedicti more. Elegit abiectus esse in domo Dei sui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hic B. Ansuerus, cum quindecim esset annorum, & hæreditatis paternæ speraretur futurus hæres, parentibus inuitis, literarum anhelauit studiis erudiri. A patria igitur & parentibus discedens, declinauit viam suam, bono duce Spiritu, ad Cœnobium sancti Gregorij in Ratzeborch, in quo tunc temporis*

inter

inter paganos, idololatras, degebant Monachi Ordinis sancti Benedicti.

Vt rosa vel lilium, constipat viridarium,
Sic æquali forma
Per Osvvaldi filium, fulcitur Monasterium,
Sub Benedicti norma.
Sicut nouellæ plantationes à iuuentute sua.

Consideratis vero mundi blanditijs, quæ nullum durabile præstant subsidium, aliaq; fortunæ secularis despiciens, prædictum adijt monasterium, & feruenti desiderio ad Religionem se recipi postulauit. Deo itaq; volente, qui omnia quæ vult, facit & disponit, postulata faciliter impetrauit.

Eia Rachel sponsa Christi, militans Ecclesia.
Quæ tot proles edidisti, quot ad cœli gaudia
Animas tu transtulisti, per tormentorum genera.
Quorum neces tu fleuisti, per sancta desideria.
Filij tui sicut nouellæ Oliuarum in circuitu mensæ tuæ.
Bonæ voluntatis scuto coronasti Domine.
Quos ex huius mundi luto, extraxisti hodie.
Ex ore patientium, vis Christe collaudari.
Vt virtus innocentium, posßit comprobari.
In Dei tubernaculo habitat Ansuerus.
Qui in Slauorum populo, fuit Doctor verus.

In eodem autem Monasterio habitu indutus religioso, proficiebat super coæuos suos, qui secum scholis inerant, tam literarum studijs, quam virtutum exercitijs. Ad Sacerdotium denique promotus, mira deuotione contemplatiuus, lachrymosis orationibus insistens, cor & corpus suum sedulè Deo in sacrificium offerebat. Et inter Missarum solennia, crebra meruit reuelatione diuina consolari.

In Patrem dum eligitur Ansuerus, vir discretus,
Ex hoc non erigitur in corde, sed mansuetus,
In pietatis opere permansit indefessus.
Quod docuit summopere alios, est aggressus.

Hic

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Tandem dicti Monasterij Abbate defuncto, concordi fratrum electione, sanctus Ansuerus Abbas effectus, nomen & rem boni pastoris est assecutus. Rexit namque gregem sibi commissum, verbo & exemplo. Delinquentes fratres ita correxit, vt nec nimis rigidus eos subuerteret, nec, præter modum remissus, eos in errore confoueret. O sacratissmi amatores Trinitatis Deificæ, Abraham in montis radice tres viros vidit, & vnum adorauit, sic Ansuerus ex vno ore tres simul & semel, emisit melodias: Abraham vidit tres viros: tres vidit & vnum adorauit, sic Ansuerus.

Cum ergo sanctus Pater Ansuerus, cum 28. fratribus suis, verbum Dei fiducialiter per Slauiam prædicaret, & plurimos ad fidem conuerteret, indignati Magnates, ipsos in monte non remoto à monasterio lapidauerunt. S. Ansuerus, cum ad passionem veniret, supplicauit persecutoribus, vt prius socij, quos deficere metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum B. Stephano genua posuit, & ipsius patrocinia inuocans, lapidatus animam reddidit suo creatori. Ad cuius sepulchrum cæci illuminati sunt, & multa miracula operatur clementia nostri Saluatoris.

Sicut non potest ciuitas in monte celari.
Sic & nequit sanctitas in sanctis occultari.
Hoc in Ausuero panditur sancto sufficienter.
Cui de cœlo mittitur virga non latenter
In cereumq; vertitur valde competenter.
A Domino factum est istud & mirabile in oculis nostris.
In te sperantes, hos & pro te morientes
Cœlorum Domine, conseruabis benedicte.
In mundo, corde permanserunt sine sorde.
In terra Domini consistunt ergo locandi.
Pro plebis facinore te Christe deprecantur.
Qui in suo sanguine pro te rubricantur.
O militantis Ecclesiæ capitanei fortissimi.

O tri-

O triumphantis militiæ phaleratores.
S. Ansuere cum tuis sociis hos precibus vestris defendite.
Quos in vestro seruitio humiliter cognoscitis permanere.
Apud Christum patrociniis vestris adiuuemur semper.
Ex terrenis inquilinis fiunt ciues cœlici,
Dum necantur à lupinis viris viri angelici.
Per quos Slaui sunt doctrinis docti rosis Mellici,
Et erepti à latrinis carceribus Eumenici.
Vindica Domine sanguinem tuorum qui effusus est.
Eia vos triumphatores pro nobis intercedite,
Et peruersitatis mores in nobis corrigite:
Vt adiutos vestra prece, Deus creator omnium,
Et ablutos ab hac fece perducat in Empyreum.
Apud Christum vota nostra promouete precibus.
Præcinctus fortitudine Dominus regnauit. Item.
Qui suos pulchritudine sanctos decorauit.
Seruiet iubilo Deo plebs fidelis:
Qui sanctos à periculo liberat & à pœnis:
Adhæserunt Domino martyrium sitientes;
Cuius in seruitio steterunt vigilantes,
Sancti & humiles corde hymnum dicite Deo, Halleluia.
In collegio sanctorum laudetur Rex eorum.
Rex glorioſe Martyrium, remunerator omnium. Item.
Qui sanctos per Martyrum perducis in Empyreum,
Rubescit in Slauonia Flos, quem diuina gratia
Extraxit ex Holsatia, quem triuit gens incredula.
Hic in pueritia, subiecit cuncta vitia:
Sub benedicti Regula, vixit in castimonia.
Quod experiens æmulus castitatis Diabolus.
Hunc contra sanctum stimulis tumultuauit plurimis:
In Abbatem eligitur, quod vir iustus renititur.
Sed victus prece populi, suscepit iugum Domini.
Trinitati sit gloria, per cuius beneficia,
Ansuerus his cum socius tantis claruit miraculis.

Amen.

Gaude

Gaude Ratzeburgensis Ecclesia, diuinitus inspecta.
A Deitatis clementia, medullitus electa;
Quæ Sanctorum sanguine pulchre rubricaris,
Quorum nunc iuuamine mire gubernaris.
Mirantur ciues cœlici, & spiritus tartarei,
Stupent, quod hæc fragilis natura, sit tam agilis,
Quod cum tanta gloria, in passionis victoria,
Ad cœli transit gaudia.
O Ansuere vir Nobilis, cum quater septem sociis,
Pro nobis preces fundere, velis & intendere,
Quod annuis deuotionibus, tua festa recolimus. Et hæc Breuiarium.

CAPVT XX.

NICOLAVS *Bonus Rex Daniæ 75. cum Vandalis, qui Slesuicum depopulati sunt, vario conflixit Martè: à Ciuibus Slesuicensibus populari tumultu in Arce circa plateam Cespitum sita cæsus. Anno* 1135.

Asscherus Præsul Danorum magnus, in oris
Gunnerum nostris misit adesse pium.
Anxius à Slauis obsessa viuit in Vrbe,
Dum pulsant Ciues inuida tela bonos.

ANNO 1072. Gunnerus natione Danus, ab Anschero primo Archiepisco Lundensi ordinatus & consecratus est, qui Episcopatum Slesuicensem administraret. Hic spectator fuit eius cladis & calamitatis, quam Slesuicum vrbs maximam accepit, vt qui id temporis dum vrbs Slesuicensis à Slauis obsideretur in ea vixerit. Causam & occasionem autem huic calamitati præbuit, Controuersia inter Danorum Regem Nicolaum, & Henricum Principem Slauorum Godscalci

scalci Filium exorta de bonis maternis, quæ Henricus vxori suæ conferri & exhiberi petebat. (*Godscalcus enim Princeps Slauorum Christianus, duos habuit filios, Henricum quem ex filia Danorum suscepit, & Buthue ex secunda Coniuge. Helmol. cap. 24. Gotscalcus anno* M.LVII. *à Slauis est interfectus, quos ipse ad Christum conuertere conabatur. Vir omni æuo memorabilis, magnam partem Slauoniæ conuerterat ad diuinam religionem. Passus autem est in vrbe Leontia, quæ & Lensin vulgò dicitur.* VII. *Idus Iunij, cum Presbytero Ippone, qui super altare immolatus est, & alijs multis tam Laicis, quàm Clericis, qui diuersa pro Christo subierunt supplicia. Annal. fol.* 131. Quod cum à Nicolao impetrare non posset, negante eam illi hæreditatem deberi, armis eam extorquere statuit. Itaque plagam illam, quæ inter Albim & Slesuicum sita est, cum exercitu ingressus, eam vastauit ac depopulatus est, incolisq; vacuam ac inanem omnino reddidit. Accidit id anno Christi supra millesimum sexagesimo sexto. In Danos autem veluti authores harum litium, Slaui acerbitatis suæ virus emouere cupidi, vxorem Godscalci, ex qua Filium suscepit Henricum, (*Ad. c.* 13. 4. *Syrita dicta. vide latius Adamum eodem loco.*) quæ filia erat Regis Canuti, & Soror Nicolai Regis Danorum, cum alijs matronis Christianis, apud vrbem Mekelenburgam, in contemptum Religionis, & ignominiam Danorum, vestibus nudatas, dimittunt, & abigunt. (*Ad. Filiam Regis Danorum, vxorem videlicet Godscalci, cum cæteris mulieribus cæsam quoque esse scribit, c.* 12. *lib.* 4. *Helmol. c.* 24.) vt exemplum ac spectaculum, nec non terrori ac formidini omnibus essent, ipsoq; facto significarent, se omnes eo loco habituros, qui Christum profiterentur illiq; nomen darent. Atque horum omnium autor & inceptor fuit Blusso (*quem Plassonem Adam. libr.* 4. *c.* 13. *Annal. fol.* 131. *Homold. c.* 24. *nominant.*) Slauus, homo nefarius, & Christianæ Reli-

Religionis hostis acerrimus ac infensissimus, qui Godscalci sororem in matrimonio habebat. Qui & eodem tempore territorium Hamburgense ferro & igne vastauit, arce, quam ad lacum Alstriam Dux Bernardus condiderat & communierat, funditus deleta & excisa, & in contumeliam Religionis, imaginibus Seruatoris nostri & crucis deiectis & prostratis. (*fol.* 131. *Annal.*) His rebus perspectis, Nicolaus Rex arma parat, & prope Lubecam hosti occurrit, vbi prælio commisso acriter pugnatum est. (*Chronic. Holsa. f.* 40.) Exspectabatur etiam Elinus Præfectus Slesuicensis, (*nam, vt supra ostendimus, Reges Daniæ Slesuici, antequam in Ducatum euecta esset Ditio, suos Præfectos habuerunt,*) à Rege Nicolao vocatus, vt illi subsidio veniret. Sed is, nescio quid causatus, non comparuit. Postea compertum est, eum ab Henrico muneribus corruptum, vile exiguumque lucrum plus, quàm fidem Regi datam spectasse. Rex cum aliquoties cum Sclauis prælio contendisset, sed parum felici Marte, in Daniam reuerti coactus fuit, multis ex nobilitate cæsis, & in captiuitatem abductis. Elinus autem, re patefactâ, perfidiæ pœnas dedit grauissimas. Nam non solum præfectura priuatus, sed & fortunis suis, omnibusque facultatibus in fiscum redactis, infamia notatus, & ad summam inopiam redactus fuit. (*Saxo. Elinus quòd Patriæ fortunam venditauerit, à Rege perfidiæ damnatus, non solùm præfecturæ beneficio, sed etiam patrimonij rebus ignominiosè exutus, vltima inopia sordidissimi lucri pœnas persoluit.*) Henricus & Blusso his rebus elati, cum Regem abesse cognouissent, ad limites Ducatus propius accedunt, omnia ferro & igne vastant, ipsoq; vallo Danorum, quod in Isthmo ædificatum esse supra ostendimus, potiuntur; munimento inter Saxoniam & Daniam omnium firmissimo. Quin & Blusso sui firmandi causa ad lacum Sliam arcem vel Castellum à

funda-

fundamentis erigit,& de suo nomine *Blusseburgum* vocat, cuius adhuc vestigia reliqua,ruderaq; quæ supersunt cuiuis obuia. Vulgus *Luseburgum*, elisa litera B. vocat,sed malè. Henricus insigni triumpho ac victoria,quam superiori prælio, de hostibus reportasset, elatus, insolentiorq; factus, Danos porro, qui loca maritima incolunt,aggressus, spoliauit,& pyraticam exercuit. Loca etiam Eidoræ vicina, & quidquid intra Slesuicum, & Danorum vallum,agrorum iacet, diripuit, & ex toto Ducatu Slesuicensi magnas prædas egit. Tandem quoque vrbem Slesuicum copijs, quas nauibus aduexerat, de improuiso aggreditur. (*Slesuigam funditus deleuit. Ada.c.*13.*lib.*4.*Annal.fol.*131. *Helmold.cap.*24.) Ipsa vrbs autem post Elinum remotum, præfecto destituta, non tantùm exterorum libidini & rapinis, sed & furtis domesticis exposita fuit. Quibus ciuitas eò acerbius intus,quàm foris vexabatur,quò ad nocendum occulta manifestis, & intestina externis peiora & pernicioſiora sunt. Neq; enim minus Ciuis, quàm hostis formidabatur. Nam Frisones vnà cum Holsatis & Dithmarsis, impunitatis spe proposita, vacante Præfectura, dies latrocinijs, noctes furtis consumebant: & vbi ædium fastigia conscendere non licebat, ibi imas earundem partes, & fundamenta ligonibus adorti, cuniculis actis custodes circumueniebant. Quamuis æditui & custodes, magna cura & assiduitate ædes, & res sibi commissas, adseruarent, vsq; adeò vt equos compedibus vinctos,ne à furibus abducerentur, intra domus repagulum tenerent, & excubitores valuis affixi, quò omnia salua essent,iacerent. Qui non tantum ianuas seris obserabant; sed etiam fossis ductis, aditu fures prohibebant. Quibus rebus fiebat, vt quidam ingenuis & claris parentibus prognatus, cum videret homines egentes, spolijs & direptionibus Ciuium sese

locupletasse, nulla verecundiæ aut generis ratione habita, sese rapinis dederet, & clarissimam indolem spe lucri illectam, ex summo nobilitatis fastigio in obscurissimam turpitudinis sentinam abijcere non erubesceret. Ita sanguinis decore indecenter vsus, viros generis ad scelerum licentiam transtulit, & quod virtutibus nutrimentum esse debebat, vitijs ac sceleribus mancipauit. Idq; quòd nullus eum persequi ausus fuit, etiamsi eius expilationes vulgo notæ essent, quòd impunitas eius tantò delictis propensior habebatur, quantò conspectior delinquentis authoritas esset, vt Saxonis verbis vtar. (*lib.*13.) Nomen autem viri nobilis, qui vrbem expilauit & diripuit, non exprimit Saxo, sed supprimit, generis procul dubio, ex quo ille oriundus fuit, nobilitati parcens. Blusso huius cladis author & inceptor, paulò post domum reuersus, à suis obtruncatus fuit, Deo ad pœnam illum rapiente (*Annal. fol.* 131.) ita Slesuicum, ciuitas Transalbinorum opulentissima & populosissima de improuiso Slauorum incursionibus funditus delet' & euersa fuit, (*Anno* 1066. *Slesuicum à Sclauis euersum anno Henrici IV. octauo. teste Helmold. cap.* 24.) Stormarijque & Holsati omnes aut interfecti, aut in captiuitatem abducti, vt hic cum Helmoldo (*cap.*24.) exclamare liceat: Domine venerunt gentes in hæreditatem tuam. (*Slaui omnes facta conspiratione ad Paganismum denuò relapsi sunt, eis occisis qui perstiterant in fide. Ada. c.* 13. *libr.*4. *Et hæc fuit Slauorum tertia apostasia, ab eo tempore, quo primùm sub Carolo Magno Christo nomen dederant. Annal fol.*132. *Helmold. cap.* 24.) Rex Nicolaus, quòd viribus impar esset, Slauis hostibus resistere nõ potuit. Ita fiebat, vt Slaui nemine prohibente, Slesuicum excurrerẽt. Nam qui præfecturam Slesuicensem acceptare vellet, repertus fuit nemo, propter summum discrimen, & crebras finitimorum excursiones.

S. Canv-

(S. CANVTVS *Primus Dux Sleſuic. circa A. C.* 1118. *à* NICOLAO *Daniæ Rege inueſtitus, & Rex Vandalorum à Lothario Saxone ex legato Henrici Obotr. inauguratus, (vnde etiamnum titulus Vandaliæ remanſit,) An.* 1128. *Sub quo Religio in Eiderſtedio & Strandia propagata. A Magno patruele interemptus, in Martyrum ordinem relatus. Anno* 1130. *Ringſtedij ſepultus.)*

Tandem exortus eſt Canutus, qui tam periculoſum à Patruo multis honorem oblatum expeteret, non opum cupiditate, ſed fiducia virtutis. Quod tamen ille gratis à Rege non eſt conſequutus. Imò vendita ſui patrimonij parte, munus alijs hactenus ob periculum formidoloſum & contemptum adſequutus eſt, Saxone teſte. (*lib.* 13.) Ita Rex extimeſcendum ignauiæ decus virtuti venale fecit, hoc eſt, Præfecturæ beneficium, quod homines ignaui & meticuloſi ob periculum reſpuebant, viro forti & audaci vendidit, qui honeſtam militiam vili lucro, & opum ex patrimonio parandarum cupiditati antepoſuit. (*Legendus Helmoldus, cap.* 50.) Vnde colligere licet, partem illam Iutiæ in Ducatum Sleſuicenſem euectam eſſe, quatuor potiſſimum de cauſis. Primò, quòd Rex Nicolaus, Canuto Fratris Filio, in compenſam Regni, quod occuparat, ditionem aliquam dare cogebatur. Nam, vt *Helmoldus cap.* 50. apertè teſtatur, (*& Annales fol.* 158.) Nicolaus Regno Daniæ vi & fraude potitus erat, mortuo Fratre in expeditione Hieroſolymitana. Secundò, vt Filium Magnum Regni Hæredem relinquere poſſet. Tertiò, quòd Slauos, qui eo tempore rerum potiebantur, reprimere non poſſet Rex Nicolaus, & Ducatum ab illorum iniurijs defendere, niſi ope Canuti. Nam Crito dominium in Slauonia obtinuit, & in ſuam poteſtatem redegit Saxones, ita vt ei ſub tributo ſeruirent Holſati, Stormarij, & Tietmarſi. & iugum duriſſimum ferre coacti fuerunt ſub

Imperio Critonis. Quibus rebus fiebat, vt ex Holsatia sexcentæ familiæ & plures Albi transmisso, nouas & remotas sedes quærerent, vbi persequutionis furorem vitarunt, & ad montes Harthicos, hoc est, Syluam Hercyniam profecti sunt, vbi & ipsi consederunt & nepotes eorum vsque in hodiernum diem. *Annal. fol.* 132. Quin & terra latrunculis abundabat, qui populum Dei occiderent, & caperent, & gentem Saxonum toto ore deuorarent. *Ibid.* (*Fuit hoc anno* M.LXVII. *vel circiter. Vide etiam fol.* 136. *de Slauis Annal.*) Quartò, Lucri cupiditate adductus Ducatum Slesuicensem concessit, vt ex Saxone colligitur, cuius verba supra commemorata sunt. (*Anno* M. LXIX. *celebre illud Colloquium Henrici Regis cum Rege Danorum habitum est Lunæburgi, vbi sub specie fœderis de bello Saxonibus faciendo, compromissum fuit. fol.* 133. *Annal.*)

CAPVT XXI.

SEd an in feudum concessus fuerit Ducatus Slesuicensis Canuto, dubitari potest. Idque quòd feudi nulla fiat mentio. Deinde quòd beneficium emisse dicatur Canutus. Emptorem nominat Saxo his verbis; *Emptor verò plus lucri in militiæ, quàm opum agitatione posuit.* Item, *Munus vendita patrimonij parte assequutus est.* Saxo quidem alibi beneficium Præfecturæ Slesuicensis appellat duobus in locis, lib. videlicet 13. his verbis; *Elinus beneficio Præfecturæ exutus.* Item, *Nemine Slesuicensis Præfecturæ beneficium recipere audente.* Feudum autem est beneficium, quod alicui Dominus dat eâ lege, vt, qui accipit, & fidem & militiæ munus, aut aliud seruitium exhibeat. Deinde quamuis & moribus quorundam locorum, certa pecuniæ summa, vel aliud quiddam

dam Domino feudi detur ἀντὶ τῆς ἀναλάμψεως, siue pro redemptione, vel, vt nostri loquuntur, pro firmando feudo. Quod vulgari Lingua Vesten appellant. Vnde vox Germanica vel Gothica in Latinorum coloniam deducta *inuestire*, non à vestiendo, sed à Vesten / hoc est, firmando vel confirmando Feudo dicta. Quæ summa pecuniæ præstatur, feudi firmandi, & noui possessoris admittendi & suscipiendi causa: etiamsi alia accedant symbola, vt manus porrectio, poplitis flexio vel deosculatio. Etiamsi Saxo quoque, Breuiarium Slesuicense, Crantzius, & alij hos sequuti, Item Liber Cantilenarum Danicarum, Kanutum Ducem nominent, (*quia scilicet cum acquisitione regionis etiam Ducis titulum adeptus est.*) Crantz. lib. 3. cap. 29. Saxoniæ lib. 5. c. 28. & Helmoldus cap. 50. *Kanutus, inquit, in patriam reuersus, à Patruo benignè receptus, & Ducatu totius Daniæ præditus est. Idem ijsdem verbis tradunt Annales fol.* 158. Chronicon quoque Holsatiæ disertis verbis id testetur; in hac tamen controuersia aliorum mentem ac sententiam audire, quam meum iudicium ferre ac interponere malo. Fuit id autem anno 1119. plus minus. Sed ad Canutum reuertamur. Is simul atque Ducatum Slesuicensem à Rege consequutus esset, Legatos ad Henricum mittit, pacisq; conditiones offert. Inter alias autem, vt de iniurijs & damnis, quæ Iutiæ & Slesuicensibus intulisset, satisfaciat, & ablata restituat. Legatos autem simul atque se in viam dedissent, subsequitur, animo quasi præsagiente, Henricum conditiones pacis repudiaturum. Henricus ad ea respondit, se pacem cum Danis non facturum, sed petitionem hæreditatis maternæ persequuturum, quoad sibi satisfactum esset. Quod vbi ad Kanutum relatum, mutato consilio, conditiones pacis propositas rescidit. Quo cognito Henricus, subridens in hæc verba prorupisse dicitur,

dicitur, Canutum equo ferocienti & refractario, qui sessorem excutit, similimum esse, se tamen breui eius lasciuiæ & petulantiæ frenum iniecturum. Qua re nunciata, Canutus noctu clanculum magnis itineribus ad Henricum contendit. Cumq; diluculo ad eius munitionem peruenisset, hoc est, vt ego existimo, ad castrum Georgij, vulgò *Iurgensburgum*, (*quod in honorem D. Georgij prope Slesuicum ædificauerat, quod tamen eiectis ac deletis Slauis, à Canuto Duce Slesuicensi direptum fuit: vt notat Patruus meus, Hieronymus Cyprœus, ad Helmoldum suum cap. 24. Quemadmodum & in omnibus penè Ciuitatibus, vel suburbiis, Diuo Georgio, tanquam Diuo, & Patrono tutelari, ædem aliquam, vel aram ædificarunt: Duces quoque Slesuicenses, eius imaginem sigillo impressam, obsignandis literis adhibuerunt, quarum nos plurimas vidimus,*) Henricus eius aduentu inexspectato & irruptione consternatus, neque arma capere, neque munitione sese defendere ausus fuit; sed equo conscenso, vicinum mœnibus flumen Sliam traiecit, & fluminis interiectu hostem fefellit. Canutus ea re exhilaratus, quòd salutem suam amni potius, quàm oppido Slesuicensi credere maluisset, illum traijcientem clamoribus & dicterijs prosequutus est, & num madefactus esset, per ludibrium percontatus est. Henricus contra, quid sibi hæc profectio subita & aduentus inopinatus vellet, quærit. Veni, inquit Canutus, vt frenum & lora, quibus me vincire decreuisti, capessam. Henricus minas, quas nuper iactauerat, sibi vrbanitate quadam exprobrari intelligens, ignominiam ioco prosequutus est. Video, inquit, te calcibus ita obniti & refragrari, vt ne tangi quidem, tantum abest, vt contineri queas. Ita Canutus verba contumeliosa, quibus eum Henricus incesserat, dicterijs & ioco diluit. Ibi tum Kanutus castrum *Iurgensburgum*, & *Blusenburgum*, quod ad pratum Regium, vulgò dictum,

ctum, & Sliam ædificarat Blusso, demolitus est, & solo æquauit, hostemq; Ducatu Slesuicensi expulsum, in Slauiam vsque persequutus est, omnia longè lateque igne & ferro vastando. Interim tamen cognationis & sanguinis ratione habita, de pace agi ceptum est, & tandem conuenit ijs conditionibus, vt Kanutus Henrico mortuo, Slauiam possidendam iurisiurandi firmitate teneret, propterea quòd ad bella cum Teutonicis gerenda filiorum virtutibus diffideret, malletq; maturum fortitudine hæredem circumspectu arbitrij sui libertate conscisscere, quàm sub naturali, sed inualido, patrimonium exteris inuadendum relinquere, Sed & de hæreditate materna, cuius petendæ causa bellum aduersus Danos mouerat, inter sese pacti sunt, vt certam pecuniæ summam Rex numeraret. Quam pecuniam à Rege receptam Canutus Henrico numerauit. (*Saxo. f.* 123. *Helmold. lib.* 1. *c.* 50. 51. 52. *Annal. fol.* 158.) Quàm miserè autem vrbs Slesuicensis hoc bello & irruptione Slauorum direpta, expilata, & vastata sit, ædificijs dirutis & prostratis, rudera subterranea adhuc indicio sunt. Nam iacientibus noua fundamenta, aut paulò altius fodientibus solum, in quo vrbs sita est, vbique tres plateæ, & tria pluraue pauimenta strata sese offerunt: Item foci tres pluresue lateribus strati, alter alteri impositus & superiectus. Quam gratiam autem Canuto pro periculis & bene meritis retulerint illi, quorum ille aduersus Slauos defensionem susceperit, deinceps ostendemus.

***

CAPVT XXII.

Pontifice Albero Monachi laxare rigorem
Incipiunt, vita ac liberiore frui.
Ornatur variis tunc templis ora marina,
Ac bellum geritur triste Canute tibi.

A.C.1086.

ANNO 1096. Alberus natione Danus, Episcopus Sleſuicenſis exortus eſt, ab Aſcero Archiepiſcopo Lundenſi ritu ſolenni, moreq; conſueto, ordinatus ac conſecratus. Hoc tempore, cum Eccleſiæ creuiſſent, & facultatibus, prouentibus, diuitijsque locupletatæ eſſent, cœperunt paulatim homines religioſi & Sacerdotes, à maiorum virtute & pietate degenerare, & ſeſe otio dedere, atque ad libertatem aſpirare, vſque adeò vt eos diſciplina, & Regula quadam vitæ coercere oporteret. Et cum ante id tempus illi, qui Religionem Chriſtianam docebant & propagabant, ordinis eſſent Benedictini, (cuius erat & S. Anſcharius,) mutato habitu religioſo, nomen quoque mutarunt, voluerunt; *Canonici Regulares* appellari, à Regula, ad cuius præſcriptum vitam ſuam inſtituerent: ita tamen, vt liberiore, quam ante, fruerentur aura. Interim tamen veſte decente amiciebantur. Idem & Bremæ poſtea ſub an. 1110. factitatum. Appellabantur autem Canonici Regulares à regula D. Auguſtini, Nam alij Canonici Regulares poſterioribus demum temporibus, ſuam, ab alijs mutuati ſunt, viuendi regulam. Ita Præmonſtratenſes à S. Nortberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi circa ann. 1120. Hoſpitalarij S. Antonij à

Gaſtone

Gastone viro Nobili ex Prouincia Viennensi circa ann. 1121. &c. Solebant autem ipsi sub sacro superpelliceis, sub albo amiculo vti. Retinent etiamnum Canonici Slesuicenses consueta & vsitata Canonicorum nomina, nimirum *Præpositi, Archidiaconi, Cantoris, Diaconi, Sacristæ, Hebdomadarij*, quorum vestigia ex veteri vsu ac consuetudine in Ecclesia Slesuicensi adhuc remanent ac supersunt. Hac ætate Religio Christiana, in Ducatu Slesuicensi incrementa cœpit maxima, locisq; maritimis *Eiderstedia, Strandia*, homines, qui ab humanitate longè abessent, paulatim barbarie exuta, ad Religionem animum applicauerunt. Ita vt in Eiderstadia, & Strandia, templa in honorem veri Dei, eiusq; cultum ædificari cœpta fuerint: SS. Apostolorum, aliorumq; sanctorum & Beatorum, (qui in numerum Sanctorũ relati essent,) nominibus ipsis inditis. Anno 1103. die S. Benedicti, qui Paschales ferias antecedit, Sacellum ex ligno ædificari cœptum est, prope locum vulgo *VVittendune* appellatum, in *Eiderstedia*, in honorem Sancti Magni, in fundo cuiusdam Agricolæ vel Coloni, *Tadeni Eskelij*, & inde *Tatinga* appellata. Quæ appellatio in hodiernum diem manet. Idq; sacellum primum omnium in *Eiderstedia*, & locis illis, quæ mare aggeribus manufactis excludunt, à fundamentis erectum, maiores nostri memoriæ proditum dicunt. Hos alij sequuti, Christianæ Religionis propagandæ studio, & ipsi ædes sacras exstruere cęperunt. Nam paulò post, Sacellum ligneum in loco, qui *Cleue* dicitur, prope *Garsand* in memoriam *Diui Bartholomæi*, & *Mariæ Magdalenæ* exædificatum fuit. Sacellum autem illud ligneum in *Cleua*, inundatione quadam euersum & collapsum, anno 1114. instaurarunt, in loco, qui dicitur *Garsand*, ad Orientem in honorem *Diui Bartholomæi*, & mutato nomine *Gardingam* appellarunt, quod adhuc hodie satis con-

spicuum est. Paulò post Diabolus, nascenti Ecclesiæ aduersatus, in illis oris Religionis studia & successum interturbare, vel potius exstirpare conatus fuit. Idq; ex eo colligere licet, quòd anno Domini 1113. *Boiemanni*, qui Parochiæ Cleuensi subiecti erant, impulsore Diabolo, virum optimum & sanctissimum, Pastorem suum Hermannum Lutkenum, inopinatò adorti, neci tradidêre. Principes, qui delictum illud inultum pati nollent, præter mulctam, quàm satis grandem persoluere coacti sunt, & Iure Patronatus Parochianos priuarunt. Quod adhuc Principes in hodiernum diem sibi retinent, & vsurpant. Ex æde autem Cleuensi postea pullularunt & exorta sunt alia templa, videlicet *Poppenbullum, Tetenbullum, Osterbeuera, Katrinherda, VVeltena*, & *Vollervvika*, paulatim aucta religione, & gentibus, quæ ab humanitate longè aberant, ad fidem & religionem conuersis. [Anno 1245. Sacelli *Oldensvvordensis* fundamenta iacta sunt, & in Holsatia, locisq; finitimis, magna contentione in ædium sacrarum ædificationem incubuerunt, vnde permulta in Dei honorem templa extructa fuerunt, vt in *Nouo Monasterio*, quod alio nomine *Falderam* vel *VVippendorpum* nominant. Item in Dithmarsia, vbi *Vicelinus* verbum Dei publicauit, Vir pius & miraculis clarus, *Berdesholmi* sepultus. Cuius vitam & res gestas latè persequutus est *Helmoldus*, nec non eiusdem *Continuator Presbyter quidam* Bremensis, è cuius historia, quæ scripta in nostra Bibliotheca asseruatur, nonnulla in medium adferte lubet, quæ ad laudem ac commendationem sancti huius Viri pertinent: vt qui inter alios, insigne decus, ac clarissimum lumen *Patriæ nostræ Holsatiæ*, dum vixit, extitit, eamq; tam luce diuinæ veritatis, quam miraculorum claritate, insigniter ac præclarè illustrauit ac decorauit. Vnde & Sacrosancta eius memoria, meritò nobis grata & commenda-

mendata esse debet. De eo autem *sic Author commemorat.* S. Vicelinus, *fuit in Ecclesia Bremensi Scholasticus, & in Theologia disertus, qui multas habuit diuinas Reuelationes tempore iuuentutis suæ. Hic semper æstuabat* Barbaris, Sclauis, *prope Holsatiam demorantibus, fidem Christi prædicare. Nam illis diebus, in tota terra* Wayororum, *scilicet* Plone, Oldenborch, Luttekenborch, *& prope à flumine* Egdora, *& à flumine* Sale, *quod per villam* Nigenmunster *transit vsque ad mare, in* Lubeck, *in* Kyl, *& inde porro vsque ad finem mundi versus Aquilonem, fides Christi in partibus illis nullibi habebatur. Etsi aliquando habita fuerat, tamen quasi per octoginta annos omnes à fide Christi declinabant. Hic* S. Vicelinus, *vestem Religiosam, quam Canonici Bremenses cum regula sancti Augustini abiecerant, derelinquere nolens, cum sancto viro, Thetmaro, Cantore Bremensis Ecclesiæ, partes* Holsatiæ *adijt, de iussu & mandato Reuerendissimi Viri Domini* Adevveronis *Archiepiscopi Bremensis & Hamburgensis, villam* Wippendorp, *alias* Faldere, *in qua Capella lignea constructa fuit, & per longa tempora deserta, in possessionem recepit, ac ibidem monasterium construi fecit, à quo* Nigemunster, (*alias* Nevvmunster) *peramplius uocitatum fuit. Ista Capella quasi prima fuit in tota Holsatia, & ibidem quamuis Christiani esse dicebantur, tamen lucorum & fontium error ac idolatria multiplex habebatur; & eo strictius,* S. Vicelinus, *de die noctuq; vigilando, orando, & prædicando verbum Dei, seruiebat sub veste Religiosa & Regula sancta. Et dedit Deus ipsi gratiam in conspectu populi terræ, vt audita resurrectione mortuorum & vita æterna post hanc vitam, subito mutati sint, omnem idololatriam abijcientes, & soli vni vero Deo peramplius sese deuouentes; Et infinita plebis multitudo de* Wagria, Plone, Oldenborch, *& de* Holsatia, Stormaria, *&* Ditmercia, *ad audiendum nouum Prædicatorem verbi Dei vitæ æternæ illuc aduenit: recipiendo pœnitentiã peccatorum. Sed & multi etiam venerabiles Viri,*

Eccle-

Ecclesiastici & Clerici, S. Vicelino, in ordine, regula, habitu, & sancta vita se copulabant. Acta sunt hæc, circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum quintum, regnante Imperatore Ludero, qui Dux fuit Saxonum, & mutato nomine dictus fuit Lotharius, pius & iustus. Et Ducatum Saxoniæ obtinuit Hinricus Leo, Dux Bauariæ, Sanctus autem Vicelinus, cui non solum fuit curæ, suam propriam parochiam Nigemunster, & terram prope existentem Holsatiam, sed etiam terram Slauorum, Wagriam, Oldenborch, Lutkenborck, Lubeke, Plone, & circumadiacentes partes ad fidem Christi conuertere, primum in antiquam Lubeke in Svvartow sitam, verbū Dei seminando, per seipsum etiam illic Sacerdotes de suo Monasterio in Faldere erecto, constituit sanctos viros Ludolphum & Wolchardum, qui salutem populi procurarent. Tamen ob Barbarorum furiam, non diu post, Vrbem antiquā Lubeke cum castro destruentium, antedicti sacerdotes Dei, Faldere, Nouum Monasterium reuiserunt. Nam quotiens S. Vicelinus quasi per 30. annos, Verbum Dei Barbaris, Slauis prædicare cœpit, aliquando per vnum annum, aliquando per duos vel tres, in Wagria, in Lubeke, Oldenburg & in circumiacentem terram fides pullulauit, tamen totiens à fide cepta Slaui apostarunt, & aliquando etiam Nouum Monasterium in Faldera desolabant, quorum furorem S. Vicelinus cum suis declinare volens, ad reseruandum personas notabiliores, & ornamenta Ecclesiæ & libros, habuit Ecclesiam Bisthorst in palude Haseldorp in asylum ac refugium. Vbi etiam Oratorium habebat ad exorandum auxilium diuinum. Circa idem tempus Adolphus Comes obijt, circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum primum, relinquens post se hæredem filium etiam Adolphum nomine, virum literatum, prudentem & strenuum, qui Theutunicæ, Latinæ & Slauicæ linguarum fuit peritus. Hic temporibus suis optime gubernauit terram Holsatiæ & Stormarorum. Demum S. Vicelinus,

nihil

nihil se posse proficere in spiritualibus vidit, nisi Barbarorum, Slauorum populus valida manu per vim Principum secularium deprimeretur, adijt itaq; Cæsarem Lotharium, virum cultum Dei diligentem in Bardevvick, ibiq; illi revelauit, esse in terra Wayorum montem præexcelsum, super quem si castrum construeretur, quod exinde Slaui ad fidem compelli possent. Imperator vero illuc accedens, & ita inueniens, castrum desuper ædificari fecit satis firmum ac validum, anno Domini millesimo centesimo tricesimo quarto. Quod Slaui videntes dixerunt ad inuicem. Quis proditor huius montis apud Cæsarem fuit? Et vnus ex eis dixit, quod paruus homo & despectus Vicelinus, propter verbum Dei hoc procurasset. Et Cæsar huic monti, ob victoriam nominis Christiani, dedit nomen Victorialis mons, vulgariter Segeberg (von Sieg oder obsiegen dictus.) Ac etiam suasu ac precibus S. Vicelini, sub monte Ecclesiam & Monasterium fundauit, cui sex villas contulit fratribus in stipendium prope adiacentes. S. Vicelinus igitur de Nouo Monasterio, fratres ibidem ad seruiendum Deo, ad ædificandam Ecclesiam in Wagria collocauit, cum ornamentis, libris, & clenodiis necessariis, pro vsu suo, & Ditmarum Cantorem Ecclesiæ Bremensis, suum coadiutorem illis proposuit ad regendum: atque in Lubeke iterum Ludolphum Brunonem, ac Hermannum, ad verbum Dei prædicandum, destinauit. Imperator vero Lotharius, in profectione Italica, immatura morte circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum septimum præuentus est, eiusq; corpus deductum fuit in Saxoniam, in Lutteram, ex nomine suo appellatum monasterium, ibidemq; prope Brunsvvig fuit tumulatum. Quo mortuo, iterum Slaui in Lubeke à via veritatis declinantes, suburbium ante castrum Segeberg, cum nouo Oratorio igne consumebant. Sacerdotes Dei, de Lubeck & Segeberg, ad Falderam nouum Monasterium, vnde iam sæpius emissi, cum incrementum satore Diabolo habere non poterant, iterum reuertentes, graui mœstitiæ confecti

confecti sunt. Ideoq; fidelius se Deo commendabant, in ieiuniis & Orationibus, die noctuq; orare pro nouella Ecclesia non cessantes. Nam tanta fuit in Falderensi Monasterio virtuosa vita fratrum, quod verbo explicari non potest. Infirmi illuc deuenientes sanabantur, Dœmones ab obsessis ejiciebantur, clamantes igne virorum Sanctorum se vri.

Adolphus vero Comes secundus, circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum nonum, castrum Segeberg muro cinxit, ac suburbium & Oratorium de nouo construi fecit, iterum remissis de Fäldera Presbyteris, & Clenodiis, pro vsu cultus Dei necessariis: ac etiam misit Legatos, ad Flandriam, Hollandiam, Traiectum, Westphaliam & Frisiam, faciens proclamari, quod quicunque agrorum penuria arctarentur, venirent in terram suam spaciosam & fertilem in terra Wayrorum, olim Slauorum inde expulsorum. Et præcipue Holsatis atque Stormaris dixit, quod ipsi in eligendo, quamcunque partem habere vellent, eò quod sanguine parentum suorum eam mercati fuissent, præferri deberent. Et dedit Holsatis terram à Bornehouede vsque Segeberg, & Plonensee, Westphalis dedit solum Bargardensem, Hollandis Vthinensiem, & Fresis dedit Susle, Oldenborch, Lutkenborch; & circa mare terras adiacentes dedit Slauis, faciens sibi peramplius tributarios vsque in istum diem. Idem quoque Author (Continuator scilicet Helmoldi) nō multo post, breuem quasi descriptionem totius Slauiæ, vbi S. Vicelinus maximam ætatis partem docendo ac rem diuinam faciendo transegit, nobis ob oculos ponit: dum porro inquit. A flumine Egdora, quæ est finis Regni Daciæ, erat initium Slauis, Nigemunster, Kil, Lutkenborg, Segeberg, Oldenborch, Fimbria, Lubeck, Svverin, & sic ad Orientem ascendendo vsque ad Prutziam. Et per Marchiam Brandenborg, Mysen, Bohemiam, Morauos & Polonos Slauia antiquitus extensa fuit. Et tres Nationes scilicet Stormaria, Dithmaria & Holsatia,

Nor-

Nordavvingi *etiam vltra Albeam*, Saxones *fuerunt vocitati. Quæ nationes totæ, longè ante Slauiam, à sancto Anschario, Archiepiscopo Hamburgensi, receperunt verbum Dei, & sub fide Catholica manebant, quamuis non bene fundatæ totali doctrina vsque ad tempora sancti Vicelini, qui postquam Ecclesiam Nouum Monasterium in* Faldera *siue* Wippendorpe *fundauerat in finibus Slauiæ & Holsatiæ, & primo suos totaliter ad fidem conuerterat, demum operam dedit, Domino operante*, Slauos *vicinos ad fidem conuertendo, in* Lubeck *primam Ecclesiam fundando S. Iohannis in arena, & ibidem verbum Dei & circumquaque Prædicando. &c.* Vbi Author initium ac originē Prædicationis verbi diuini cultusq; sacri, in ijs locis ad Anscharium refert, complementum vero ac confirmationem S. Vicelino tribuit: vnde & paulò post addit. Tota *Dania, Suecia & Norvvegia Originaliter* per *Anscharium sanctam fidem receperunt.* Quod & ipsum Breuiarium nostrum Slesuicense ab Episcopo Godschalco de Aleuelde editum itidem clare indicat ac testatur, vbi hæc oratio habetur.

Deus, qui B. Anscharium Pontificem donasti sanctum Doctorem Genti Danorum: ipsius intercessione da nobis remissionem omnium peccatorum, & supernorum tripudia gaudiorum. Quanta autem sanctitate, ac pietate, morumque grauitate, ac honestate, sacrosanctum hunc suum Episcopatum ac Sacerdotium ornauerit ac decorauerit: quanta itidem cura ac diligentia, S. Anscharius, diuinum hoc suum munus obierit ac perfecerit, eius filij ac discipuli cum summo luctu animiq; ægritudine, testimonium ipsi præbent verissimum ac luculentissimum, quod sequentibus verbis in hoc Breuiario describitur ac continetur. *Nos filij atque discipuli, Reuerendissimi Patris Anscharij, inter varias pressurarum angustias positi, veraciter iam sentimus, quid amiserimus, & quid pro nobis dolere debeamus, intelligimus. Viuente enim*

Episco-

Episcopo, nihil nobis deesse credebamus. Eius namq; sanctitatem Reges honorificabant: Pastores Ecclesiæ venerabantur: Clerus imitabatur: populus vniuersus admirabatur. Et dum illum cuncti, sanctum & iustum prædicarent, nos quoque tanquam corpus capitis, pro eius bonitate, venerandi, ac laudabiles videbamur. Nunc tanto munere frustrati, de nostris meritis non præsumimus, quin magis timido corde expauescimus, ne peccatis nostris promerentibus, luporum patere incipiamus morsibus. Mundus namque in maligno positus, magis ea, quæ iusta & sancta sunt, euertere, quam Religiosa quærit erigere. Sanè, qualis in semetipso Vir Beatus extiterit: qualiter & corpus suum afflixerit, iam nunc tempus est narrandi. Nam vt auditum habemus: ipse adolescens & iuuenis, apud nos in monasterio constitutus, senibus & grandæuis mirandus videbatur & imitandus: iam vero apud nos, sumpto Episcopatu, quod in monasterio inchoauerat, modis omnibus augmentare, & vitam omnium Sanctorum imitari studuit, specialius tamen vitam sancti Martini. Cilicio namque ad carnem non solum de die sed etiam de nocte vsus est. Hæc ibi.

S. Vicelinus tandem, multis exantlatis laboribus fractus ac debilitatus, consummato vitæ curriculo, ad cœlestem patriam hinc emigrauit: vt de eius Beato ac felici discessu *Chron. Slau.* memorat. *Vicelinus Vir sanctus in Faldera post modica tempora paralysi dissolutus, officium linguæ perdidit, totumq; denique latus dextrum exaruit, iam defuncto sanctissimo viro Thetmaro, nec non castro Plunensi reædificato; Duobus annis & dimidio Vir sanctus Vicelinus versatus est in loco ægritudinis, nec sedere, nec iacere contentus, eratq; fratribus cura simul & incredibilis mœstitia de eo: frequentius ad Ecclesiam baiulabatur &c. Vicelinus vero post hoc obiit, pridie Idus Decemb. Anno Domini* 1174. *sedit in Episcopatu annis* 5. *mensibus* 9. *& sepelitur in Faldera (siue Bordesholmi vbi adhuc lapis eius sepulchralis extat) præsente Racesburgensi Episco-*

po, &

po, & officium consummante. Extat quoque in libro, de Scriptoribus rerum Germanicarum Septentrionalium, vicinorumq; populorum diuersorum, studio & opera *Erpoldi Lindenbrogi* edito, poema antiquum de vita ac rebus gestis Vicelini, venustum ac memorabile, quod illic legere ac videre licet.

CAPVT XXIII.

SEd ad Canutum reuertamur. Hac tempestate, *Henricus Slauorum* Princeps rebus humanis exemptus est. Hic, vt supra ostendimus, cum Canuto pactus erat, vt sibi mortuo Canutus in Slauiæ regno succederet. Qua de causa Canutus apud Lotharium Saxonem instat, vt Regno illo sibi ex pacto delato inauguraretur, eiusq; confirmationem petit. Lotharius, qui Canutum multis de causis obseruabat, & diligebat, & eo inprimis nomine, quod aulam eius diu sequutus esset, precibus tandem locum reliquit, & Corona capiti eius imposita, eum Regem *Obotritorum* renunciauit ac declarauit. Kanutus Rex exortus, secum deliberare ac dispicere cœpit, qua ratione Slauos rebelles ac perduelles in fide & officio retinere, & à defectione prohibere posset. Quam ad rem montem editum atque excelsum, (qui vulgo *Segeberga* dicitur, olim *Alberga* nuncupatus,) magno adiumento fore existimans, in eo casas & ædiculas strui curauit, quæ munitionum instar essent: cum finitimis quoque Holsatis pacem & amicitiam confirmat, quorum opera & auxilio in reprimendis ac subigendis Slauis, si fortè ad ingenium redirent, & rebellarent, commodè vteretur, &, si res postularet, inde in Slauiam irrrumpere, obuiumq; quemque

prosternere posset. Fratruelem igitur Henrici Pribislaum, & terræ Obotritorum Dominum Niclotum, qui, Henrico mortuo, Slauiam occupare conabantur, aggressus, prælio superauit, & Slesuicum deduxit, inq; custodiam traditos diligentissimè adseruari iussit, donec pecuniam, quam pro redemptione, fideiussoribus datis, promiserant, exsoluissent, imperataq; fecissent. Accidit, vt sub idem tempus Daniæ Rex Nicolaus, qui Canuti Patruus fuit, Slesuicum veniret. Quem Canutus Dux Slesuici, vt par erat, humaniter excepit, aduentum & omnia prospera ei gratulatus. (*Annal. latè fol.* 158. 159. *Helmoldus cap.* 51.) Congregatione autem Procerum & vulgi habita, Rex principem locum obtinens consedit; è regione verò Canutus Rex Obotritorum designatus & coronatus sessitauit. Cumq; Canutus Regi venienti è vestigio non adsurrexisset, Rex surgens ipsum osculo excipere voluit. Eum tamen Canutus præuertit. (*Nam vt ait Helmold. c.* 51. *Rex Patruus, cum vidisset Nepotem suum in fastu regio, sibiq; nec adsurgere, nec osculum ex more dare, dissimulata iniuria, transijt ad eum, oblaturus ei salutationem & oscula &c.*) Canuti vero splendor & magnificentia eum in summam inuidiam adduxit, & inprimis apud vxorem Nicolai Regis, quæ ad Regnum Daniæ adspirare, omnibusq; viribus adniti ac contendere Canutum suspicabatur, & ne filio eius Magno præferretur, summoperè metuebat. Itaque Magno ad se accersito, Videsne, *inquit*, mi fili, vt patruelis tuus regnum adeptus sese efferat, ac superbiat, omniaq; pro imperio agat? Num eum Regnum Daniæ appetere dubitas? Tuum erit dispicere, omniq; ratione prouidere, quo pacto huic incommodo maturè præuerti ac occurri possit. Nisi enim id feceris, ipse te Regno, quod tibi debetur, priuabit. (*Helmold. cap.* 51.) Hac impia matris Oratione impulsua & inflamma-

flammatus Magnus, de Canuto è medio tollendo consilium inire ac secum cogitare cœpit, idq; matris assiduo hortatu & suasu, quæ verebatur, ne ope & præsidio Lotharij Cæsaris, apud quem gratia & authoritate plurimum valebat, Canutus Daniæ Regnum occuparet ac possideret. Sed & Rex Nicolaus paulò ante, Canutum, quòd in suspicionem regni affectati apud eum delatus esset, interrogauerat, quà de causa, cum Slesuicensem Ducatum possideret, à Cæsare Regnum Obotritorum & coronam rogasset ac impetrasset. Canutus respondit, ea de causa id à se factum esse, vt inter Regnum Daniæ, & Slauos vicinos perpetua pax ac tranquillitas, firmaq; & constans amicitia coalesceret, & confirmaretur. Idq; è re maximè Danorum esse, qui cum Slauis iam multos annos quotidianis prælijs contendissent, cum aut suis finibus eos prohiberent, aut ipsi in eorum finibus bellum gererent. Eius rei se testem esse, qui patriæ liberandæ, hostisq; propulsandi causa, vitam suam sæpè in discrimen adduxisset. Idque omnibus satis constare ac manifestum esse. Rex Nicolaus vbi cognouisset, Canutum & Magnum animis dissidere, Procerum interuentu eos reconciliare, atque in gratiam ac concordiam redigere summopere studuit ac laborauit, eoq; rem perduxit, vt alter alteri fidem daret, se omnem ex animo simultatum exercitarum memoriam penitus deleturum. Quod etsi sanctè seruaret Canutus, Magnus tamen pro nihilo habuit, vt qui Canuto saluo, incolumem sese fore, regnoq; Daniæ tuto ac tranquille potiri posse, non putabat. Accidit non multo post, vt Roskildiæ conuenirent Canutus & Magnus, vbi ad colloquium inuitatus à Magno Canutus, venire non respuit, neque recusat, etiamsi Canuti vxor *Indeburga* summopere id dissuaderet, maritumq; ne ad colloquium veniret, dehor-

taretur, quòd somno se monitam diceret. (*Helmold. cap.51.*) Canutus vero id pro nihilo habendum existimans, periculo & monitis vxoris spretis, tantum propinquitati & coniunctioni Magni tribuebat, vt salutem suam periclitari potius, quàm de Magni fide dubitasse, videri vellet. Itaque quatuor ministris stipatus ac comitatus, Magnum accedit, qui & totidem secum in comitatu habuit. Magnus loricatus Canuto venienti adsurgit, osculoq; eum amantissime acceptum suauissimè complectitur. Visis loricis, & quid sibi arma volunt? inquit Canutus. Respondit Magnus, (conatum animiq; propositum astute ac fraudulenter dissimulans) sibi rem esse cum subdito quodam inobsequenti ac immorigero, in quem animaduertere decreuisset. Cumq; in syluam vicinam ingressi essent, Satellites, qui in insidijs collocati erant, eis occurrerunt. Cumq; rursus percontaretur Canutus, quid sibi homines armati vellent: Nunc, inquit Magnus, de regni successione, & summa rerum decertabimus. Canutus obstupefactus, Regnum, inquit, ego Patri tuo diuturnum & felix faustum ac optatum ex animo exopto. Quod neque ego appeto, neque vnquam me appetiuisse egomet mihi conscius sum. Sed Magnus, qui vita priuare, illumque tollere omnino decreuerat, hac oratione nihil permotus, gladio stricto caput ei percussit & diffidit, reliqui Satellites hastis eum confoderunt. (*Annal. fol. 159. diuisoq; membratim corpore crudelitatem suam etiam in mortuo exsaturare gestiuerunt.*) Corpus eius exanime *Ringstadium* deuectum est, quòd vereretur Magnus, ne ob necem illius, populus inflammatus seditionem concitaret. Cædes autem Anno 1130. die Ianuarij septima, commissa fuit. Idq; liber Cantilenarum Danicarum ostendit. Hic fuit exitus tristis admodum ac funestus pij ac sancti Ducis Kanuti, in cuius S. memoriam sempi-

ſempiterno honore ac veneratione colendam, Eccleſiæ non inutilem pioq́; lectori non ingratum laborem me præſtiturum puto, ſi ex Breuiario noſtro Sleſuicenſi ſæpius iam allegato, quæ de eius vita, rebus geſtis, ac triſtiſſimo, quanquam Beatiſſimo vitæ eius exitu, illic memoriæ prodita ſunt, huc transferrem & pio ac beneuolo Lectori ob oculos ſtatuerem.

Præmittitur autem primum Oratio. *Deus, in cuius fide, Glorioſus Dux Kanutus firmiter incedens, vitæ innocenti violenter ſubtrahitur, præſta quæſumus, vt ſicut ipſe immeritæ morti adÿcitur, mortem quam meruimus, eius meritis ac precibus euadere mereamur. Per Dominum &c.*

Sequitur vitæ rerumq́; eius geſtarum deſcriptio. *B. Kanutus, Regis Erici filius, Dei diſpoſitione factus Dux Luciæ, poſuit ſuper femur gladium ſuum. Inuaſores Regni diſſipat, perdit raptores & fures ſuſpendit, & in breui ab omni perſecutione patriam ſuam liberauit. In omnibus proſperè egit, quia manus Domini erat cum eo. In diuinis deuotus extitit & curioſus, in ſecularibus ſtrenuus & Curialis. A Deo & hominibus iure dilectus erat. Vnde Magnus, Regis Nicolai filius, excœcatus inuidia, Ducem dolo de terra delere voluit. Contigit interim, vt Dux Regi tunc accuſaretur: tunc & Rex, falſis fauens ſuggeſtionibus, his cauſis, Concilio Rypenſi ipſum aggreſſus eſt. Tu contra conſuetudines terræ, noua quædam induxiſti, & in Slauia contra me nomen Regis vſurpaſti. Super quibus Rex ſuis reſponſis auditis (quia ſimplex erat & cito moueri non potuit) delatoribus derogauit Rex, commendans opera Ducis, quia erant valde bona. Cum in illo tempore, imminente die Natalis Domini Regis, curia eſſet Roskildis celebranda, & Dux Canutus ad feſtum inuitatus ire feſtinaret, vxor eius, rei euentum præcogitans, hortabatur illum iter omittere. Sed cordis innocentia viro iuſto eundi propoſuit ſecuritatem. Transfretante, venit ad curiam Regis, vbi cum honore receptus eſt. Magnus igitur, cui Kanutus ſe tutius committebat, meditabatur die ac nocte, quo eum*

neci traderet. Huius perfidi Henricus Sthatelar fretus consilio, tres proceres confœderauit, in quibus præ cæteris malefaciendi habebat fiduciam. Deinde tanquam familiarem suum, Ducem consuluit, dicens; Frater fidelis præ cunctis mortalibus, cum te sine falsitate aliqua expertus sum, quædam negocia tuo consilio ordinare disposui, volo, vt in secretiori loco mihi soli solus obuias, vbi nemine impediente, quæ deliberanda sunt, definire valeamus. Kanutus falsi fratris verbis fidem dedit, & respondit, locum & tempus assigna, paratus enim sum in omnibus tibi parere. Die autem altero Epiphaniæ Domini, summo diluculo, Magnus, armatus cum suis sequacibus, ad syluam veniens, in qua fratricidium perpetrare disposuit, doli nuncium ad Ducem direxit, mandans ei, vt, quod fideliter spoponderat, cum festinatione adimpleret. Igitur S. Canutus ad locum properans, perfidum per saltum vagantem solum videbat. Qui statim occurrens, osculatur, amplexatur, pacis osculo Iudæ traditoris officio se obligauit, dicens. Frater, sedeamus illic. Sedens cum eo, versipellem latenter sub toga loricatum perpendens, dixit. Frater bone, vt quid arma portas in tempore pacis? Traditor respondit. Inimico meo, iuxta opus suum, vicem reddere teneor, & ad vindictam ad præsens paratus sum. Iam scelus diutius celare non potuit, sed odiose dixit. Kanute, cuius est Dacia? qui simpliciter respondit, dicens. Frater, cuius est Dacia, nisi Patris tui & Patrui mei, quamdiu Deo placuerit. Cui Magnus. Non sic. Omnes vadunt post te. Tu tollis à nobis locum & gentem, & inter nos hoc modo melius diuidi potest. Circumspiciensq; Dux, vidit armatos, & ait. Frater, scit, qui omnia nouit, me tibi, aut tuis, verbo vel opere nunquam obfuisse. Et quare hoc feci sti? In hoc sanctus surgere voluit, sed per cappæ caputium traditor eum indignè retrahens, gladio ab aure sinistra in dextrum oculum, caput scidit, & cerebrum denudauit. Deinde cæteri, lanceas in latera eius fixerunt, & Martyrem Christi fecerunt.

* * *

Dum

Dum corpus S.Kanuti Ringstedium transfertur ex eodem Breuiario. Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui Beatum Ducem Kanutum, meritis suis inter Martyres mirificas, & inter mortales miraculis manifestas, præsta quæsumus, vt nos, qui hodiè eius translationē celebramus, ipsius precibus, de præsenti miseria, ad perenne gaudium, transire valeamus. Per &c.

Deo dilectus Dux Canutus, terminum tangens, quem nemo præterire poterit, in Fidei pignore meritum & nomen Martyris preciosa morte promeruit. Quamplures igitur, tam felici morti dedito, (& pro Nobilitate Germinis, quia Regis filius, & pro Excellentia Dignitatis, quia Dux & Iudex iustus, & Bonitate innata, quia Mente prouidus, Lingua disertus, Manu fortis, Corpore venustus, Facie decorus, fidelibus Familiaris & Factori suo Fidelis apparuit) lachrymas madefactas exequiis impendebant. Prouocabat siquidem eos ratio multiplex corpus glorioſum Roschildas deferre. Ciuitas enim erat, sede Pontificali auctorizata, dignitate cæteris excellentior, & Patroni patriæ precioso dotata pignore, tam Principum quam Prælatorum assripta sepulturæ, maioris dignitatis melioribus apparuit. Terror, inquam Tyranni, eos à proposito desistere, subito compellebat. Inde frustrati voto, dispositione Diuina sancti Martyris Reliquas Ringstadiam tulerunt, membris tandem tanti Martyris in Basilicæ sanctæ Mariæ, Matris & Virginis, sepulchro commendatis, Virtutem sepulti, Benignitas Diuina, insepultam manifestauit. Tempore illo, Ecclesiæ sanctæ duo præbendiarij erant, & ambo nequam; Qui, quia vicioſi, virtutibus Martyris inuidentes, quem Dominus manifestum fecerat, sub modio malicia abscondere satagebant. Præualuit inquam potentior, falsitate cedente veritati, delatorum Martyrum inuectionibus fictis, nullus fidelium fidem adhibuit. Perseuerantes siquidem in malitia sua secundi interfectores, peiores prioribus, sedent in insidiis, vt semel interfectum, iterum interficiant innocentem. Vnde vates vetularum fauentes friuolis, sepulchrum

chrum sancti, animalis immundi decoctione adhibita, fœdare frustra festinabant: vt his maleficiis, miraculis cessantibus, Martyris memoriæ meta poneretur. Sed licet filius iniquitatis nocere opposuit innocenti, nihil prævaluit inimicus in eo, quia in Domino dormientis faciente sine fauilla lucem ardentem, nequiciæ nebula offuscare non potuit. Annis quidem XV. *membra Martyris humata manebant, & fama felix de die in diem, accrescentibus Miraculis, longè lateq́, incrementum accepit. Vniuersis igitur persecutoribus eius peremptis, perempto etiam Erico, qui Leonina feritate in Fratris vltione nulli parcens cædem exercuit, Ericus Spake regnum obtinuit. Tempore illo, ætatis discretio, naturæ nobilitas, gratia virtutum & timoris absentia, VValdemarum Ducis & Martyris filium, diu latentem in medium duxerunt.* Comperto hoc facinore, Ericus Canuti Frater de homicidio tam funesto ac atroci apud omnes questus, plebem concitauit, parumq́; abfuit, quin pro summo ac intimo amore, quo piè defunctum complecterentur, ardentissimoq́; cordis dolore ac ægritudine propter tristem ac atrocem hanc eius cædem, in Regem ipsum impetum facerent.

(MAGNVS *Rex Gothiæ. contra Lotharium Imp.* S. CANVTI *necem vindicantem, vallum à Nora flum. ad D. Michaelis templum vsque Slesuici eduxit. Obijt anno* 1135.)

Magnus cum videret plebis furori obsisti ac imperari non posse, metu perculsus in Gothiam exulatum profugit. Non multo post autem Rex, existimans diuturnitate temporis iam populi animos sedatos esse, Filium reuocauit. Quo factum, vt in summam omnium inuidiam & odium adduceretur Pater. Sed & Ericus ea de re & cæde patrata Lotharium Imperatorem, missis Legatis, certiorem reddere, & obnixè petere, curare vellet Imperator, atque efficere, vt de Magno parricida, dignum ac meritum pro grauitate ac atrocitate facinoris, supplicium sume-

retur

retur, neue mortem illius inultam pateretur. Lotharius re cognita, ſummo dolore afficiebatur, quòd virum Principem, ſibi ſumma familiaritate coniunctum, tam fœda morte interemptum cognoſceret. Itaq; vt eius mortem vlciſceretur, Sleſuicum magnis itineribus, valida militum & equitum manu ſtipatus, contẽdit, & ad vallum Danorum ſeu *Dennevverck* peruenit. (*Annal. fol.* 159. *Helmoldus, cap.* 51.) Cum vero iter ſibi intercluſum eſſe animaduerteret, tranſitusq; non pateret, ibi ſubſtitit, caſtraq; metatus eſt. Huic ſubſidio venit Ericus, claſſe Sleſuicum aduectus. Magnus de aduentu Cæſaris certior factus, nouo vallo vrbem Sleſuicum communiuit, portisq; ciuitatis præſidium validum applicauit. Cuius valli rudera ac reliquiæ ad lacum *Noram* vulgo dictum, non procul à Monaſterio virginum nobilium Deo dicatarum clarè cernuntur. Altera autem pars valli, & propugnaculi in monte edito excitati, ab æde *Diui Michaelis* (in quam propugnaculum deinde conuerſum eſt,) initium capit, & verſus orientem in lacum *Noram*, per *agrum Paſtoris* protenditur, qui adhuc magna ex parte integrũ conſpicitur, etiamſi alicubi interruptũ ſit, ædificijs, & hortis, qui poſtea ibi ædificati & facti fuerunt vallo complanato. Nicolaus Rex, qui filij partes tutaretur, vallum interius, quod ciuitati proximum eſt, milite, quem ex Iutia collegerat, occupat & tuetur. Ferunt tot tantasque eius copias fuiſſe, vt cum eo Imperator manuum conſerere non auderet. Ericus vallum ciuitatis, ſuis copijs, quas nauibus aduexerat, oppugnauit, attamen in vrbem traijcere auſus non fuit. Lotharius cum videret, ſe fruſtra illic hærere, tempusq; inutiliter terere, de pace agere cœpit, quo vrbs Sleſuicum obſidione liberaretur. Quæ his conditionibus, Erico inuito & reclamante, coijt, vt Magnus Imperatori fidem daret, ſeq, illi dictis ac imperio

audientem & obsequentem fore promitteret, & vt militem Romani Imperij duceret. Quas conditiones Magnus obuijs vlnis amplexus, & ad genua procidens, Imperatorem supplex veneratus est. proq; cæde commissa magnam auri summam mulctæ nomine exsoluit, vt testis est *Helmoldus c.* 51. vbi ait; Magnus virtute Teutonici militis territus, apud Cæsarem immenso auro, & hominio, impunitatem indeptus est. Quæ res malè Ericum habuit. Itaq; de Magni leuitate Imperatorem admonere, & palam enunciare, quòd Cæsar eam fidem Magni erga se experturus esset, quam ipsius Frater Canutus magno suo malo comperisset. Neque eum opinio fefellit. Nam Imperator domum rediturus, cum Eidoram traijcere conaretur, ibi tum Magnus ad ingenium rediens, fide, quam Imperatori dederat, neglecta, Ducatu egredientes copias adoritur & persequitur, tandemq; fugat, vsq; adeò, vt armis abiectis natando sibi salutem quærerent, & euaderent. Ericus verò ægrè ferens Imperatoris animum iam mutatum, pristinam iam iterum deferbuisse iram, Magnumq; in gratiam receptum esse, ideoq; de fratris cæde vindicanda cogitare cepit. Quare in omnes Regni partes excurrere, ac de impia ac truculenta fratris cæde miserrime conquestus, homines ad commiserationem ac vindictam permouere & sollicitare, eoque rem perducere, vt multi auxilium ei aduersus Magnum pollicerentur, atroxque ac detestandum hoc parricidium vindicare parati essent. Itaque coactis copijs Magno pugnandi potestatem fecit, eumque prouocauit. Sed victus Ericus & in fugam versus, pedem referre coactus fuit.

Ericvs IV. *E Mundi cognomine, Pes Leporinus, id est,* **Hasenfues** */Rex Daniæ 76. Magnum nauali prælio in Scania interfecit Anno* 1135. *à ministro Plogo ex lutia oriundo rursus lancea transfixus Anno* 1139. *Ripis sepultus.*

Tur-

Turpissimam huiusmodi in fugam cum subinde rebus desperatis sese coniecisset, cognomen tandem adeptus est, vt Pes Leporinus vocaretur. Ericus vero, cum non haberet in Dania, vbi pedem poneret, Slesuicensium opem & præsidium implorat. Qui propter singularem Fratris Canuti pietatem, insignemque eius clementiam ac liberalitatem, qua erga Slesuicenses vsus erat, Erici miserti, in vrbem hominem receperunt, fidemque & iusiurandum dederunt, sese, si res postularet, pro eo mortem oppetituros. Nam ita ait *Helmold. c. 52. Illi Slesvicenses memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperunt virum, paratipro eo ferre mortem & exterminium.* Hac re nunciata, Rex Nicolaus & Magnus copiis magnis collectis Slesuicum contendunt, eamque obsident. Obsidionem illam quamuis durissimam ac acerrimam, toto autumno fortiter ac animosè ciues sustinent. Ingruente autem hyeme, Rex qui militem in hybernis contineret, ciuitatem strenuè ac acerrime oppugnare cœpit, opportunitatem nactus maiorem quàm ante, quòd Slia amnis, seu qui adiacet ciuitati, lacus conglaciasset, *Helmold. c. 54.* Qua de causa Slesuicenses in summas angustias redacti, Adolphi Holsatiæ Comitis opem & subsidium anxiè implorant, centumq; marcas se soluturos promittunt, si cum Nordalbingis ciuitati subueniret. (*Annal. fol. 159.*)

Circa hæc tempora ADOLPHVS I. *Comes Holsatiæ de familia Santersleuen, à* LOTHARIO *Duce Saxoniæ, Comitatu Nordalbingiæ (quòd vltra Albim Septentrionem versus sita, sic dictæ) siue Holsatiæ, post Gothefridum, cui Magnus, vltimus Dux Saxoniæ ex familia Billingorum (quos Stubergehornos vocat Fabric. lib. 2. origin. Saxon.) Nordalbingiam in feudum concesserat, à Vandalis obtruncatum, infeudatus est, vt testatur Chronicon Schaumburgense, Cyriaci, ni fallor, Spangenbergij, impressum in Stadhagen anno Christi*

Christi 1614. in fol. vbi libr. 1. c. 5. fol. 17. recitat hoc ex æde Hamburgensium Metropolitana monumentum.

Anno M.C.VI. *Inclitus & magnificus Dominus Luderus Dux Saxoniæ & VVestphaliæ, qui postea Romanorum Imperator factus, & Lotharius appellatus, contulit & dedit Comitatum Holsatiæ, VVagriæ, & Stormariæ vacantem absque hæredibus, per mortem Nobilis viri Domini Gothofridi, dictarum terrarum vltimi Comitis, à paganis pro fide Catholica, cum multis Christianis ministerialibus suis, prope Hamburg interfecti : Nobili viro Domino Adolpho Comiti de Schavvenburg, qui, & sui filij de ipso pro tempore procreati, ab illo tempore, vsque in hodiernum diem, prædictarum terrarum pacifici Domini & Comites sunt & fuerunt : Post Carolum Magnum & Luduicum eius filium Romanorum Imperatores & Francorum Reges, huius Ecclesiæ secundi fundatores & fidelissimi fautores extiterunt. Orate pro eo.*

Deinde ab Henrico V. Imper. confirmatus fuit Adolphus, A.C.1115. eidemq; gubernatio vrbis Hamburgensis commissa. Lothario Saxoni in subiugandis Vandalis, & eorum Idolo Filius exstirpando auxilium tulit A.C. 1117. qui cum hos vicisset, castellum in monte Segeberga, quasi dicas Victoriæ monte, in signum victoriæ, & contra persequutionem Paganorum in Christianos, instinctu Abbatis Vicelini construi curauit, vt antea dictum A.C.1130. Obijt anno 1133. al. 1137.

Hartvngvs *militiam sequutus sub Lothario Saxone Imp. in Bohemia cum 540. Equitibus cæsus, hostibus de improuiso huius copias opprimentibus, A.C.1126.*

Magnus vero vbi intellexit, Adolpho Holsatiæ Comiti centum à Slesuicensibus promissas Marcas, vt illis succurreret, totidem Marcas se daturum Comiti recepit, si Slesuicensibus opem non ferret. Comes quid ageret, quidue cõsilij hac in re caperet, animi dubius ac incertus, rem cum proceribus communicandam existimauit. Quibus vnanimiter placuit, Ciuitati succurrendum, quòd quotidie eius commo-

dis &

dis & mercibus, quibus carere non possent, fruerentur. *Helmold. cap.*52. Ita Nordalbingorum manu collecta, ciuitati succurrere statuit. Congregato igitur exercitu, Adolphus Comes transijt Egdoram fluuium, visumque fuit ei paulatim subsistendum, quousque vniuersus conueniret exercitus, eundumq; in terram hostilem cum diligenti cautione. Sed populus prædæ auidus retineri non potuit. Tanta festinantia præterlapsi sunt, vt venientibus primis ad syluulam Thieuelam, nouissimi Egdoram fluuium vix attingerent. *Annal.*159. *Helmold. c.*52. Magnus vbi de Comitis aduentu certior factus esset, mille loricatos misit, qui hostium impetum sustinerent & propulsarent. Cumque prælio dimicatum esset, Magnus Holsatos superauit. Comes Eidora transmissa salutem sibi petijt. Ea victoria Magnus elatus, Slesuicenses obsidere pergit, (frustrato tamen labore: nam neque ciuitate, neq; hoste potitus est. *Helmold.*52. *cap.*) Ciuitate a. potiri non potuit, quòd ciues homines fortissimi, pro aris & focis, nec non salute Erici totis viribus pugnarent ac contenderent. Cumq; iam ver appeteret, Ericus, qui hyeme tota Slesuici sese continuisset, vrbe elapsus, in Scaniam nauigat. Eum Magnus classe, quam instructam habebat, sequutus est. Prælio commisso, Magnus vnà cum Episcopo Petro Roskildensi, ceterisque Pontificibus occubuit. Naues partim direptæ, partim laceratæ fuerunt, quarum tabulis plerique inhærentes trucidantur. (*Vide hic Helmoldum latius hæc referentem cap.* 52.) Ea victoria Ericus insignem laudem, & apud Slesuicenses beneuolentiam adeptus est; (*& creatum est ei nomen, vt Ericus Erum hoc est memorabilis appellaretur. Helmold. c.*52.) qui iam obsidione, quæ menses octo plus minus durauerat, liberati essent. Interim tamen victoria illa non humanis viribus, sed Dei, iniustam cædem Canuti

nuti vindicantis beneficio tribuenda & accepta ferenda est. Nam exiguo numero accolarum, qui se ei coniunxerant, hostem Magnum superauit Ericus. Nicolaus Rex per Iutiam elapsus, magnis itineribus Slesuicum contendit, ciues sibi reconciliaturus, quos ob cædem Canuti maxime infensos atque exosos sibi habebat. Itaq; apud Ciues instare & sollicitare, vt sibi ciuitatem ingredi liceret. Cumque illis tuto salutem suam committere non auderet, obsides sibi dari petijt; quorum tamen ciuibus recusantibus nulla ipsi copia facta. Tandem à Boieno quodam ciue, qui maximè plebi gratus atque acceptus erat, persuasus, ciuitatem ingredi decreuit, quòd is omnem metum & suspitionem ex animo Regis amouisset. Portis apertis vrbem ingressus, ab ordine Religiosorum & Canonicis honorificè excipitur, vt qui illum processionis honore venerarentur, & obuiam euntes per plateas in Regiam deducerent. Populus autem ira æstuans vel vt hostem recipit, sibiq; gratulatur, quòd post tot pericula & labores exantlatos, tandem in suam potestatem redactus esset. Id vbi intellectum esset, amici & intimi, quibus maximè Rex fidebat, ei vno ore authores fuerunt, vt in ædem Diui Petri se reciperet, tanquam in asylum, rati multitudinem populi, veneratione templi, nihil contra Regem tentaturam. Sed Rex, ne timoris signa ederet, & meticulosus videretur, respondit, se Regiam, quam Rex Slesuici habebat, ingressurum, ne penates sacrosancti in æde sacra ipsius sanguine commacularentur: & quòd Regia, si res postularet, vitam ac salutem suam tueri ac defendere satius esset, quàm templo. Eamque ingressus est. Fuit autem illa in platea vulgo Cespitum appellata, sita ad lacum Noram. Ciues Regiam adorti oppugnare cœperunt. Rex satellitibus & militibus, quos secum habebat, vim illatam propulsare, & se defendere

fendere conatus fuit, ita vt vtrimque plerique grauiter vulnerarentur: sed tamen multitudinis effrenatæ impetum diu sustinere non potuit, quæ, apparitoribus & ijs quos circum se habebat militibus obtruncatis, Regem adoritur & neci tradit. Idque in platea, quæ à cespite nomen habet, factum esse, Maiores nostri memoriæ proditum dixerunt. (Porro Nicolaus Senior naui elapsus venit Slesvvich, percussus est à viris ciuitatis in gratiam victoris. Vltusque est Dominus sanguinem Kanuti, quem interfecit Magnus, præuaricator iurisiurandi, quod iurauit. Ita Deus patrem iustissime ob parricidiũ commissum ad pœnam rapuit. [*Monasterium in villa VVippendorpe, vel Faldera secundum Slauicam linguam antiquitus dicta, nunc Nigemunster vocitata, per Adevveronem Archiepiscopum Bremensem in insulam Bordesholm translatum, fundatum est post Ecclesiam Hamburgensem, per primum Adolphum Comitem, vbi tunc primum fides Christiana in terra VVagriæ, tum Slauiæ & Holsatæ per sanctum virum Vicelinum incrementum cœpit. Anno Domini millesimo centesimo decimo. Hæc Ecclesia ac Nouum Monasterium in honorem Beatæ Mariæ Virginis fundatum est. Ab eodem Comite Adolpho fundatum etiam fuit Monasterium Reinevelde. Nam ipse Comes fuerat de domo Schovvenburgensi, & in finibus terræ illius est Monasterium Locken situm Cisterciensis ordinis. De quo Monasterio Monachos recepit & in Reinevelde statuit permanendos. Quare adhuc hodie illi Monachi in Locken habent potestatem visitandi in Reineuelde illisq; sunt superiores. In hoc monasterio primus Iohannes Comes est sepultus, & alij etiam de illa progenie Iohannis Comitis.* Hæc Continuator Helmoldi in manuscripta Historia. (*Sub annum Domini* 1112. *Episcopi tres è Dania egressi per comitatum Stadensem iter facturi, magna auri summa onusti, spoliati fuerunt vnà cum comitibus, in Albi submersis, à fratribus tribus pecuniam direptam esse memoriæ prodiderunt. Annal. fol.* 153.)

CA-

CAPVT XXIV.

Aſcheri quærit ſublimia munera magni
Occo, ſed fruſtra talia captat inops.
Selandis Præſul ſit gratus Rege petente,
Poſt ſchiſma vt ſequitur, pellitur inde, malum.

A. C. 1157.

ANNO 1126. Occo natione Danus Epiſcopus Sleſuicenſis exortus eſt, confirmatus ab Aſchero Archiepiſcopo Lundenſi. Cuius beneficio Ericus Rex electus fuit, vt deinceps oſtendemus. Nicolao Rege Sleſuici occiſo, Ericus Canuti Ducis frater ad regiam dignitatem euectus eſt, qui ob res benè feliciterque geſtas, naturæque bonitatem Erum, hoc eſt, clarus dictus fuit, vt dictum ſupra ex *cap.* 52. *Helmoldi.* Vbi ad regnum peruenit, genuit ex concubina Thuma nomine, filium Suein, ac ſub ipſo vixerunt Waldemarus S. Canuti Ducis filius, Canutus quoque ex Magno procreatus, *Helmold c.* 52. Hic itaque Ericus leges à Maioribus rogatas ac conditas emendare, & exequi cœpit, quæ durantibus bellis inter arma ſiluiſſent. Ante omnia autem ſedulo prouidebat, ne potentiores inferioris ordinis hominibus iniurias inferrent, &, ſi id fieret, vt de iniurijs ſatisfacerent, neque impune ſubditi peccarent: quod ſciret, impunitatem maximam delinquendi illecebram eſſe. Imò ferro, laqueo, in facinoroſos, homineſq; profligatos ac maleficos ſeueriſſime animaduertebat, nulla generis, cognationis aut familiaritatis ratione habita, vt qui ſolis ciuilibus & inteſtinis bellis aſſueuerant, inpoſterum magis pacati

cati viuerent. Postquam autem præsidio Occonis Ericus Rex exortus esset, vt qui magnum ad eam rem adiumentum attulisset, (*nam ea tempestate, vt supra ostendimus, Præsules Principem locum à Rege obtinebant, vt penes quos etiam magna ex parte erat ius eligendi Regem,*) Rex accepti beneficij memor, parem Occoni gratiam referre voluit. Cumque sub id tempus è viuis sublatus esset *Ascerus*, primus Archiepiscopus Lundensis, Rex omnia tentat, vt *Occonem* in demortui locum substituat. Scanienses contra, ob innumera Asceri in se merita, *Eskillum*, cognatum Asceri, magno omnium consensu, in locum Archiepiscopi suffici cupiebant, ac rogabant, & quòd nollent dignitatem illam de familia transferri. Ericus autem qui memoria tenebat, se opera Eskilli de improuiso Selandia eiectum esse, ei hanc dignitatem inuidebat: quamuis interim satis pœnarum dedisset Eskillus, vt qui viginti talenta auri pro illa eiectione pendere coactus fuisset. Rex vbi accepisset, Selandenses quoque omnes sibi refragari, indignè tulit, idque factum in pessimam partem interpretabatur, & se contumelia insigni affectum existimabat. Scanienses vero, etsi apertè Regi non repugnarent, tamen idem cum Selandis sentiebant. Suffragia igitur aliquantisper suspendunt, temporis oportunitatem exspectantes, quò id minori cum periculo fieri posset. Quibus rebus fiebat, vt electio Archiepiscopi plusculum temporis differretur, quòd suffragiorum colligendorum facultas non daretur. Interim miles quidam clarissimo inter Iutos loco natus, qui quotidie Regem comitabatur, Regi interitum parabat, ac machinabatur, eamque rem paulò post ad exitum perduxit. Commodam enim occasionem, oportunitatemque exoptatam nactus, Regem in ciuitate Ripensi lancea confodit. (*Pax quoq; mortuo Henrico Rege Slauorum, à Slauis turbata; Nam*

anno 1133. *Slauorum populi agebant ea, quæ sunt pacis, eò, quod Henricus Slauorum Rex Comitem Adolphum & conterminos Nord-Albingorum populos omni beneuolentia complecteretur; At mortuo Henrico filij eius & Zuenteplogus successerunt in regno, ac tranquillitatem intestinis bellis perturbauerunt. Annal. fol.* 157. Nota. *Enunciabat Dæmon palam, à Vicelino eiectus, se in oras illas ac Daniam missum, vt ibi turbas daret, & infortunia concitaret: Idq; ad effectum perduxit. Nam & Erico occiso perturbatio grauis erupit, adeò vt oculis probari potuerit, magnum eò Diabolum aduentasse in afflictionem gentis illius. Bella enim, tempestates, pestilentias, & cetera humano generi inimica Dæmonum ministerio fieri, quis nescit. Helmod. cap.* 56. *Annal. f.* 161. *b.*) Atq; hocpacto Occoni Episcopo Slesuicensi impedimentum obiectum fuit, ne Archiepiscopus designaretur ac constitueretur. Nam electio illa, de qua hactenus controuersum esset, in suspenso mansit.

Ericvs V. *Lam dictus, Rex Daniæ* 77. *& tutor Regiæ Sobolis, in Vandalos infelix gessit bellum, factus Monachus Othoniæ. Obijt anno* 1147.

Erico Regi sublato Dani alium sufficiunt Ericum, cognomento Lam, hoc est agnus, ob simplicitatem, quòd nullis à natura dotibus, quibus imprimis commendaretur aut præstaret, ornatus ac præditus erat, præterquam quod Regio sanguine natus esset, & quòd in prælio quodam solus in hostes procurrere ausus fuisset, temeritate magis quadam, quam animi fortitudine adductus. Postquam autem Eskillo de Regis in Iutia extincti morte renunciatum esset, confestim magnis itineribus in Scaniam properauit, & traiecit, sperans se Archiepiscopatus honorem adepturum. Hic autem Ericus Rex paulò ante electus, non minus Occoni fauebat, quàm qui eum præcesserat Rex, eumq; ad illam dignitatem euchere summopere cupiebat, ac laborabat. Ibi tum Scanienses,

ses, qui hactenus suffragia non tulissent, palam profiteri ceperunt, se extrema quæq; malle pati, &, si res postulet, bello rem decernere potius, quàm permittere, vt ius Pontificatus supremi in aliam transferretur familiam. Rex populi precibus, ne nouis turbis ac molestijs ansa & occasio præberetur, cedendum existimans, sui prædecessoris exemplo motus, illorum postulatis locum reliquit, & ne multorum odia, ob gratiam vnius hominis, sibi conciliaret, à proposito destitit. Vt tamen aliqua ex parte Occoni repulsam passo satisfaceret, eò rem perduxit, vt suffragijs cleri Occo Selandiæ Episcopus postulatus crearetur. Itaq; Episcopatu Slesuicensi relicto, in Selandiam migrauit Occo. Sed tamen postea, ob turbas Eskillo fugiente, Occo Slesuicum ad Episcopatum reuersus est. Motus autem & contentiones maximæ turbæq; grauissimæ inde consequutæ sunt, quod Occo posthabitus, Episcopatu potiri non potuerit, vt deinceps exponemus.

CAPVT XXV.

ADOLPHVS II. *Comes Holsatiæ post mortem Lotharij Imper. à Marchione Alberto Stormaria & Holsatia pulsus, Henrico de Badevvide stubstituto, mox Henrici superbi auxilio eam recuperauit, & VVagriam, Vandalis oppressis, desolatam & incolis vacuam, colonis, antea ex Nordalbingia tempore Caroli Magni propter eorum copiam transpositis, ex Brabantia, Flandria, & Belgio reuocatis possidendam distribuit, (quæ postea tractu temporis cum ipsis Incolis nomen mutauit,) & Nordalbingiæ siue Holsatiæ coniunxit. Anno Christi* 1140. *Lubecam ædificauit, vel potius restaurauit.* A.C.1143. *à Critone aliàs ceptam, quam deinde combustam.*

A.C.1158. Henrico Leoni Duci Saxoniæ cessit, cui postmodum contra Obotritas militans, ad Deminum cæsus, occubuit Anno 1164. Mindæ sepultus. Cuius coniux Mechtildis, secundò nupsit suo adiuncto Curatori Henrico de Orlemund. Vnde natus Albertus de Orlemund. De quibus postea pluribus.

CIrciter hæc tempora, religiosi homines vestes & Regulas, quibus hactenus adstricti fuissent, mutare cœperunt. Nam, qui paucis ante annis ex Monachis Canonici Regulares exorti essent, vestitumque, vt supra ostendimus, mutassent, disciplinam & Regulam, cui hactenus illigati paruissent, pertæsi, ad liberiorem vitam & institutum adspirare ceperunt, quòd hactenus in ordinem coacti, vitam se solitariam vixisse quererentur. Itaque penitus luxui vestium indulgere, & liberius viuere. Sed nec nomine contenti, vt Regulares appellarentur, à Regula nimirum & viuendi norma illis præscripta, Canonici seculares salutari voluerunt. Cumque hactenus vno habitu & vestitu amicti essent, nunc quisque pro arbitrio, & pro coloris, quo delectatur, varietate, vestem sibi sumit, conueniens esse ratus, non vni vestitui, aut colori addictum esse. De qua religiosorum innouatione quidam ex vetetibus ita scripsit: *Paulatim accrescente in Clero religione, apud Ecclesias ex monachis regulares Canonici prodierunt. Quid autem ex hac resolutione deinceps sit oriturum quis nouit? Interpretemur, oro, vocabulum. Si Canon est Regula, & inde nomen habent, Canonici sunt Regulares. Quid autem de Canonico fiet seculari, nisi sit regularis, sin irregularis, aut si id malumus, regularis sine regula. Erat is deuotionis feruor sub sanctis Patribus, vt inter fratres etiam Pontifices instituerent. Iam ventum est ad Regulares, vt Canonici dicerentur & essent. Vtinam & ibi perduraſſent. Inferior postea inuentus est gradus Canonicus secularis, hoc est, Regu-*

laris

laris ſine Regula, Canonicus ſine Canone. Hactenus ille. Quod tamen accipiendum eſt tantum de ijs, qui initio ſe ſtatui addixerunt Religioſo, deinde ad liberiorem aſpirant vitam. Cæteroqui cum & ſacra Apoſtolica Sedes, & vniuerſa Eccleſia Catholica, quæ à Spiritu S. dirigitur, Canonicos approbet ſeculares, temerè quiſpiam eos culpauerit. Nec enim ij ſunt Canonici ſine Regula ſeu Canone, ſed Canoni non perpetuò illigati, ſed quamdiu beneficijs fruuntur, poſſunt enim ex cauſis, cum Summi Pontificis venia & facultate beneficium ſuum dimittere: At Canonici regulares perpetuò ſuis regulis ſunt obſtricti. (*Sub hæc tempora, Magnus Bartzius Dux Daniæ duxit Lutgardin filiam Hermanni de VVinceburg. Hic à VValdemaro Rege oculis priuatus, & caſtratus fuit: Vxor in Saxoniam rediens miſerabili ſorte truncato naſo, à ſeruo mutilata eſt. Annal. fol.* 165. *Erat hæc ante nupta Herico Regi Danorum, qui nominatur Lam. Anal. fol.* 165.)

Sveno III. *Rex Daniæ* 78. *in Selandia: in acie contra VValdemarum interemptus, agreſtium quodam ipſi caput præcidente, Anno* 1156. *Sub quo propugnaculum, in D. Michaelis templum Sleſuigæ conuerſum, exſtructum. Sleſuicenſibus in excidij compenſationem Ius municipale & pratum Regium attribuit.*

Erico Rege exſtincto, Iuuenes tres Regio ſanguine orti, Canutus nimirum in Iutia, Sueno in Selandia, & Waldémarus Erici filius magno ambitu, ac conatu Regnum appetiuerunt, ac affectarunt, contra voluntatem & diſpoſitionem Erici Curatoris. Nam is congregatione Procerum totiusq; nobilitatis habita, communi conſilio, vtriuſque Regni Suenonem Regem deſignauerat. Cui Canutus obſiſtens, Regnum, bello contra Suenonem ſuſcepto, ſummo ſtudio omnibusque viribus affectat. Qua ratione in varias diſtracti factiones, Scanienſes vnà cum populo

Selandensi, Suenouem Regem elegerunt: Iuti verò Canutum. Waldemarus iuuenis S. Kanuti filius, Suenonis partes sequitur, atque hac ratione posterioribus annis scilicet ann. 1161. Ducatum Slesuicensem obtinuit, ac impetrauit, Suenone deinde interempto, Regno quoque Daniæ potitus est. (*Crantz. lib. 5. cap.* 27.) Ex hac fratrum dissensione maximæ consequutæ sunt calamitates, & bella, quæ etiam, signis & prodigijs horrendis præeuntibus, denunciata fuere. (*Historiam hanc latè exsequitur Helmoldus c.* 68.) Quippe in illa cœli plaga, quæ septentriones spectat, ignitæ faces, & humani cruoris species apparuerunt, & conspectæ sunt. Canutus & Sueno inter sese quotidianis prælijs contendentes, nunc victi, nunc victores exstiterunt: non sine magna humani sanguinis effusione, vt rectè quis dixerit, propter eam, qua sibi intimè ac arctissimè coniuncti erant, necessitudinem, eos in propria viscera sæuijsse, gladiosq; strinxisse. Adde quòd in Dania intestino bello, grauiori & diuturniori, nunquam antea laboratum sit. Prælio autem tandem in Selandia commisso, pacem fecerunt Canutus & Sueno, *Helmold. cap.* 68. idque de consilio & mandato Pontificis Romani, qui, vt Slauum Religionis Christianæ hostem crudelissimum bello persequerentur, & classe oppugnarent, illis omnino author & hortator erat, Saxonibus terra Slauum aggressuris. Pontifici Romano obsequuti, Canutus cum Iutis magnam nauium copiam contra Slauos parat ac instruit; Sueuo verò classe Slesuicensi eum inuasurus in Germaniam nauigat. Quos Selandenses, & Scani continuo subsequuntur. Hi cum Slauis congressi, inauspicatò admodum ac infeliciter pugnarunt: Nam classis Suenonis à Rugianis cremata, ac cineres redacta est, cum milites prædandi causa in terram expo-suissent. Canuti milites, vbi id accepissent, ea clade & infor-

infortunio exhilarati, hosti victoriam gratulati sunt. Sueno classe lacerâ & labefactatâ in Daniam reuersus est, ea spe & intentione, vt nauibus refectis, iterum cum Canuto congrederetur. Canutus clam in Selandiam Caduceatorem miserat, qui Selandenses ad defectionem sollicitaret, fretus multitudine amicorum, quorum opera se effecturum confidebat, vt se illi dederent. Caduceator deprehensus exploratoris pœnas dedit, vt, cui oculi exsculpti fuerunt. Roskildenses verò hisce persuasionibus inducti, Canutum in vrbem recipiunt. Quibus rebus moti Scanij, qui Suenonifidem & iusiurandum dederant, frumento, & commeatu comportato in Selandiam transmittunt. Ibi tum prælio commisso, Suenonis copiæ victoria potitæ sunt. Ac Sueno crebris prosperatus victoriis, Canutum eiecit de terra, & ad Saxones pulsum exulare coegit, penes nominatissimum Harturgum Archiepiscopum, qui clarissimo genere natus magna pollebat hæreditate. *Helmold. c.* 68. Rebus ita gestis, Sueno magnis itineribus Slesuicum contendit, Adolphi Holsatiæ Comitis vlciscendi causa, qui Canuto suppetias tulisset, & subsidio militem misisset. Itaque magno collecto exercitu in Wagriam inuadit, & ciuitate Aldenburgensi expugnata & accensa, omnia loca maritima ferro & flamma vastat. Quin & oppidum Segebergense exurit, & solo æquat. Quæ omnia Rex de consilio & instinctu Ethelerí perpetrasse dicitur, vt qui Wagriam Regno Daniæ subijcere volebat. (*Certabat vterq; Regum adsciscere sibi Comitem nostrum, (hoc est Holsatiæ) miseruntq; nuntios cum donarijs, plura & ampliora offerentes. Complacuitq; Comiti ad Canutum, habitoq; collega fecit ei hominium. Helmold. c.* 68.) Comes Holsatiæ fuga arrepta, auxilium Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ, in cuius clientiam & protectionem sese dederat, implorat. Henricus Leo de his

certior factus, causam examinat, tandemq; re benè perpensa ac deliberata, mandat, vt Proceres fidei & Iureiurando, quod Regi Daniæ dedissent, renuncient, Comitisq; Adolphi partes sequantur, vel Ditione sua cedant, Idque, quòd haud obscuris indicijs accepisset, Suenonem sibi Holsatiam subijcere, & Regno Daniæ annectere decreuisse; atque ea de causa vrbem Slesuicensem satis antea munitam, firmiorem ac munitiorem reddidisse, vt inde, Holsatis semel deuictis, & in suam potestatem redactis, quotidie excurrere liceat, si fortassis in officio & fide non mansissent. Atque hac tempestate propugnaculum illud ad aquilonem in monte excelso situm, à fundamentis erectum & ædificatum esse, à Maioribus nostris memoriæ proditum est. Quod postea in templum Diui Michaelis conuersum est. Canutus qui exercitum, ad quater mille expeditos, collectum habebat, Slesuicum quam ocijssime ac celerrime properat ac contendit, vrbemque tam mari quàm terra obsidere cœpit, (*Helmold. c. 68.*) Obsidio menses aliquot durauit. Sueno belli & obsidionis pertæsus, cum Canuto de pace agere cœpit, & tandem eò rem perduxit, Principibus pecunia corruptis, vt Canutus obsidionem solueret, domumque rediret, cum hac pollicitatione, Suenonem Imperata facturum, & fraternè cum eo acturum. Iuuenis hisce persuasionibus inductus, petitioni eius locum reliquit, &, Comite insçio & inconsulto, durante adhuc obsidione, Iutiam repetit. Sueno, qui Comitem Adolphum solum remansisse intellexerat, noctu irrumpere, eumq; in castris opprimere statuerat. Comes, vbi castra à militibus vacua comperisset, technam subodoratus, summa festinatione Holsatiam petit, & castra de loco qui vulgo Konigshuie dictus & in myrica Croppiana situs est, vltra Eidoram mouit & traiecit. Rex exercitum

ad

ad Schalebuiam traducit, vt Comitem, qui regressus erat, à tergo adoriretur. (*Helmold, c.* 68.) Ponte ad Eidoram rupto & deiecto, prælio contendere cœperunt. Sed Comes, cum aliquantisper pugnatum esset, prælio vicit ac superauit. Sueno summa clade affectus, cum ijs qui ex ea pugna euasissent, Slesuicum redijt. Pace deinde constituta, Sueno & Comes reconciliati, amicitiam & concordiam perpetuò coluerunt. Canutum redeuntem Iuti Regem salutant, inq; belli subsidium ingentem pecuniæ summam conferunt ac numerant. His cognitis, Sueno rursus Canutum bello temerè lacessere, neque tutum neque consultum fore putauit, nisi prius exercitu reparato ex orientalibus. Quare primum in Fioniam appellit, deinde in Iutiam traijcit, conciliatis sibi Wiburgensibus, quibus vectigal regium se remissurum pollicitus erat. Canutus vero forti ac intrepido animo Suenoni venienti occurrit, obuiamq; hilariter procedit. Ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est. Tandem Sueno, Canuti exercitum validissimum stratagemate alto profligauit, & ad internecionem cecidit. Nam absque eo, spem totius Regni abijcere coactus fuisset. Canutus, pulsus fugatusque, ad Frisios nostros tanquam ad asylum confugit, eisq; tributorum remissionem pollicetur, siquidem sibi suppetias ferre non recusarent. Frisij ea spe illecti, auxilio se fore promittunt. Et vt fides dictis inesset, mœnia erigere incipiunt, quibus oppidum, quod ad fluuium Mildam ædificare constituerant, cingerent & munirent. Hac re comperta, Rex copias, quas ex Scania in Selandia collegerat, nauibus imponit, & Slesuicum nauigat, Iutisque, vt vnà cum equitatu subsequantur; imperat. Naues autem minores vehiculis Slesuico deuehendas ad Eidoram curauit, ad obsidendam munitionem, quam hostis sui defendendi causa molieba-

tur. Locum autem illum magis natura quàm arte munitum reperit. Frisones homines confidentes, bellandi cupidi, magna audacia pugnam inierunt, & aperto Marte in campo hosti occurrerunt, ad amnem quendam valdè amœnum ac placidissimum, ita, vt vtram in partem fluat, vix oculis animaduerti possit. Ibi tanta vtrimque strages edita est, vt amnis cadaueribus, quæ pontis vicem præstabant, impleretur. Canutus, videns sibi victoriam è manibus excidisse, in fugam se conijcit, vnà cum aliis nonnullis, qui illum è vestigio comitabantur. Plerique intra munitionem sese recipiunt, & hosti magno labore & pro viribus resistunt. Sed eam summo conatu ac indefesso studio, continuato die & nocte labore, oppugnare, Sueno non destitit, quòd Canutum ibi se continere putabat. Tandem cum resistendi amplius facultas non daretur, supplices facti sese dedunt, gratiam & misericordiam implorant & expoſcunt, quam etiam præter spem & opinionem adepti sunt. Nam & periuros & fœdifragos sponte dimisit, Frisonibus vero, vt pœnæ nomine duo millia librarum penderent, imperauit, obsidibus in eam rem datis atque acceptis. Canutus, rebus desperatis in extremas huiusmodi angustias redactus, ad Fridericum Barbarossam confugit, vtque eius ope, consilio & auxilio in Regnum reducatur, summopere petit, ac contendit. Idque vt eò facilius impetret, pollicetur, si ab eo restitutus fuerit, se Regnum Daniæ eius Imperio subijcere paratum esse. Cæsar Imperij Romani amplificandi cupiditate adductus, Suenonem per litteras ad colloquium peramanter inuitat, fretus amicitia & familiaritate, quam apud Imperatorem Conradum, cui vterque inseruijsset, contraxissent, & iam inde ab incunabulis coluissent. Sueno *Merseburgum* aduolat Imperatori obsequutus. Eò cum ventum esset, Imperator quasi pro

Impe-

Imperio agere, Suenonemq; ad obedientiam Imperio Romano præstandam cogere. Sueno, qui in ipsius esset potestate, ex tempore consilium capiens, obedientiam Imperatori, & Selandiam Canuto se concessurum verbis promittit, etsi longe aliter sentiret, aliudque interius animo decretum ac constitutum haberet. In eam rem fidem suam interponit Waldemarus Dux Slesuicensis, vades factus. Sueno domum reuersus, Imperatori rescribit, se quodammodo coactum fidem dedisse, de Daniæ Regno Imperio Romano subijciendo: id autem se præstare ac efficere nequaquam posse, quòd Regum Daniæ nemo vnquam Imperatori paruisset. Cumq; Waldemarus, Vades datus, vt se sisteret poscceretur, Sueno eius defensionem & excusationem suscepit, quòd diceret Regnum Daniæ Selandia carere non posse. Interim tamen vt Canuto aliqua ratione satisfieret, se Canuto tres præfecturas concedere & permittere paratum esse: vnam in Iutia, alteram in Selandia, tertiam in Scania. (Quæ Annales nostri *fol.*188. ita referunt. Anno Domini M.C.LII. regnauit Fridericus I. 86. ab Augusto, filius Friderici Sueonum Ducis, vt testis est *Otto Frisi. li.2.c.1.* (qui fratrueli suo Conrado Henrici Imp. filio successit,) & Pentecosten Merseburgi celebrauit, vbi Regi Danorum Suenoni regnum confirmauit, & Canutum parte regni, & possessionibus suis contentum esse fecit. *Hactenus Annales.*) Waldemarus autem Suenonem grauiter incusat & increpat, quòd fidem falleret, sed is hæc omnia susq; deque; nihilque pensi, quid afferebatur, omnino habuit. Nã victoria rerumque prospero successu elatus, omnibus præ se contemptis, tantopere fastu ac insolentia intumescebat, vt omnium animis à se auersis ac abalienatis, suorum quoque odia in se concitaret. Idque eò magis, quòd ex aula Cæsaris reuersus, habitum & cultum

tum Germanicum in Daniam inuexisset. Waldemarus autem Regi etiam in suspicionem venit, quod Canuti Sororem in vxorem duxisset. Quibus rebus fiebat, vt Rex Sueno, tam Waldemaro, quàm Canuto insidiaretur. Cum hic rumor sparsus ac dissemina-tus esset, paulatim res Suenonis ac fortuna inclinare, & quasi ruinam minari cœpit. Sueno, vt iram aduersus Canutum & Waldemarum conceptam tandem euomeret, animiq; propositum ac conatum ad exitum perduceret, exercitu collecto, eos inopinantes in Iutia inuadere & opprimere constituit. Contradicentibus vero amicis, & ne id faceret, omnino dissuadentibus, ipsumque à proposito suo summopere dehortantibus, consilio mutato, eorum voluntati tandem obsequitur moremq; gerit. Quorum etiam hortatu ac suasu, exercitum dimisit, nihil etiam suspicans mali. Exercitu dissipato, omnium procerũ animos ab se abalienatos comperit. Sueno, metu adactus, periculi vitandi causa, recta ad Henricum Leonem contendit, Conrado Imperatore, apud quem triennium vixerat, iam vita functo, eique ingentem pecuniæ summam dare, & de fideiussoribus cauere promittit, si eum in Regnum restitueret. Quin & Hartvvicus Bremensis Archiepiscopus Suenoni opem & auxilium pollicetur, promittenti, se reducem factum, ius illud, quod Archiepiscopi Bremenses in Dania habuissent, & aliquot iam annos amisissent, Ecclesiæ Bremensi integrum restituturum. Quare exercitu collecto, Sueno vnà cum Archiepiscopo, Slesuicum recta contendit. Ad vallum Danorum cum ventum esset, illicq; transitus non daretur, pluisculum temporis ibi substiterunt. Post longam autem deliberationem, tandem hanc rationem inierunt, eumq; qui portæ ferreæ præerat, pecunia oppugnare cœperunt, vt eos transire pateretur. Qui etsi initio

diffi-

difficilem ea in re se præberet, tamen paulò post argento corruptus portam reserat, ijsque transitum præbet, idque hoc prætextu, quod Regi rem gratam faceret. Hac commoditate vsi, Slesuicum obsident, oppugnant, & diripiunt. Sed & exactionem ac censum grauissimum fereq; intolerabilem à Ciuibus Sueno exegit. Quibus de causis commotus Hartvvicus Episcopus, Regi author fuit, vt proditorem, qui ære corruptus portam aperuisset, ad portam vnà cum pecunia, quam Sueno ei pactus erat, suspenderet, quòd id meritus esset, vt alij hoc exemplo territi, ab eiusmodi scelere cauerent, & proditionis præmia omnibus innotescerent. Cui Rex obsequutus, hominem corripi ac suspendi iussit in porta. Sed & classem Ruthenorum, quæ in portu Slesuicensi erat, expilauit & diripuit, mercesque in nauibus repertas militibus pro stipendio attribuit & dedit. Quo factum, vt mercatores omnes exteri, & aduenæ, qui eò commeare, mercesq; importare solebant, post illum diem nunquam Slesuicum redierint. Ita vrbs florentissima antea ac populosissima, in vicum fermè redacta à Suenone, nunquam ad hunc vsque diem emergere, atq; ad pristinum statum reduci potuit. Saxo Grammaticus hac de re ita verba facit. *Illic Sueno peregrinam classem prædatus, direptas Ruthenorum merces stipendij loco militibus erogauit. Quo facto non solùm Aduenarum in posterum frequentiam deturbauit; sed etiam splendidam mercimoniis vrbem ad tenuem angustumq; vicum redegit.* Sueno vt Ciuitati in suam potestatem redactæ, de damno & iniuria illata, aliqua ratione satisfaceret, ius municipale, quo adhuc hodie vtuntur, Slesuicensibus dedit, & promulgauit, idque magni beneficij, & Priuilegij loco habendum existimauit. Inter alia autem lege cauit, vt ciues in Ciuitate conueniri debeant, neque alibi in ius vocari aut conueniri possint, vel à

Rege

Rege vel à Duce. Item, vt Ciuis, qui quotannis duos denarios soluerit in die purificationis, extra portam Ciuitatis, ab Episcopo vel Clericis, vel Romam in ius vocari non possit. Sed & pratum illud, ad ripam Sliæ fluminis situm, vulgò pratum Regium appellatum, ciuibus perpetuò vtendum fruendum dedit. Quo tamen hodie ciues non fruuntur. Exigua sanè immunitas & satisfactio pro tanta iniuria & damno illato, quod Slesuicenses in hunc vsque diem reparare non potuerunt. (*Anno* 1154. Sueno Rex Danorum regno pellitur, & Regnum à Canuto eiusq; nepotibus occupatur, Henricus Dux Saxoniæ Suenonem Regem Danorum regno suo restituit. Ita *Annal. fol.* 190.) His rebus cognitis, Waldemarus ingenti militum numero coacto, Henricum Leonem adeò perterrefecit, vt, Suenone deserto, in Germaniam redierit: etsi aliam abitionis causam prætexeret, ne videlicet timidus ac meticulosus videretur. Sueno Henricum Leonem abeuntem, domumq; properantem, summopere rogauit, & sollicitauit, vt cohortes Vandalorum validissimas, quas adduxerat, ei tradere ac committere vellet. Quibus stipatus ac munitus, in Fioniam nauigat, vbi summa omnium cum gratulatione & lætitia suscipitur. Sed cum Canutus & Waldemarus ipsum bello persequi constituissent, Sueno, exercitu relicto, in Iutiam traijcit & fugit. Quare concilio habito, & re deliberata, Regni Proceribus placuit, vt Regnum Daniæ in tres partes diuideretur. Quarum vna, Scania nimirum, Canuto gubernanda tribuatur: Iutia verò Waldemaro detur: Selandiæ autem & Fioniæ alijsque Insulis Sueno præsit. Quæ diuisio religione Iurisiurandi roborata & firmata fuit. Atque ita tandem post diutina bella & concertationes iamdudum optata pax facta est. (*Anno* 1151. *Rex Curiam denunciauit apud Marpolim Saxoniæ ciuitatem.*

missáq;

missaq; legatione, Reges Danorum tumultuantes euocauit, vt decerneret inter eos mediante iustitia. Tunc Canutus, quem tertiò pulsum diximus, venit ad Ducem nostrum, rogans, vt eius conductu & auxilio induci iterum in patriam mereretur. Porrò Archiepiscopus conduxit Suein Regem, habens inter Religiosos & honestos viros vnà Vicelinum in comitatu suo. Et habita est Curia illa celebris apud Marpolin: vbi Principes Danorum confœderati sunt: Suein coronato in Regem, cæteris eidem hominio subiectis. Helmold. cap. 74. Vide etiam cap. 85. apud Helmoldum.)

CANVTVS V. *post bellum inter hos tres Regni æmulos sopitum Scaniam obtinuit, Rex Daniæ factus 79. In Conuiuio à Suenone carminibus irritato cæsus anno 1156. Ros.*

Accidit non ita multò post, vt Sueno à Canuto, animis iam reconciliatis, hospitio exciperetur, vbi & Waldemarus esset. (*Helmoldus cap.* 85.) Forte fortuna quidam carminibus & rhytmis cepit calamitates & miserias, in quas Sueno incidisset, decantare eique inter alia odiosè & contemptim exprobrare: quòd cum antea sese pro Rege gessisset, nunc maximis ac potentissimis Regni Prouincijs defraudatus, tertia eiusdem parte contentus viueret. Ea de re Sueno à muliercula quadam monitus, stomachari & excandescere, deq; iniurijs ac opprobrijs, quibus lacessitus erat, vindicandis, altè ac serio cogitare cœpit. Itaque ministro cuidam, cui plurimum præ cæteris fidebat, mandat, vt adhibitis alijs, quos secum habebat, satellitibus, de Consorte Regni è medio tollendo, consilium ineat, eumque, data occasione, interficiat ac confodiat. Minister, Suenonis Imperio obsequutus, facinus aggreditur, impetuque in Canutum facto eum interimit, Waldemaro etiam grauiter vulneribus confecto, qui tamen adhuc saucius euasit & fugit, etsi in summo discrimine ob acceptum vulnus versaretur. (*Vide Helmoldum cap.* 85.) Eum fugientem perse-

persequi & inquiri iubet Sueno. Sed is amicorum ope & beneficio, eos, qui ad indagandum destinati erant, fefellit, & incolumis euasit, nauemque nactus, tempestate aduersa aliquantisper iactatus, in Iutiam transmisit. Eò cum ventum, qua potuit celeritate id fieri, collecta militum manu, rursus cum Suenone acie dimicat ac contendit. In quo prælio Sueno lassus, viribusque confectus ac destitutus, à rustico quodam confoditur: iusto Dei iudicio eum ad pœnam trahentis, vt qui fidem datam & Iusiurandum toties violasset, & parricidium periuro cumulasset. Referunt hæc breuiter Annales nostri fol. 190. his verbis. *Anno* 1157. *Canutus Rex à Suenone doloſe interimitur. VValdemarus vulneratus vix euasit. Postea factum est prælium inter Suenonem & VValdemarum. Suenonis victa pars corruit, ipse autem fugiens capitur & obtruncatur. Anno* 1158. *maxima tempestas exstitit, ventus turbinis fortissimus arbores immensas radicitus euulsit, Ecclesias cum domibus euertit. Aquarum quoque inundantia infinitam hominum multitudinem cum pecoribus suis exstinxit. fol.* 190. *Annal.*)

CAPVT XXVI.

Officio Esbernum depellunt Pontificali,
Fortis & arx hosti præda petita ruit.
(Dum nulla est nobis mutandi fata potestas)
Secedens patria deserit ipse gregem.

ANNO à nato Christo 1154. Esbernus Danus Occoni Episcopo è Selandia migranti & discedenti sufficitur, & confirmatur ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi. Hic, etsi initio suæ administrationis, annisque aliquot subsequenti-

quentibus, nulla mala & incommoda experiretur, quod Regnum Daniæ eo tempore pacatum ac tranquillum esset : postea tamen in magnas ac grauissimas incidit calamitates, quibus miserè conflictatus & oppressus, stationem suam deserere, & fuga sibi consulere cogitur, vt breui explicabitur.

WALDEMARVS I. *Dux Slesuicensis II. postea Rex Daniæ 80. Regnum pacatum solus obtinuit, Vandalos & Rugianos ad fidem perduxit anno 1168. Iulino desolato, & eius Idolo Suanteuit destructo anno 1170. Vallo Danico murum cocti lateris, Margaretæ nigræ prioris coniugis instinctu superiecit. Secunda coniux Sophia, soror Canuti Regis Daniæ. Obijt VVardeburgi anno 1182. Ringstedj sepultus. Leges Scanicas promulgauit.*

Post id tempus, Waldemarus solus Regnum Daniæ pacatum feliciter & quietè administrauit, etsi foris cum Vandalis gente turbulentâ & seditiosâ, quotidianis prælijs contenderet. Hanc tamen optatam Regni pacem & tranquillitatem, turbæ nonnullæ & dissensiones, inter Regem Waldemarum eiusq; subditos, nec non Archiepiscopum Lundensem Eskillum, motæ atque exortæ, iterum diremerunt ac perturbarunt. Causa autē horum motuum ac turbarum hæc fuit, quòd Eskillus, bello intestino ardente, thesaurum ingentem auri in Galliam ex Dania exportandum curasset, quem, pace constituta, domum reuehendum & referendum Monachis quibusdam mandat. Qui cum non procul à ciuitate Stadensi in pagum quendam diuertissent, & pocula, è quibus biberent, non haberent, vnus è Monachis calicem aureum è thesauro deprompsit. Id cum vidissent prædones quidam, qui fortè fortuna eo tempore vnà in hospitio essent, id quod res erat suspicati, nimirum magnam auri vim penes eos esse, de ijs spoliandis, conuenêre. Holsatiam itaque rectà petunt, vt quæ

Monachis transeunda esset; & cum eos plusculum temporis antecessissent, oportunitatem nacti, thesaurum, quem vehebant, eripiunt, & Monachos spoliant. De quo facinore certior factus Eskillus Archiepiscopus, apud Regem instat, pro sua authoritate & imperio curare velit atq; efficere, vt pecunia erepta restituatur. Quod si fiat, pollicetur se eius pecuniæ partem aliquam, si recuperetur, Regi daturum esse. Cumq; eam rem vrgeret Pontifex, & sollicitandi finem nullum faceret, Rex operam suam illi promittit, sed grauatè, quòd diceret eam pecuniam recuperatu difficilem esse, cum de prædonibus non constet: imò minori negotio à potentioribus eam repeti posse, quàm si à plebeis & tenuioribus ea ablata sit. Tandem Rex Archiepiscopum Slesuicum ire iubet. Ibi Rex inter pocula paulò hilarior iocari, & in hæc verba prorumpere: malè & imprudenter factum esse à baiulis, quibus auri reuehendi cura commissa esset, quòd è poculo aureo bibissent, & suam magnificentiam & splendorem inter homines ignotos ostentassent. Quidam ex ijs, qui circa Regem erant, hanc rem & verba, quibus Rex vsus esset, ad Archiepiscopum deferunt, & sinistra calumniosaq; interpretatione Regi obtrectant, quòd in contumeliam Archiepiscopi ea Rex effudisset. Vnde iræ ac simultates nonnullæ inter Regem ac Archiepiscopum extiterunt. Huc accedebat, quòd Rex Occonem Episcopum Selandiæ, quem Eskillus Episcopatu Selandensi remouerat, Archiepiscopo inscio & inconsulto, Episcopatui Slesuicensi præfecerat. Res autem ita se habet. Cum Romæ Cardinales de eligendo Pontifice dissentirent, viginti duo Alexandrum, reliqui Octauianum elegerunt. In hoc rerum statu & dissensione, Rex Fridericus Octauianum Pontificem sua voce approbat. Cumq; vndique ex tota Christianitate suffragia colligè-

ligerentur, & Rex Daniæ eiusq; Episcopi, de suffragijs ferendis, rogarentur, ibi Episcopi Daniæ omnes, qui ab Eskillo stabant, Alexandrum Pontificem, qui patulas aures haberet, receperunt: Rex verò & Occo soli in Octauianum Pontificem consenserunt. His motus Eskillus, Occonem, quòd proprio motu ac authoritate in ferendis sententijs ei tanquam constituto ac designato Archiepiscopo aduersatus esset, dignitate & Episcopatu Selandensi abdicat: Regem etiam eandem ob causam excommunicationis vinculo astringit. Quæ res non mediocriter subditorum animos aduersus Archiepiscopum, & eos, qui Regis partes tuerentur, inflammauit, ita vt in multorum inuidiam & odium incurreret. Hinc contentiones & certamina inter Episcopum Slesuicensem Esbernum, qui ab Archiepiscopo ordinatus erat adhuc viuo Occone, & Nicolaum Satrapam Slesuicensem Rasi filium recenter exortum, exstiterunt: quæ tandem paulatim aucta in inimicitias grauissimas & capitales exarserunt, vsque adeò, vt Satrapa Slesuicensis vim Episcopo intentaret, eiusq; bona inuaderet. Nam die quadam ira concitatus Satrapa, Slesuico excurrit, & in Esberni Episcopi fundum impetu facto, ædificium splendidissimum demolitur, & solo æquat, quod *Gottorpiam vetustam* vulgò nominant. Cuius rudera non longè à caupona, vulgò *Rugekrogum* dicta, adhuc conspiciuntur & supersunt, cuiuis obuia, in loco amœnissimo sita. Nicolaus suis in mandatis dederat, omnia bona & supellectilem, quæ *Gottorpij* reperirentur, exportandi & auehendi. Esberni præfectus, ne id fieret, obstitit, & manu quadam exigua collecta, quoad potuit, prohibuit. Ibi dum inter se colluctantur, & rebus Episcopi, ædificio diruto, rapiendis intenti sunt, Nicolaus Slesuicensium Satrapa abs familia Episcopi occiditur. Episcopus Esbernus,

veritus, ne ob cædem commissam in ipsum faba cuderetur, simulauit se Slesuicum iturum, alioq; exulatum profugit. Idq; quòd sciret sibi insidias illic parari, &, si in manus Regis incideret, de sua salute actum esset. Itaq; in Saxoniam profectus in morbum incidit, cum quo aliquamdiu colluctatus, in Daniam nunquam iterum reuersus est. His cognitis Occo, qui Episcopatu Slesuicensi remotus ac abdicatus erat, Regis & Octauiani ab altera parte pro Pontifice recepti ac approbati, authoritate & imperio fretus, vt apud quos semper gratiosus fuisset, in locum Esberni Episcopi Slesuicensis profugi & exulis sufficitur & surrogatur. Et ita Occo secundùm exortus est Episcopus Slesuicensis. Archiepiscopus autem Eskillus, post diutinas contentiones & certamina exercita Regi reconciliatur, necessitate & metu compulsus. Libet hic inserere epistolam D. Bernhardi ad Archiep. Eskillum, amoris ac beneuolentiæ plenam, & ex intimis cordis penetralibus profectam: cuius hæc inscriptio.

Ad Dominum ac venerabilem Eskilum Lundensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ in Dacia & Suetia Legatum: cuius corpus glorioſum in Claraualle requiescit iuxta matrem eiusdem Diui Bernardi.. Epistola CCCXIIII.

Amantissimo Patri & Domino Eskilo Dei gratia Lundensi Archiepiscopo: Frater Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, in vero Salutari salutem. Scripta & salutationes vestras, immò affectiones cordis vestri tam libenter suscepi: quàm specialiter & diligo vos & diligor à vobis. Inde est, quòd auditis tribulationibus vestris, eas non solùm meas feci: sed & inueni: quia non possum te dolente non dolere dulcissime Pater: nec nisi molestus & anxius tuas molestias & anxietates audire. Tangit & angit cor meum quicquid tuum exasperat: & quicquid illud sit quod te persequitur, non solùm te persequitur: sed me tecum. Quicquid enim gratiæ & dilectionis impendere sibi possunt absentes amici, puto & me de-

bere

bere tibi:& mihi deberi à te. Audax sum, sed non mendax: & in hanc audaciam me compulit tuæ sublimitatis dignatio. Quando enim id præsumerem ego: quando tantam tantillus:& à tanto gratiam sperare auderem? Et si ego retribuere non potero: non est mortuus retributor meus: quia Dominus retribuet pro me. Dominus inquam: in quo & pro quo tanta nos deuotione complecteris: tanta stringis affectione. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggessit. Benedictus Deus noster qui persuasit. Glorior priuilegio amoris tui. Refectus sum per carissimum Fratrem nostrum Filium tuum Guilelmum de abundantia suauitatis pectoris tui. Refectus sum per nuncium tuum: refectus sum per litteras tuas: refectus sum per omnes qui à te vsque ad nos vel per nos euadere possunt. Vtinam mihi datum esset, desuper hæc dicere non dictare: vt me potius loquens quàm scribens aperire valerem. Pro certo acceptior esset sermo viuus quàm scriptus: efficacior lingua quàm littera. Oculi quippe loquentis, fidem facerent dictis: & melius affectum vultus exprimeret, quàm digitus. Sed quia illud absens per me non possum: per litteras quæ secundum in huiusmodi locum obtinent, satisfacio quantum possum. Nuncium tuum cum magna exultatione vidimus: & negotium tuum, quantumcunq; potuimus, muniuimus ad Dominum Papam. De Secreto autem verbo illo, quod tam ardenter ascendit in cor tuum, respondebit tibi ex parte nostra Guillelmus tuus: tuus inquam & specialiter tuus in visceribus Iesu Christi. Posui enim verba mea in ore eius, & ipsum audies tanquam me in negotio isto. Heu auellor: abripior: non licet vltra. Auocat dies malitia: reuocat turba superuenientium: & epistolam potius rumpunt quàm finiunt. Sed nunquid, quia faciunt vt paucis scribam, facere poterunt vt parum diligam? Actum excludunt à me: non affectum: ille semper tecum est: qui sui iuris est: & tecum erit quamdiu fuerit: omni mihi amicitiæ iure colende pie ac reuerendissime Pater.

Hic quoq; non inutile, pioq; ac beneuolo Lectori mi-

ri minimè ingratum fore existimo, historiam de sancto Ketillo Confessore ac Martyre, qui hoc fermè tempore claruit ac obijt, ex Breuiario nostro Slesuicensi huc referre & Lectori ob oculos ponere, vbi consueto more hæc præmittitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, quiq; hunc diem B. Ketilli Confessoris tui solennitate consecrasti: da Ecclesiæ tuæ de tanta festiuitate lætari, vt apud misericordiam tuam exemplis eius protegatur & precibus. Per Dominum &c.

Sequitur vitæ mortisq; S. Ketilli descriptio. *Beatus Vir Domini Ketillus, ex illustri prosapia ortus, cum adhuc esset in ætate tenera, cœpit Deo deuotus existere, veraq; innocentia, & simplicitate sancta, Deo hominibusq; placere. Parentes autem eius in confinio Randiusiensis oppidi habitantes in villa VVynghe, cum essent diuites, instinctu matris, quæ Deum plus timuit & dilexit, congruum duxerunt, filium studijs literarum tradere, ac gemina instructum scientia, in ministerio Domini mancipare. Traditus autem huiuscemodi studijs, non solum in liberalibus disciplinis profecit, verum etiam iuxta Psalmistæ vocem, de virtute in virtutem proceßit. Erat enim Humilitate præditus, Castitate præclarus, Largitate conspicuus, blandus Alloquio, firmus Consilio, Misericordia insignis, & Charitate ineffabilis. Qui & amicos in Deo, & inimicos dilexit propter Deum. In his virtutibus placens Deo, factus est dilectus, & viuens adhuc inter peccatores, transferri ad meliorẽ vitam desiderauit, ne forte malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animã illius. Illud enim Dominicum diligebat attentius mandatũ. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quocirca non tantum sua, sed seipsum disposuit pro Domino relinquere, nuduq; crucem post Christum baiulare. Crebrescente igitur glorioſa eius fama sanctitatis, quæ vniuerso populo iam innotuit, ad aures venerabilis Episcopi VVybergen: Eskilli peruenit, cuius sanctis exhortationibus*

tionibus dilectus Deo amicus, quod prius mente conceperat, ad effectum citius perducere disponebat: placita enim erat Deo anima illius, propterea properabat de medio iniquitatum illum educere, atque inter Religiosos & sanctos viros collocare. Vnde factum est, vt idem venerabilis Pontifex, Spiritu S. mediante, illum sibi alliceret, & in Ecclesia maiori fratribus sociaret: qui ibidem sub Regula B. Augustini summa charitate congregati erant; & Regi Regum Domino deuoti ministrabant. Vbi primum magister puerorum constitutus, pueros commendabiliter instruxit, & preciosa volumina conscripsit. Attendens enim Apostolum dicentem; Qui non laborat non manducat, ociosus nequaquam panem comedere voluit, sed miranda præditus Gratia, duo simul opera quotidie impleuit, pueros docuit, & à scribendo interim manum non retraxit. In his ergo, atque cæteris bonis operibus, sedulus Dei seruus ac deuotus, postquam ministerij Sacerdotalis iugum, Spiritu sancto donante, suscepit, non solum donis spiritualibus multiformiter repleri meruit, sed mirandæ sanctitatis gratia vndique refulsit. Episcopus vero Eskillus eum, Spiritu sancto cooperante, in Sacerdotem consecrauit. Euolutis autem aliquibus annis, dum in Ecclesia B. Margaretæ horas Canonicas psalleret, in eum irruentibus Christi inimicis, per Martyrium occubuit. Hæc ibi. (Anno 1164. XIV. Kal. Martij orta est tempestas maxima, & maris abundantia, & inuoluit aqua omnes fines Fresiæ, Hadeleriæ, & omnem terram palustrem Albiæ & VVirræ, & submersa sunt multa millia hominum & iumentorum. Submersus est etiam Richbertus Aduocatus. Stadensis fol. 192.)

***

CAPVT XXVII.

Vandalus vt discat diuini oracula verbi
Impius, en Præsul mox Fridericus adest.
Post ponto infelix submergitur ille profundo,
Percharus Regi flaminibusq́; pijs.

A. C. 1163.

ANNO 1167. Occoni mortuo successit Fridericus Episcopus Slesuicensis, qui & ab Eskillo Lundensi legitimè ordinatus ac consecratus fuit. Vir eruditus, magni animi & consilij, rerum gerendarum peritissimus, vt qui non tantum in literis versatus, sed & in re militari benè egregieq́; exercitatus esset. Hoc tempore Waldemarus eius nominis primus, bellum aduersus Wandalos mouit, eosq́; terra persequi cœpit, ope & præsidio Henrici Leonis, qui illi subsidio misit Casimirum & Bugislaum Pomeraniæ Principes, & Pribislaum Obotritorum Principem. Rex in eo bello fortunam secundam expertus est, quòd Principes fœderati eius dicto audientes sese præberent, &, quæcunque imperasset, sedulo diligenterq́; exequerentur. Quamuis autem Rex recenti adhuc memoria teneret, Wandalos & Slauos malè de suis subditis meritos esse, vt quos sæpè bello adorti funditus deleuissent atque prostrassent, eoq́; nomine iustissimam illos bello persequendi sibiq́; subiugandi causam & occasionem haberet: attamen iniuriarum, & damnorum quæ intulissent, memoriam obliuione delere, eaq́; benignè illis condonare maluit, quàm armis vindicare, hostemq́; vlciscì contendit, quòd ad altiora, hoc est, ad religionem Chri-

Christianam propagandam animum adijceret. Atq; in eam curã & cogitationem, dum toto animo ac viribus incumbit, ad Idolorum cultum, qui adhuc in illis locis vigebat, exstinguendum & exstirpandum sese totum conuertit. Primùm Arconam vrbem, Rugianorum Metropolim, obsidere statuit, quòd ibi fanum esset celeberrimum, Ethnicisq; ac Paganis sacratissimum, Christianis autem propter Idololatriam execrabile. Fanum erat vndique lapide quadrato expolitum, & artificio insigni, & varietate operis exstructum. In eo Idolum stabat, humani corporis formam & imaginem referens, quatuor capitibus expressum & fabrefactum, quorum duo à tergo, duo verò à facie, vultibus in dextram & læuam reflexis. Dextra manu idolum cornu gestabat, ex metallo varij generis conflatum, quod vino Sacerdos illius templi implere solebat, & inde anni sequentis vbertatem præsagire & prædicere. Læua arcum tenebat ad latus reflexum, barba tonsa. Sed & iuxta frenum, sella, ocreæ, ac gladius eximiæ magnitudinis, cuius vagina auro obducta erat, appensa cernebantur. Huic Idolo, quod Iano quodammodo comparaueris, collectis fructibus & messe finitâ, quotannis ante fanum solenne epulum, mactatis pecudum victimis, à totius Insulæ plebe, & vulgo promiscuo dabatur, quò certiores de euentu anni sequentis redderentur. Sacerdos barbatus vaticinaturus, cornu apprehensum introspicit, vtrum ex eo liquore aliquid exsiccatum & imminutum sit. Si nihil detractum viderit, vbertatem omnium rerum & annum fortunatum prædicit; sin liquorem decreuisse animaduerterit, annonæ caritatem præsagit, & segetem fructusq; collectos in annum sequentem asseruari iubet. Vinum autem vetus ebibens ad pedes Idoli effundit, & iterum replet, & paulò post, quasi officio propinandi statuam venere-

tur, vinum exhaurit. Placentam etiam pinsere solet Sacerdos mulso admixto, eâ magnitudine, vt ferè hominis staturam adæquet, eamq; Idolo sacrificat. Iuuentus autem eo tempore libaminibus adeò luxuriabat, ebrietatiq; & intemperantiæ ita penitus sese dabat, vt sobrietatem omninò detestaretur, quasi sobriè colere Idolum nefas esset. Quin & capitatio, hoc est, tributum in singula capita instituta erat, & quilibet nummum vnum quotannis pendebat in cultum simulachri. Sed & prædones tertiam partem ex prædâ illi offerebant, quasi eius beneficio prædam acquisiuissent & consequuti essent. Imò rumor est, trecentos equites militasse equis Idolo, & quidquid vel terrâ vel mari prædati essent, id Sacerdoti custodiendum dabatur, vnde templi ornamenta conflabantur. Sed nec exteris licuit vendere, emere, aut mercimonia facere, antequam fano pecuniæ certam summam soluissent. Imò humanis hostijs, quod horrendum & execrabile est, & inprimis Christianorum, Idolo litatum esse ferunt, quod id ab Idolo petitum adfirmarent. Interrogati Idololatræ, vnde cultus ille abominandus originem duxisset, responderunt, à Carolo Magno sibi imperatum esse, vt S. Vitum colerent, Sed illi à Diabolo excæcati, Creatoris obliti, creaturam *Santevitum* nomine adorarunt. Cæsar quidem in honorem sancti Viti templum ædificauerat, & vt inde annuum censum Cœnobio Corbeiensi penderent, mandarat. Sed illi religione neglectâ, & Cæsaris Imperio spreto, peculiarem sibi Deum constituerunt, idq; quòd dicerent, se Deo externo parere nolle. Atq; eum tali fuisse habitu & formâ, memoriæ proditum est. Hanc religionis profanationem, & superstitionem exstirpare cupiens Rex, ciuitatem Arconam graniter oppugnauit, &, vt sese dederent, propositis conditionibus, imperauit. Quarum summa erat, vt Chri-

stianos

stianos captiuos laxarent, Religionem Christianam amplecterentur, eamq; secundum ritum Ecclesiarum Danicarum colerent: stipendia & tributa sacrorum veris Dei ministris penderent: &, vt quoties à Rege vocarentur ad ferendum auxilium, sese sisterent. Quibus peractis, postridie Absolon Archiepiscopus Lundensis, (*is est, cuius impulsu Historiam Saxo Grammaticus contexuit,*) vnà cum Friderico Slesuicensi Episcopo, qui & obsidioni interfuit, & Bennone Megapolensi, & Proceres simulachrum euertere & prosternere iussi, vrbem ingrediuntur. Horum satellites & ministri Idolum magnâ curâ & circumspectione è terrâ effodiunt & eruunt, ne, si forte fortuna id laberetur, & aliquem attritu opprimeret, aut quassaret, id ab hominibus superstitiosis violati numinis pœnæ imputaretur. Cumq; simulachrum magno fragore ciuibus circumstantibus in terram concidisset, humiq; prostratus iaceret Deus manu factus, à Regijs mandatum est, vt sune ad collum alligato è templo extraberetur, & per medium Slauorum exercitum traduceretur, vt hac re moniti & edocti cognoscerent, se Deum coluisse, qui sibi ipsi opem atque auxilium ferre non posset. Ita simulachrum, vt imperatum erat, protractum, paulò post in frusta concisum, & in ignem coniectum, fanum quoque solo æquatum, nec non & ærarium locupletissimum direptum & expilatum fuit. Sed & continuò templa duodecim in terrâ Rugianorum ex lignis, quæ Rex ad vsum machinarum bellicarum aduexerat, ædificari cepta sunt. In quibus Absalon, & Episcopus Slesuicensis Euangelium publicare & annunciare cœperunt, qui & per Dei gratiam docendo sacraq; administrando in vrbe multum profecerunt, ita vt multi ad fidem Christianam conuersi, lauacro sacro abluerentur. Rex quoque in templis ædificandis, stipendijsq; ac

pro-

uentibus, vnde Sacerdotes sese alerent ac sustentarent, constituendis ac ordinandis, sumptus fecit quam maximos; eoque rem perduxit, vt Rugiani Christi religionem amplecterentur. Sub id tempus Rex Legatos Romam misit, qui Pontificem de obitu Patrui Canuti Ducis Slesuicensis, certiorem redderent, simulq; testificarentur de eximijs ac stupendis miraculis, quæ ab illo edita, omniumq; sermone iam peruulgata essent. His cognitis Pontifex seriò mandauit, vt Proceres Regni congregati, solenni processionis & precationis officio, Canuti corpus de sepulchro sublatum & consecratum aræ imponant. Quod & factum est Rege iubente, qui tantâ humanitate & beneuolentia Sacerdotes ministrosq; Dei, & totum cleri ordinem complectebatur, vt maiori non posset. Sed & liberalitas eius, quâ aduersus Ecclesiam Slesuicensem vsus est, maximè prædicanda est. Nam testamento facto, dimidiã fabricæ monetariæ partẽ Ciuitatis Slesuicensis Episcopo legauit, & vt post mortem suam ei traderetur, seriò mandauit. Semissem item patrimonij sui, ac peculium reliquum, secundum leges patriæ eidem Episcopo dedit & legauit, additâ comminatione, vt qui his contrauenire ausi fuerint, pœnæ sempiternæ cruciandi addicantur. Interim tamen successoribus suis potestatem concedit, si has donationes & legata solutione æris & pecuniæ redimere velint, vt id illis liceat. Addit, se eam ob causam hæc legasse & dedisse, vt Sacerdotes Slesuici & in Daniâ, se, & coniugem suam, eorumq; hæredes, precibus ardentibus Deo commendent, & pro eorum salute ac incolumitate assiduè ac indesinenter orent. Postquam autem Henrico Leoni renunciatum esset, Regem in bello cum Rugianis gesto superasse, & tributa illis imperasse, obsidibus in eam rem acceptis, Legatos ad Regem mittit, & vt auri, mulctæ nomine à

Rugia-

Rugianis soluendi, partem dimidiam mittat, & obsides diuidat, petit. Quod cum Rex se facturum negaret, bellum aduersus illum mouet. Casimirus autem & Bugislaus, quòd spe, quam de Rugiâ suæ Ditioni adijciendâ conceperant, frustrati essent, à Rege deficiunt, & fidem violant. Quin & munitiones, quibus Slauis aditus in Daniam excurrendi & prædandi intercluſus erat, demoliuntur, & ædibus sacris subuersis, Christianisque obtruncatis, Ditionem Religione exsoluunt, & in Daniam bellum parant. Regem imparatum & inermem aggrediuntur. Qui impetum & irruptionem de improuiso factam, vt potuit, sustinuit, & aspero ac turbulento isto rerum statu, temporisq; anguſtijs, vt potuit, exercitum quendam naualem collegit. Copijs autem terrestribus, quas habebat, filium nothum, Ducem vel Præfectum Slesuicensem præficit, & in Wagriam, quæ tunc Holsatis parebat, Aldenburgum mittit. Hic Cirnpanos obuios fudit, fugauitque, & mille loricatis, agros in locis maritimis sitos, deuastat. Interim tamen templis & locis Deo sacratis parcit, vsqueadeò, vt nec bona & facultates in ædes sacras ab hostibus comportatas militibus diripiendi & expilandi facultatem concederet, ne prædandi libidine, sacrilegio sese obstringeret, & occasionem calumniandi maleuolis præberet. Quare magnam laudem adeptus est, quam Sacerdos Bruno præconio extulit, & vndique peruulgauit, inprimis autem, quòd sacrilegas à fanis manus abstinuisset. Rex, qui irruptionem, & iniurias à Slauis acceptas probè vltus esset, eorum agris & finibus vastatis, domum vnà cum milite, præda omnis generis onusto, redit. Slaui, qui prædam paulò ante partam, & propria bona amisissent, vindictæ & bellandi cupidi, anno sequenti de improuiso rursus in Ducatum Slesuicensem, & in Daniam irrrumpunt, eamq; vbique vastan-

vastantes ac depopulantes, vsqueadeò, vt non minorem, imò æqualem prædam reportasse existimentur. Nam Regem circa belli apparatum occupatum, inopinantem, & nihil tale metuentem aggressi, omnia diripuerunt. Rex autem paulò post classe eximia instructâ, tantisque militum copijs munitus ac stipatus iterum appulit, vt cum eo prælium committere, manumque conserere Slaui omnino vererentur. Quâ de causa, Henrici Leonis milites aliud consilium, longeque tutius, ac salubrius, vt ipsi existimabant, ineunt, nimirum, cum Christophorus Holsatiam populatus esset, prædamque illic egisset, & Rex classe suâ mare teneret, vt Slesuicensis Præfecturæ ditionem & agros inuaderent, eosque vastarent. Sed cum portas vrbis Slesuicensis & Hexamilij clausas, & defensoribus præsidioque munitas accepissent, consilium mutârunt. Quamuis enim Rex peregrè ageret, tamen ad portarum custodiam sexagies mille Danos collocauerat. Quare Dani & Holsati, conditionibus vtrimque propositis, de pace tractare ceperunt. Slaui interea vndique magna clade affecti, conciſi ac prostrati fuerunt. Iulinum captum & direptum, maribus penè omnibus primo impetu occisis. Reliqui supplices facti, pacem petunt, &, Regem honorantes, fidem ac obedientiam in posterum se illi præstituros esse, sanctè iurant ac promittunt. Cum in Daniâ omnia iam pacata, ac in tranquillum collocata essent, Pomerani nauem quandam mercibus & armis onustam, & à Socero Regi Daniæ missam spoliant ac diripiunt. Quam cum Rex per internuncios repeteret, Pomerani sannis & ludibrio Danos exceptos, domum remiserunt: quod vndique mare pyratis abundaret, nimiaq; licentia ac impunitate abuterentur ac deteriores fierent. Rex câ iniuriâ & damno commotus, de ijs vlciscendis consultare ac deliberare cœpit.

Nequa-

Nequaquam enim mussitandas has contumelias, impuneq; illas abire statuebat, toties lacessitus. Neque pro tanto delicto satis pœnæ existimabat, quòd vrbes direptæ, & pecora tanto numero abacta essent, vt bubulcos mercede conducere oporteret. Imò grauius supplicium de illis sumendum putabat. Igitur Iutis Septentrionalibus subsistere iussis, Episcopo Slesuicensi Friderico, qui aliquoties prælio nauali interfuerat, prouincia & potestas Slauiam vnà cum Iutis australibus oppugnandi & inuadendi committitur. Eum statim Regis filius subsequutus est. Quam expeditionem Episcopus Slesuicensis Fridericus, vir excelsi animi, & omni laude dignus suscepit. Classe in altum prouectus, cum flatum lenioris auræ peteret, & ventus vehementior spirans velum latum complexus esset, in mare tempestate coortâ classis abripitur, ita vt nautæ nauium concursum vix vitare possent. Tandem gubernaculo deficiente, nauem turbo euertit, Episcopo vnà cum alijs omnibus submerso. Cuius fatum & mors reliquis eò fuit calamitosior, quòd sociorum cadauera statim reperta fuerint; Episcopi autem corpus, quamuis maiori cura ac diligentia præ cæteris quæsitum, ante diem Pentecostes inueniri tamen non potuerit. Quo die corpus ad litus Selandiæ appulsum, & vndarum fluctibus eiectum, illæsum minimeq; putidum repertum fuit. Quod viri huius sanctitati & integritati adscribendum, vetustas pia ac sancta existimauit. (*Saxo fol.* 187. *lib.* 14i) Quæ & hoc veneratione ac admiratione dignum censuit, quòd Episcopi corpus tanto tempore ab amicis quæsitum, nec inuentum, die solenni, qui Spiritui sancto dicatus est, voluerit Deus inclarescere. Quâ de causa, & memoriam corporis inuenti peculiari & honesto cultu honorare posteritas consueuit. Quin & Absalon Archiepiscopus mortem hanc improuisam & interi-

tum

tum Friderici maximè deplorauit, longissimoque tempore anxiè ac vehementer luxit, vsqueadeò, vt tanti viri neque obliuisci, neque sine suspirio & gemitu meminisse posset. Extremum quoque, quod potuit, illi officium ac honorem præstitit ac exhibuit in eo, quod honorificè in templo Cœnobij Sorensis eum humandũ curauerit, in ea templi parte, quæ ad Austrum vergit, superiori ad chorum. Sepulchrum eius, in exiguo lapide lateritio, Epitaphio inscripto, notatum est, eiusque insignia, in columnâ quâdam depicta, cernuntur ac perspiciuntur. Rex verò, qui id, quod semel ceperat, ad exitum perducere cupiebat, Absoloni Archiepiscopo, & Canuto summam belli, & expeditionis committit. Qui classe prædatoriâ soluentes, magnâ celeritate in Pomeraniam nauigant, copijsque in terram expositis, Slauos inopinantes nihilque tale metuentes adorti opprimunt, & agrum maritimum vastant. Quibus cum resistere non possent Casimirus & Bugislaus, quòd viribus impares, potentiaque longe inferiores essent, de pace agere ceperunt. Quæ his tandem conditionibus coijt, vt Absoloni Duci, primario capiti, centum libras nummûm, necnon duo millia talentorum Canuto, numerarent ac persoluerent, & vt captiuos, quos haberent, liberos dimitterent, quòd hæc summa, damnum Regi rapinis datum, æquare ac compensare videretur. Quâ pecuniâ numeratâ, obsidibusque, quos imperauerant, datis, pax tandem facta ac confirmata est. (*Diluuium & exundationem maximam, quæ in hæc tempora incidit, late prosequitur* Helmoldus lib. 2. cap. 2. *Dilapsis piratis, Dux Henricus Leo pacem iniit cum VValdemaro Rege Danorum, & pro commodis vtriusq; terræ celebrauerunt colloquia ad Egdoram siue Lubeke, Rex Duci numerauit pecuniam, eò quòd per ipsum Ducem ipsius territorij limites à vastatione Slauorum fuissent liberati. Atque ab eo*

tempore

tempore ceperunt inhabitari omnes Insulæ maris, quæ ad Regem pertinebant Danorum, eò quòd Pyratæ defeciſſent. Plura Helmoldus lib.2.c.6,

(*Anno Domini* 1162. *Cæſar ad colloquium inuitauit omnes Reges totius Chriſtianitatis, & inter alios etiam Regem VValdemarum Laonam, quæ in Burgundia ſita eſt. Eo venit VValdemarus cum Epiſcopis Daniæ.* Helmold. cap. 91. *Anno Domini* 1163. *Imperator Comitia celebrauit Bizantiæ. Quo venit Rex Daniæ VValdemarus. In cuius comitatu Dux Borius erat. Quem ipſe poſtea ſubmerſit, quia Regnum affectauit. Ibi VValdemarus duo regna Daniæ & Suetiæ ab Imperatore ſuſcepit. Venit Archiepiſcopus Bremenſis conquerens ibidem, quòd tria regna Daciæ, Sueciæ, Norvvegiæ, ſe de ſua ſede abſtraxerint violenter, cum Iure deberent ſuam Synodum obſeruare.* Annal. fol. 191. *Cæſar Fredericus vocauit Regem Danorum VValdemarum ad colloquium, & cum eo iniit amicitiam. Et rogauit Rex Ducem Henricum Leonem, vt faceret ſibi pacem de Slauis, qui ſine intermiſſione vaſtabant Regnum eius, & pactus eſt ei amplius quàm mille marcas argenti.* Vide ibi plura notatu digniſſima. c.87. Helmold. *Henricus Leo deletis Slauis in eorum locum tandem Saxones, & alios Germanos collocat.* Helmold. c.88. & ſequent. *Anno* 1168 *VValdemarus Rugiam occupauit, & Idolum Zuanteuith demolitus eſt.* Helmold. c.12. lib.2. *Anno* 1168. *Danis Slaui, iuſſu Henrici Leonis bellum intulerunt, ac magna damna.* Helmold. c.13. lib.2. *at poſtea reconciliati Rex Danorum VValdemarus & Henricus Leo.* cap. 14. & vltimo Helmold. *Anno* 1171. *Dux Canutus in Diuorum catalogum eſt relatus. Anno* 1172. *Henricus Dux filiam ſuam Daniæ Regi deſpondit, qui hæredem ex ea non ſuſcepit.* Annal. fol. 194.

(***)

CAPVT XXVIII.

Præsulis officio Volmarus, patre necato,
Regnum præponens tristia vincla subit.
Dehinc exul patriâ Bremam reuocatur, vt aris
Præsit, at infelix insula talis erat.

A. C. 1182.

ANNO 1182. Waldemarus Episcopus Slesuicensis electus, & Slesuicum missus fuit, Absalone Archiepiscopo Lundensi præsidente, regio sanguine prognatus. Erat enim Canuti Magni filius, quem Sueno in conuiuio Roskildiæ interemerat, vnde & eum Rex Cauutus VI. consobrinum nominat, vt postea ostendemus. Ad hoc tempus, Henricus Leo in inuidiam & odium Cæsaris Friderici Barbarossæ adductus, quòd bellum Italiæ quotidie recusaret, Ducatu & ditione exuitur. Imperator vbi accepisset, eum Stadium profugisse, veritus, ne Regem Daniæ de ope ac auxilio ferendo sollicitaret, bellumq; iterum aduersus se suscitaret, Waldemarum Regem ad se accersit, quòd cum eo affinitatem se inire decreuisse affirmaret, vt hac ratione Henricum à Regis amicitia penitùs auerteret. Idq; Henrici amici non obscurè profitebantur: qui, Imperatorem magis odio Henrici, quàm matrimonij contrahendi causa, hanc fabricam ac tèchnam commentum esse, sibi persuadebant. Interim tamen Rex Waldemarus Imperatoris petitioni obsequutus, classe magis ad luxum, ac splendorem, quam ad bellum instructâ, Lubecam nauigat. Quò cum venisset, ab Equitibus Germanis ei aduentum gratulantibus,

magno

magno cum plausu excipitur. Postridie Imperator oſculo atque amplexu humaniſſimo Regem veneratus eſt. Ibi de affinitate & nuptijs agi ceptum eſt. Imperator filio ſuo, maiori natu in vxorem petit Regis filiam, ſed cum dote triginta millium talentorum; minori autem natu octo millia talentorum, ſiquidem ipſi filiam deſpondere Rex vellet. Sed cum Regis filiæ adhuc impuberes, & nondum viris maturæ eſſent, dosq; tanta poſtularetur, res ſuſpicione non caruit. Interim tamen Rex ſummam minorem ſe daturum filiæ in dotem pollicetur. Ibi tum ſponſalia inita, & Iuriſiurandi religione firmata fuerunt. Paulò poſt Thuringæ Dux Sigefridus, Cæſare volente & conſentiente, vnam è filiabus Waldemari vxorem ducit. Nuptiæ magnâ pompâ & ſolennitate Sleſuici, quò Rex nauibus delatus Sponſam adduxit, celebratæ ſunt.

CANVTVS VI. *Rex Daniæ* 81. *Anno* 1170. *Patris Conſors & ſucceſſor. Capitulo Sleſuicenſi Priuilegia attribuit. Pomeranorum impetus fortiter ſuſtinuit. Obijt anno* 1202. *Cum quo deſinit Hiſtoria Saxonis Grammatici. Ringſtedij ſepultus, Filiæ Ida & Helleborrig.*

Anno 1184. Waldemaro defuncto Canutus Filius ſucceſſit, qui & multis ante annis regno inauguratus fuerat, nihilq; minus quàm popularium ſuorum motum & rebellionem metuebat. Interim tamen in Iutiâ, præter ſpem ac opinionem, ingentes turbæ motæ atque agitatæ fuerunt, animis ſubditorum aduerſus Regem concitatis ac inflammatis. His accedebat, quòd nuncijs quotidie & rumoribus Rex certior fiebat, Scanienſes libertatem expetere. Quo comperto, Abſalon ingraueſcentes indies turbas, furoremque populi ſedare, atque in tranquillum conferre, ſummopere ſatagebat ac ſtudebat, ſed nihil quicquam apud eos effecit, etiamſi oratione diſertâ, quâ plurimùm

mùm pollebat, eorum animos sedare ac placare vehementer contenderet ac laboraret, quòd odium semel conceptum tam firmiter mentibus illorum inhæreret, vt eius memoriam non facile ex animo deponere possent. Cuius hæc imprimis erat causa, quòd Rex paulò ante propter rebellionem & insolentiam, quâ armati animos extulerant, eos ad pontem Dysium fudisset, & cecidisset. Nam sub prætextu libertatis vindicandæ arma contra Regem sumpserant. Ingenti itaque hac clade adducti ac permoti, Procerum & Nobilium ædes hostiliter inuadere & diripere ceperunt, Dominis vix elabendi copiâ datâ, ac concessa. Sed & Rege Canuto spreto ac repudiato, è Suetiâ quendam, Haraldum nomine, euocant, Regemq; salutant, quò libertate & immunitate frui, & ad illum, quoties res postularet, confugere possent. Ad hos motus comprimendos, Absalon classe regiâ instructus soluit, & in Scaniam nauigat. Quæ res haud inauspicatò ac infeliciter ipsi vertit. Nam simul ac saluis ac incolumis eò venit, tumultus omnes sedauit, motusque composuit, factiosos ac rebelles coercuit, quamuis magno cum labore ac difficultate. Ad quam rem magno ei adiumento fuit, quòd Lundenses neutrarum essent partium. Nam absque eo tantam rem efficere, atque ad exitum perducere non potuisset. Haraldum è Suetiâ euocatum Regemque designatum, omnium consentientibus animis & suffragijs, iterum eijciendum & condemnandum curauit. Quo confecto Rex, Iutiâ relictâ, copias terrestres in Fioniam traiecit, & paulò post, vbi de Iutiâ pacatâ nuncium accepisset, diuisit. In Scaniam profectus, ædificia diruta & prostrata restitui & refici iubet, eosque, qui ea demoliti essent, argento mulctat. In quos, & inprimis in seditionis huius authores, durius, & quidem capitis pœnâ, animaduersurus erat, nisi eum

Absa-

Absalonis intercedentis preces ad misericordiam commouissent. Non ita multò post, Canutus Rex ab Imperatore in aulam ad colloquium euocatus, venire renuebat. Postquam verò Imperator acrius instaret, Legatisque missis rursus eum inuitaret, respondit, se Regni, quod recens iterum obtinuisset, negotijs disponendis ac conficiendis occupatum ac districtum teneri, quo minus venire ac comparere posset, Cæsaris enim mentem ac consilia satis cognita ac explorata habebat. Quâ oratione Cæsar commotus, grauiter illi interminatus est, se, nisi veniret, Regnum illi adempturum, alijque concessurum esse. Canutus ad hæc: Cęsarem posse Regnum alicui dare, ita tamen, vt prius sibi regnum paret, ac acquirat, quàm, quod non possidet, tradat. Cæsar, qui literis hactenus nihil effecisset, aliâ viâ aggrediendum existimauit, quò Regem ad se perduceret. Quare Sigefridum, qui Canuti Sororem in matrimonio habebat, ablegauit, qui Canuto persuaderet, vt ad Imperatorem iter susciperet, sperans, affinitatis habitâ ratione, id eum facturum: vbi intellexisset se eâ de causâ solummodo missum, ne quid Rex detrimenti caperet, si fortassis Cæsari refragatus esset, cuius vires & potentiam Regni consiliarijs exponere iussus erat Sigefridus. Idq; Sigefridus, vbi in Daniam venisset, summâ fide & diligentiâ exequutus est. Sed tantum abest, vt hic quidquam profecerit, vt Rex animosè responderit, Regem Daniæ sui Regni non minus esse Dominum, quàm Imperatorem Imperij Romani, idemq; ius habere, neque superiorem agnoscere: Regnum etiam Daniæ non tam facilè à Cæsare occupari posse, vt Thuringiam, idq; Cæsari persuasum esse debere. Addebat Canutus, se memoria tenere, quo pacto cum suo patre, qui iussu Imperatoris ad eum venisset, actum esset, vt nolens volens eius Imperio sese sub-

mittere coactus fuerit. Se neminem superiorem agnoscere, neque vllum obsequium aut seruitium Imperatori deferre statuisse. His cognitis Cæsar grauiter commotus ac incensus, Regem summo odio postea prosequutus est. Cumque Regem vlciscendi & persequendi ei facultas non daretur, Bugislaum Pomeraniæ Principem, muneribus & amplissimis promissionibus ad bellum Regi inferendum, sollicitat. Bugislaus Cæsaris persuasionibus inductus exercitum colligit, illud in speciem intendens, quod Iarimarum Rugianum, vicinum suum, Regis Daniæ amicum & fœderatum, inuadere vellet. Quâ re intellecta, Rex Legatos misit, qui Controuersias componerent, Iarimaro in eo gratificatus. Causa tractari cepta, & vltrò citroq; discussa est. Sed componi non potuit. Legati re infectâ domum redierunt. Bugislaus qui fidem dederat Cæsari de Dano inuadendo, classem nauium quinquaginta instruit, & Cæsari per literas nunciat, se breui effecturum, vt Daniæ Rex obedientiam Imperio Romano præstet, & imperata faciat. Idque non grauatè, vbi audierit hanc expeditionem contra se susceptam. Cæsar Ducis inceptum collaudat, eumq; muneribus prosequitur. Ea res cum per indicium Regi Daniæ enunciata esset, sui defendendi causâ naues adornat, quibus Absolonem Archiepiscopum præficit. Absolon Bugislaum eiusq; classem nihil tale metuentem, & fastidiosè nauigantem adortus, fudit & cecîdit, vt eius cladis, quoad viueret, meminerit. Quin & Ciuitates eius munitæ eo tempore expugnatæ & occupatæ fuerunt, hostibus cæsis ac superatis. Circa hæc tempora, anno nimirum à nato Christo 1186. Absolon, qui in Daniâ ob Decimarum solutionem graues exantlarat labores, Waldemaro Episcopo Slesuicensi potestatem fecit, decimas in Diœcesi Slesuicensi flagitandi & exigendi, idque diplomate & lite-

literis datis. Quò autem facilius, animo quod constitutum habebat, assequeretur, incolasque Diœcesis ad soluendas decimas impelleret, Episcopo negotium dat, peruulgandi & persuadendi populo, conueniisse in Daniâ, vt decimæ soluantur in Diœcesi Slesuicensi, eaque in tres partes diuidantur & distribuantur. Quarum vna Episcopo, altera Sacerdotibus Dei ministris, tertia sacrarum ædium ædificationi cedat. Sed & sub pœnâ excommunicationis Decimas post trinam admonitionem soluendas; sponte autem soluentibus pacem Christi bonâ conscientiâ annunciandam. In *Vtlandiâ*, *Tonningâ*, *Gardingâ*, & *Holmo*, alijsque locis maritimis occidentalibus, decimas de frumento & pecudibus exigendas. Nam cum Sacerdotes ministri Deiq; spiritualia populo seminent, æquissimum esse, vt vicissim carnalia metant, *Augustino* teste, cuius verba sunt: Quicunque peccatorum indulgentiam desiderauerit, reddat decimas. *Item.* Qui dederit decimam, eum non solùm frugum vbertatem recepturum, sed animæ etiam salutem consequuturum. Et hac ratione Decimarum soluendarum consuetudinem, de Regis mandato & consilio, inuexit Absolon Archiepiscopus Lundensis in Diœcesin Slesuicensem. Cum antè id tempus incolæ nunquam induci aut impelli potuissent, vt Decimarum admitterent solutionem; Ne, vt aiebant ipsi, se seruituti subijcerent. Quâ in re animum Canuti erga Religionem Christianam, eiusque pios ac synceros Doctores ac Sacerdotes, clarè cernere ac perspicere licet. Quem & abunde testatum fecit priuilegio, prærogatiuâ & immunitatibus, quibus Episcopatum, eiusque subditos & colonos donauit, & honorauit, nimirum, vt omni alienæ Iurisdictioni & dominationi exempti, & ab omnibus oneribus liberi, solis Dominis eorum, aut qui eorum vice funguntur, subiecti pareant;

neque à quoquam alibi conueniri possint, quàm coram Episcopo. Exemplum autem eius Priuilegij postea ab Erico confirmati, subijcere, operæ precium existimaui, quod id, & propter vetustatem, & insignem pietatem, & propter Latinitatem puram, quam redolet, dignum sit, quod legatur. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ericus Dei gratiâ Danorum Slauorumq; Rex, Domini Regis Christophori Filius, omnibus, ad quos præsens Scriptum peruenerit, Salutem in Domino. Inspectis priuilegijs Progenitorum nostrorum Ecclesiæ Slesuicensi concessis, videlicet Dominorum Regum Canuti, & VValdemari, ea inuenimus in hæc verba. Kanutus Dei gratiâ Rex Danorum, dilecto Consobrino suo VValdemaro Slesuicensi electo, cæterisq; suis Successoribus Ecclesiæ Slesuicensis in perpetuum S. Cum totius Regni Prouisores à Cunctipotente creatore simus constituti, meritò ingrati nomen incurrissemus, si Sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus, Dominiq; ministrorum protectionibus, à quo omnia possidemus, per quem viuimus & sumus, summopere, cæterisq; negotiis non diligenter intendissemus: qui nobis sceptrum Regiæ concessit Maiestatis, virgam commisit Regni, virgam directionis: ad vindictam malefactorum: laudem verò bonorum: iusti vt eâ protegantur, ne iniustis succumbant oppressionibus: distorti, vt eâ dirigantur, ne à viâ Regiâ exorbitantes, ad dextram declinent, seu ad sinistram: obstinati vt eâ conterantur. Membra enim putrida resecanda sunt, vuaq; conspectâ liuorem ducit ab vuâ. Quod & ipse Dominus legitur fecisse, qui & angelis non pepercit peccantibus: sed rudentibus inferni detortos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari. Verùm iacula, quæ præuidentur minus feriunt, & scintilla cum aucta, aut omninò non sit accensa, minori de labore suffocatur, quàm ignis, vbi incendium conualescit, exstinguitur. Hinc est, quòd diuinâ inspiratione admoniti, Prædecessorum tuorum immensas attendentes tribulationes angustiasq;, te cum omnibus tuis successoribus, vestrisq; omnibus & rebus,*

sub

sub Regiæ Maiestatis protectione dignum duximus confouere. Quippe ne occasionem damni præstare videamur, postulationibus tuis clementer annuere disponentes statuimus, atque Priuilegij munimine roboramus, videlicet omnes tuos villicos & colonos, tuorumq; Successorum. quos in præsentiarum habes, siue in futurum tu, vel tui Successores iustè & Canonicè habueritis, in remissionem peccatorum liberos fore ab omni grauamine: vobisq; concedimus super illos, eorum omnium executiones Regio iuri debitas, vt nulli alienæ dominationi, quàm tuæ tuorumq; subiecti sint potestati. Si quis ergo præsentis Priuilegij paginam sciens temerario ausu ei contrauenire tentauerit, nec tibi tuisq; Successoribus congruè satisfecerit, sciat se vtiq; criminum Maiestatis reum Regali authoritate districtissimè puniendum. Datum Gimmerstorf. XII. *Calend. Decembris, Anno ab Incarnatione Domini* M.C.L.XXXII. *Conuenientes in Epacte* IX.

Ego Canutus Rex subscribo.
Ego VValdemarus electus subscribo.
Ego Absolon Lundensis Archiepiscopus
Apostolicæ sedis Legatus subscribo. &c.

Atque hic animaduersione dignum est, quòd Episcopus Slesuicensis literas illas subscripserit, & Absolon Episcopus Lundensis ille, qui Saxoni Grammatico author fuit, vt Historiam Daniæ contexeret, quemadmodum ipse in Proœmio fatetur, se eius hortatu atque impulsu eum laborem suscepisse: Absolonem autem è viuis sublatum, antequam Historiam ad exitum perduxisset. Quâ de causâ & ego adducor, vt credam, Saxonem Priuilegium illud Regis iussu composuisse. Idq; ex stylo colligi posse videtur, qui sublimior & elegantior est, quàm vt eo seculo, rudi & literarum ignaro multi reperti sint, qui id præstare potuerint. Sed & mihi verisimile est, necessitudinis & sanguinis ratione habitâ, Regem Canutum id Ius & Prærogatiuam Waldemaro Duci Slesuicensi concessisse:

sisse : qui id fortassis aliàs nunquam daturus fuisset. Nam exactiones seu mulctas, quæ hactenus Regi deberentur, benignitate adductus, per beneficium & gratiam Consobrino concessit, vt in posterum illis frueretur. Quo ipso summum Imperium in Episcopum transtulit, quo nihil maius illi tribuere potuit. De hoc autem beneficio Ecclesiæ Slesuicensi collato, Pontifex Maximus Clemens III. certior factus, Waldemaro Episcopo Slesuicensi, & Successoribus eius gratulatur, idq; suâ authoritate & Diplomate confirmat & communit: Regi etiam Apostolicam Salutem impertit, & omnia felicia ob beneficium illud in Ecclesiam collatum precatur. Exemplum literarum Pontificis hoc est. *Clemens Seruus Seruorum Dei venerabili Fratri VValdemaro, Slesuicensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus, quòd charissimus in Christo filius noster Canutus, illustris Rex Daniæ, Consanguineus tuus, tibi, nec non Successoribus tuis, huiusmodi Ius & libertatem spontanea voluntate concessit, & tam ipse, quàm venerabilis Frater noster Absolon Lundensis Archiepiscopus, Scripto proprio confirmauit, videlicet vt tam villici, quàm coloni, quos in præsentiarum habes, vel tu & Successores tui in posterum estis habituri, ab omni grauamine Regio, vel officialium suorum liberi maneant & immunes. In cognitionibus quoque & executionibus, quæ prius per officiales Regios tractari solebant, nunc nemini, quo tempore fuerint, respondeant; sed tuo proprio sint mandato subiecti, nec vllius seculari posthac sint subiecti potestati*, &c.

Hic iterum omittere non possum, quin in sempiternam Archiepiscopi *Absolonis* memoriam, huc referam, historiæq; huic inseram, quæ tam in eius, quam Wilhelmi Roschildensis Abbatis laudem ac encomium apud *Surium tom. 2. die 6. Aprilis*, literis memoriæque prodita sunt: vbi hæc verba habentur.

Anno à nato Saluatore, Millesimo Centesimo Sexagesimo

mo primo, Regnum Daniæ obtinuit VValdemarus, Canuti Regis & Martyris filius, qui VVandalos à Regni sui finibus propulsauit. Nam sæpè illos infestos patiebatur, vtriusq; sexus homines & prædam multam secum abducentes, tandem vero etiam Christianæ religioni eos coegit colla submittere. Per id tempus Roskildensi Ecclesiæ cum multa laude præsidebat Absalon Episcopus, vir magni consilij, Cleri decus, mœrentium & afflictorum consolator, Religiosorum pius amator, totius populi Rector modestus, aduenarum & pauperum benignus sustentator, VVandalorum strenuus debellator, Religionis Christianæ ornamentum, & exemplar sobrietatis, forma pudicitiæ, veræ Nobilitatis & probitatis insigne speculum, lucerna fulgens in templo Dei, eiusq; columna fortis & immobilis. In eius diœcesi erat Cœnobium Canonicorum in Insula, quam Ezehil vocant, non longe distante ab oppido Roskildensi, mari vndique cincta: & ipse quidem locus peramœnus erat, pratis virentibus & diuersis nemorum arboribus oblectans oculos animosq; illic degentium: attamen id temporis pauci illic morabantur fratres, & ij ipsi frustra Regulares dicti, cum à Regulari disciplina multum deflexissent. Cernens autem venerabilis Episcopus Absolon, illorum mores à Religione prorsus abhorrere, mœrebat animo, ferebatq; indigne, Diabolico fraude deceptos, vitam prorsus mundanam viuere. Cœpit itaq; secum crebrò pertractare, qua ratione posset illi Ecclesiæ consulere, atque illic degentium mores in melius reformare. Redit tandem in memoriam familiaritatis & amicitiæ, quæ illi olim intercesserat cum VVilhelmo viro Religioso, cum Parisijs literis operam daret, sciensq;, illum virtutibus & sanctis moribus ornatum, deliberauit, illi ad se accito, tradere locum memoratum, mittitq; illic Saxonem præpositum Roskildensem, virum honestum (is est ille, qui cognomento Grammaticus dictus, historiæ Danicæ libros sexdecim scriptos reliquit) qui à S. Genouefæ collegio petat Dominum VVilhelmum, & cum aliis tribus fratribus mittat in Daniam, quibus etiam locum oppor-

opportunum se Episcopus daturum pollicebatur. Quo pacto autem Wilhelmus, singulari vitæ pietate ac sanctitate, beatæq; mortis felicitate, Prouincias illas illustrauerit ac decorauerit, insigne ac luculentum ipsi præbet testimonium *Breuiarium* nostrum Slesuicense iam sæpius allegatum, cuius verba in æternam eius laudem ac commendationem, hic recensere ac commemorare, non abs re, neq; ingratum fore existimo.

Initium autem fit more solenni ac vsitato à precatione. *Omnipotens sempiterne Deus, qui mirabiliter fulges in electis tuis, quos te inhabitatore glorificare voluisti: da nobis quæsumus Beati VVilhelmi Confessoris tui atque Abbatis ita dignè commemorationem agere, vt eius suffragantibus meritis templum tuum fieri mereamur. Per Dominum &c.*

Sanctus VVilhelmus natus est in Francia, & ibi Ordinem S. Victoris *in Parisiensi ciuitate intrauit. Quem Episcopus* Roskildensis *adduxit ad* Selandiam, *vt ibi Regularem disciplinam reformaret. Hic Spiritu sancto plenus, sanctæ Religionis semper extitit amator: vitiaq; extirpans, omnium virtutum sectabatur decorem. Insistebat vigilijs, ieiuniis, & continuis orationibus, seruiens Deo in patientia & humilitate. Virtus pietatis & misericordiæ adeo ipsum repleuerat, vt peccantibus & ad pœnitentiam redeuntibus non sine lachrymis compateretur. Cilicio vsque ad diem mortis suæ carnem tegebat: ipsamq; semper castigans, Spiritum seruire coegit. Nam in strato suo super stramina nunquam, nisi vel laneum pannum, vel pellem vrsinam habere volebat, nisi morbo aliquo grauaretur. Erat etiam parcissimus in cibo & potu: ita vt vix tenuem potum sumeret sine admixtione aquæ. Carnibus etiam nunquam vtebatur: hospitalitati & elemosynis dandis intentus erat. Humilitate & patientia prædicabat. Animosus erat contra elatos & superbos: pius & modestus erga humiles. Hic sanè vir Dei, prius Abbas erat in loco qui dicitur* Eskilzo: *quæ insula iacet iuxta ciuitatem* Roskildensem. *Deinde in loco qui dicitur* Paraclitus *siue*

Apilholt,

Apilholt, *Abbas existens, ordinem S. Victoris Parisiensis ibidem perpetuè obseruandum instituit, & per Dominum Papam Alexandrum confirmari fecit. Ibi in omni sanctitate, exemplar omnium factus, vsque ad finem vitæ perdurauit. Ante septem annos migrationis suæ ad Dominum, nocte quadam per visum vir venerandus & decorus astitit ei, dicens:* septem diebus viues. *Vir autem Domini de hac visione sollicitus, mane facto, fratribus, quod viderat, referebat. Ille autem septem dies interpretabatur septem hebdomadas, vel septem menses, aut certe septem annos. Sed interpretatio septem annorum vera erat. Igitur post hanc visionem, vsque ad finem vitæ suæ, se arctius in spiritualis vitæ custodia munire curauit. Septem igitur annis transactis, aduenit tempus Quadragesimale, quod deuotissimè perfecit. Quarta autem feria, præcedente cœna Domini, dum quidam fratres secum loquerentur, prior domus, qui simul ibi aderat, conquerebatur, se nunquam grauiorem noctem habuisse. At vir Dei respondit*: Non recolo me vnquam meliorem noctem habuisse, videbam namque Dominum Iesum Christum. Tres enim erant, & ego quartus, & cum eis inæstimabiliter delectabar. *Adueniente autem die sacratissimæ cœnæ Domini, Vir sanctus cum fratribus vltimam cœnam fecit: sancto autem Sabbatho videbatur appropinquare ad finem. Et cum fratres extremam vnctionem sibi dare vellent, ait.* Nihil solliciti sitis: spero quod lucem crastinã expectabimus. *Sicq; factũ est. Nam illucescente die Resurrectionis Dominicæ, Beatus vir obdormiuit in Domino.* Breu.

Sed vt redeamus, vnde digressi sumus, Imperator, non multo post, qui alieno à Rege erat animo, nouis rebus intentus, ansam sibi dari cupiebat, ad eum lacessendum, & persequendum. Itaque Legatos misit ad Archiepiscopum Bremensem, & Sigefridum Brandeburgensem, vnà cum Equitibus quadringentis, qui Sororem à Waldemaro Rege, Canuti Patre, Filio Cæsaris desponsam, & impuberem, nec non partem

dotis

dotis peterent, reliquâ parte, vbi matura & nubilis esset, exsoluendâ. Rex Slesuico, vbi agebat, abijt, & ad Eidoram profectus, illorum petitioni annuit, eamque dotis partem, quam ipsius pater promisisset, exsoluit, & fidem seruauit: non seruaturus, nisi Pater se iureiurando obstrinxisset. Sororem deducit honestè, sed tamen exiguo apparatu. Ea paulò post domum remittitur, vnà cum Regina, quam Lantgrauius duxerat. Quod indignè ferens Canutus, contra Imperatorem inimicitias suscepit, & bellandi occasionem & materiam quærens, Wagriam, Holsatiam, Stormariam, & Polabros ad Albim vsque, ad se pertinere, suaéq; ditionis esse, prætendebat. Nec adfirmasse contentus, rem ad verba confert, Holsatiam & Stormariam inuadit, & longè lateq; ferro & igne vastat.

ADOLPHVS III. *Comes Holsatiæ, Stormariæ, & VVagriæ, (qui Cœnobium* Reinfeld Ordinis Cistercienſis *condidit* A.C.1189. *quamuis* Continuator Helmoldi *in manuscripta Historia hoc referat ad Adolphum I. vt antea indicatum,) ab Henrico Leone, ob denegatos captiuos, cum copias Philippi Archiepiscopi Colonienſis Saxoniam deuastantes in VVestphaliâ ad Heresfeldiam profligauerat, Holsatiâ, feloniæ insimulatus, eiectus,* A.C.1177. *ac post quinquennium demum, Leone proscripto, ditiones suas recuperauit, simulq; Comitatum Stadenſem & Dithmarsiam occupauit; Tandem anno* 1189. *Comitem cum se adiungeret Friderici I. & Henrici VI. expeditionibus in Palæstinam, vbi auspicatò bella gesſit contra Saracenos, multis cæsis, Henricus Leo iterum ipsi Comitatum eripuit, quem mox tamen redux recepit. Quæ causa fuit, vt ab eo tempore inuestitura feudi Holsatici, à Ducibus Saxoniæ conferri solita, ad Imperatores Romanos immediatè deuoluta sit, à quibus etiamnum dependet. Ob iteratam autem peregrinationem in Palæstinam, dictus est Hierosolymitanus, vbi à primoribus Ecclesiasticis Eques creatus, eorumdem hortatu auita insignia*

aliquâ

aliquâ acceſsione auxit, & vrticæ folio tres adiecit clauos, quos in paſsione Chriſti adhibitos credidit antiquitas, ac galeæ impoſuit coronam è ſpinis contextam. Tandem à Canuto Daniæ Rege A.C.1199. *victus & carceri mancipatus, liberari non potuit, antequam, datis obſidibus, iure ſuo in Holſatia aut cederet, aut ſe abdicaret. Senex in Schouvvenburg obijt, Anno* 1232.

Anno 1200. & ſeqq. Dithmarſi, (Stedingos appellat Hiſtoria Archiepiſcop. Bremenſium,) qui Adolphi Holſatiæ Comitis voluntate & conſenſu, Archiepo Bremenſi Hartvvico certis conditionibus ſeſe ſubiecerant, & ab eo in fidem & clientelam recepti erant, obedientiam præſtare, moremque gerere mandanti recuſant. Quibus de cauſis Hartvvicus, collecto vndique exercitu validiſſimo, Dithmarſiam inuadit, vt rebelles bello domet, inobedientesq; in ordinem redigat. Quem Adolphus & Chriſtianus Oldenburgenſes comitantur. Dithmarſi victi, deditionem facere coguntur. Archiepiſcopus, re benè geſtâ, magnam pecuniæ ſummam ſoluendam illis imperat. Dithmarſi eam ſe ſoluturos pollicentur, modo priuilegijs ſuis in poſterum ſaluis ac inuiolatis frui poſſint. Archiepiſcopus, qui maximos eo bello ſumptus feciſſet, & de fide Dithmarſorum eorumq; promiſſionibusq; nihil quicquam dubitaret, ad ſuos reuerſus eſt, quòd omnia ex ſententiâ ſe confeciſſe exiſtimaret. Vbi dies ſolutioni dictus veniſſet, militesq; ſtipendia flagitarent, Archiepiſcopus ſuos in Dithmarſiam miſit, qui pecuniam promiſſam exigerent, & reciperent. Dithmarſi, qui comperiſſent exercitum dimiſſum eſſe, pecuniam & tributum ſoluere recuſant, Iuriſiurandiq; quod dederant, religione neglectâ, Waldemaro Epiſcopo Sleſuicenſi ſeſe ſubijciunt, hoc prætextu, quòd hoc pacto Coronæ Daniæ vel Regi ſeſe ſubmiſiſſent. Interim tamen ſe S. Petro,

tro, qui & Bremensi & Slesuicensi Episcopatui præesset, seruire paratos esse. Et in eam rem obsidibus datis, fidem dant & promittunt, se Episcopo Slesuicensi fideles fore & obedientes. Atque ibi Daniæ Regno aggregati & iuncti, in fide & officio permanserunt, vsque ad eum diem, quo prælio in Bornhouede commisso, ad comitem transfugerunt clypeis versis. Archiepiscopus à Dithmarsis ludibrio habitus & circumuentus, stipendium militibus exsoluere coactus fuit, in eam rem prouentibus & reditibus, quos toto triennio collegerat, impensis. Waldemarus his rebus elatus, & quod regio sanguine natus, Regnum sibi deberi existimabat, noua subindè moliebatur, & Regnum appetebat, dignitate Ecclesiasticâ, ad quam euectus erat, minimè contentus, & beneficiorum, quibus à Rege affectus erat, immemor. Ad quam rem, cum sibi amicos & vicinos, quibus familiariter vtebatur, adiumento fore speraret, illorum auxilia implorat, quòd diceret, sibi Ius administrandi Regni Daniæ competere, eâ de causa, quòd Canuti Magni filius esset, quem Sueno Roskildiæ interemisset, & quòd Canutus, qui rerum potiretur, Waldemaro tantùm prognatus esset, neque Ius aliud prætendere posset. Sed & necessitudine Cognatorum sanguinis materni, quos compures in Norvvegia habebat, fretus, qui ipsum ad rebellionem & defectionem sollicitabant, sperabat se Daniæ Imperio potiturum. Huc accedebat, quòd compertum haberet, Regem multis Principibus in Germaniâ exosum esse, quos facile in belli societatem pertrahere se posse putabat. His rebus adductus, Othonem Marchionem, Bernardum Saxoniæ Ducem, & Adolphum Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ, Schovvenburgi & Stadæ Comitem, qui recens ex Palæstina domum redierat, & ditionem suam, Henrico Leone inuito & repugnante, recuperauerat,

aduer-

aduersus Regem Waldemarum sollicitauit & commouit; quòd eum singulari amore Adolphus, magno suo periculo, complecteretur. Id hoc facilius effecit, quòd Germaniæ Principes pro certo scirent, se rem gratissimam Imperatori facturos, si bellum aduersus Daniæ Regem suscepissent, qui & Vandaliam inuasisset, & oppugnasset, ac Imperatori sese subijcere recusasset. Waldemarus, qui rem ad arma spectare videbat, sui defendendi causa, in Norvvegiâ classem non contemnendam instruxit, quâ copias nauales in Daniam traijceret. Otho autem Marchio, & reliqui fœderati Holsatiam cum suis copijs petunt, ibi Regem venientem excepturi. Cuius aduentus cum spe longius differretur, Otho moram pertæsus, & quòd sumptus magnos faceret, exercitum reduxit. Adolphus autem, quò suam erga Waldemarum Episcopum fidem reapse declararet, magnis copijs stipatus Eidoram transmittit, & omnem agrum ditionemq;, quam Regis esse acceperat, vastat & diripit. His cognitis, Rex magno dolore afficiebatur. Accidit, vt dum in Regis subditos Comes Adolphus sæuiret, Waldemarus Episcopus ab ijs, quos intimos habebat, & fidelissimos sibi existimabat, seduceretur, vt qui ei persuaderent, satius & tutius esse, rem consilio quàm armis tentare: idque, cum Episcopus sit, eum maximè decere, cum sine discrimine & reprehẽsione vtramq; personã sustinere nõ possit. Quare si pacis cõditiones recipere vellet, Proceres Regni de Controuersijs & grauaminibus cum Rege acturos, & in pacificationem sese interposituros esse. Quibus persuasionibus inductus Episcopus Waldemarus, fide publicâ datâ, se totum Regi, eiusq; gratiæ committit, oblitus socij & fœderati, qui bellum in Iutiâ Australi gerebat. Episcopus, qui copias auxiliares dimisisset, in carce-

rem compingitur, & manicis ferreis, compedibusque constrictus vincitur in arce *Burlund*, non longè à pago *Heldevvad*. Rex odio aduersus Adolphum concepto, ob iniurias & damna subditis suis illata, & vt Soceri sui Henrici Leonis casum vindicaret, in Nordalbingiam mouet. Comes, quòd viribus impar esset, & auxiliares copias ad manum non haberet, neq; auxilium externum statim adsciscere posset, Oratoribus & amicis missis, Regem placare, & de damnis, quæ subditis intulisset, satisfacere statuit, idque quòd resistendi facultas non daretur: vt hac ratione suos, quos alioqui Rex exercitu validissimo inuasurus erat, ab iniuria & impressione tueretur. Ibi res amicorum interuentu composita est, & conuentum, vt de damnis illatis Comes Regi solueret mille & quadringentas marcas Denariorum. Quibus peractis, Rege placato, exercitus à primipilaribus reducitur.

(*Liberi VValdemari I. fuerunt: Helena Gulielmo, Henrici Leonis Filio (qui obyt anno* 1213.) *Duci Brunsvvicensi & Luneburgensi: VValburgis Bugislao Duci Pomeraniæ: Richsa, Erico XI. Regi Sueciæ, (Anno* 1200. *mortuo Ringstedij sepulto,) N. Henrico VII. Rom. Imper. N. Sigismundo Thuringo, nuptæ. VValdemarus II. Victoriosus Dux Slesuicensis III. Canutus VI. Rex Daniæ: de quibus postea: Isemberga Philippo Galliarum Regi nupta: Christopherus Dux Iutlandiæ. Obyt* 1173. *Ringstediæ sepultus.*)

***

LIBRI PRIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ Slesuicensis

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

WALDEMARVS II. Victoriosus, Dux Slesuicensis III. Hamburgum & Lubecam occupauit anno 1200. Postea Rex Daniæ 82. Lovvenburgum ad deditionem compulit. Leges Iutiæ (vulgò daß Lowbuch) *confici curauit. Ad Bornhouede victus. Obyt anno 1243. Ringstedj sepultus. Tres coniuges habuit.*

Captum Nicolaus Volmarum flamen adiuit,
Vincula prædicens iam reseranda breui.
Et caput agnoscit Papam, nam consulit ipsum,
Edicti vt possit sic memor esse dati.

A.C.1200.

ANNO à nato Christo 1200. Waldemarus, frater Canuti Regis, nepos sancti Canuti, Dux Slesuicensis exortus est, & à Canuto Ducatu inuestitus, vt post videbitur. Canuto autem sub ann. 1203. defuncto, ipse quoq; regnum Daniæ consequutus est, & Rex creatus ac designatus fuit. Eodem anno nimirum 1200. plus minus, Nicolaus Episcopus constitutus est, ab Archiepiscopo Andreâ Lundensi consecratus. Hac tempestate,

Waldemaro Episcopo in carcere detento, Adolphus Comes, & Marchio Otho, bellum aduersus Slauos mouent, qui Regi Daniæ parebant, & subditi erant. Quo comperto, Rex collectâ manu militum, per Eidoram in Nordalbingiam transmittere, & Adolphum oppugnare statuit. Cum eò ventum esset, intellexit, Comitem vltra Eidoram castra locasse, & maximum validissimumq; exercitum illic collegisse, vsque adeò, vt omnes summoperè admirarentur, vnde tam ingentem copiarum numerum contraxisset. Cuius metu impulsus Rex, cum illo congredi, prælioq; contendere summoperè dubitaret ac vereretur. Ei enim sese coniunxerant, & subsidio venerant Henricus Bremensis, Marchio Otho, Simon de Tekelenburgo, Mauritius Comes Oldenburgensis. Canutus cum suis inito consilio, moram faciendam, bellumq; dies aliquot protrahendum existimabat. Itaque vt hostem frustraretur, suos in castris continebat, quòd sciret, comitem auxiliarias cohortes mercede conductas, exercitumq; tam numerosum in hybernis diu alere non posse: eumque in posterum tantas copias hyeme elapsa, difficulter iterum contracturum esse, omnino sibi persuasum habebat. Quâ de causâ Rex, exercitu dimisso, retrocedit & domum redit. Vere ineunte, Adolphus arcem Rendesburgensem vallo ac muro firmiter munire cepit, vt inde, quoties res postularet, excurrere, bellum gerere, totamque Holsatiam tueri & defendere posset. Quâ re cognitâ, Rex de improuiso interueniens, opus ceptum impedit, quòd potentia ac viribus longè superior esset, quamuis Adolphus milite armato fortiter resisteret & obniteretur. Comes qui videret, frustra se tantum opus moliri ac aggredi, de pace per amicos agere cepit. Rex omnes pacis conditiones omnino abnuit, nisi

Arcis

Arcis Rendesburgensis deditionem facere paratus sit. Quod cum se facturum promisisset, Rex qui sciret, arce in deditionem accepta, nihil sibi obstare in posterum, quò minus in Nordalbingiam rectà contendere posset, pacem fecit. Arce tradita, pontem Eidoræ imponi, arcemq; muniri iussit. Et tandem pactis inducijs discessum est. Anno nondum elapso, Comes Adolphus, vnà cum Comite Adolpho de Dassel arcem Lovvenburgensem obsedit. Milites qui in præsidio erant, cum obsidione non soluerentur, sese Canuto Regi Daniæ dediderunt. Adolphus autem, antequam copiæ auxiliariæ aduentassent, arcem expugnauit & cepit. Quæ res nouis motibus, & dissidijs inter Canutum Regem Daniæ, & Adolphum Comitem, materiam dedit, occasionemq; præbuit. Quia & Comes Adolphus, vnà cum Comite Adolpho de Dassel Dithmarsiam prædandi causa inuaserat, quæ, vt supra demonstrauimus, Diœcesi Slesuicensi sese submiserat. Vbi pecudibus abactis, & agris fertilissimis vastatis, subditisq; direptis, maximas iniurias & damna intulerunt. Sed & Adolphus mulctis & exactionibus nobilitatem suam maioribus onerarat ac presserat, quàm vt eas ferre ac sustinere possent, ea de causa, quòd Henrico Leoni non restitissent. Quibus rebus commoti nobiles, fuga sibi consulentes, auxilium petitum, ad Regem & Ducem Waldemarum contendunt, & de iniurijs sibi illatis queruntur. Hoc rerum statu, Waldemarus Dux Slesuicensis exercitum in Holsatiam ducit. Cui Adolphus, copijs, quas collegerat, occurrit. Prælio acerrimo dimicatum est in eo loco, qui *Stilnavv* nominatur, & non longè ab oppido *Itzehoensi* situs est. Adolphus, quòd viribus impar esset, victus, exercituq; cæso ac dissipato, *Hamburgum* profugit. Waldemarus hac victoria elatus, celebrisq;

factus, *Itzehoam* & *Plonam* obsedit, easq; captas diripit ac spoliat. *Segebergam* interim muro & vallo muniri iubet Adolphus. Waldemarus Dux Comitem fugientem Hamburgum persequitur, quòd ciuitas nondum munita esset, sperans se illa potiturum. Inde Albi transmisso in Comitatum Stadensem contendit. Hamburgenses, qui viribus ac copiarum numero longe inferiores essent, Waldemaro venienti supplices facti, sese offerunt, & prodeuntes in vrbem eum honorifice deducunt. His victorijs clarus Waldemarus Dux, Slesuicum ad suos reuertitur. Anno sequenti Adolphus profugus & exul, in Comitatu Stadensi, copias iterum quas potest cogit, vt comitatus amissos recuperet. Ciues Hamburgenses impensè Adolpho fauebant. Quibus de causis Rodolphum, quem Waldemarus Dux Vicarium, & Locum tenentem, vt vocant, Hamburgi vnà cum præsidio reliquerat, vrbe pellunt, & fugant, & Adolphum ad se recipiunt. Adolphus in ciuitatem receptus, eam vsquequaque munire ac firmare cepit, ea fiducia & spe, se ope Hamburgensium, & Segebergæ arcis præsidio, omnia, quæ amiserat, iterum adepturum ac recuperaturum esse. His intellectis, Dux Waldemarus, collecto exercitu, & copijs auxiliaribus, quas ei subsidio Obotriti & Dithmarsi miserant Hamburgum obsidet. Vrbe obsessa, & milite vndique prædante, Comes Gundelinus sese arbitrum interponit, & de pace & obsidione soluenda agere cepit. Quæ hisce conditionibus facta est, vt, si Comes Adolphus Duci Waldemaro arcem Lovvenburgensem cederet, vrbs obsidione liberaretur. Adolphus eam conditionem accepit, Ducem Waldemarum confestim Lovvenburgum deduxit, militibusq; qui illam arcem præsidio tenerent, vt sese dederent, imperauit. Obsessi Adolpho parere, & sese dede-

dedere recusant. Adolphus spe falsus, captiuus per Holsatiam traductus & vectus, tandem in carcerem conijcitur, & Waldemaro Episcopo Slesuicensi, cuius partes sequutus fuerat, associatur. Lubeca autem & Hamburgum Daniæ Regi parent. Vniuersam rem gestam paucis explicant *Annal. fol.* 201. vbi aiunt: (*Anno* 1201. *Canutus Rex Danorum Hammenburg occupat, & Frater eius VValdemarus Dux Albiam intrat, Adolphum Comitem inuasurus. Capta est Hammenburg, & Comes Adolphus conditionaliter ad Ducem egressus vinculatur, & ad Episcopum VValdemarum in carcerem mittitur captiuatus. Capta est etiam Lubeke à Duce VValdemaro fol.* 201. *Annal.* [*Anno Domini* M.CC.II. *Rex Otho Duci Danorum filiam fratris sui Henrici in Hamburg desponsauit, & Sororem Ducis Helenam fratri suo VVilhelmo. Rex Otho recipitur in Stadio, & Bremâ. fol.* 201. *Annal.*

CAPVT II.

Anno 1203. *Canutus è viuis excessit. Cui VValdemarus Dux Slesuicensis successit ab Andreâ Archiepiscopo Lundensi, Regno inauguratus. Annal. fol.* 201. *Rex electus Lubecam proficiscitur, vt Danorum & Slauorum Rex, & Dux Slesuicensis salutetur. Lubecenses eum honorificè excipiunt. Inde validâ militum manu stipatus, Lovvenburgum contendit, eamq; obsessam, ad deditionem sollicitat, conditionibus pacis propositis. Inter alias autem, & hoc offert, Adolphum carcere, siquidem sese dedidissent, liberatum iri. Illi acceptis vadibus, viris Nobilissimis, Regi sese dedunt. Adolphus, inducijs in decennium pactis, carcere liberatur.* (*Anno Domini* M.CC.III. *Castrum Lovvenburg homines Comitis Adolphi VValdemaro Regi Danorum pro absolutione Comitis reddiderunt. Annal. f.* 201.)

INterea dum Waldemarus Episcopus Slesuici captus in custodia detinetur, (in quâ septem annos continuos hæsit:) Nicolaus Episcopus, qui ei successit, sæpè illum conuenit, & consolatus est, quòd diceret, vincula & carcerem non fore diuturnum. Daniæ Episcopi, qui Regem comitabantur, & inprimis Archiepiscopus Lundensis, illius pietate, & aliorum, qui pro eo deprecabantur, petitionibus motus, de eo liberando apud Regem instare, & vrgere cepit, cautionibus tamen adhibitis, ne in posterum Regi nocere posset. Nam cum sanguine Regio ortus esset, liberationem periculosam fore prouidebat, nisi ab eo caueretur. Quibus de causis placuit rem ad Pontificem deferri. Pontifex consultus respondit, eum hac lege vinculis laxandum, si iurasset, se nunquam in illis locis commoraturũ, vbi aut Regi suspectus, aut Regno formidabilis & metuendus esset. Rex Pontifici obsequutus, hominem ad Iusiurandum adigit, & viatico dato Romam ablegat, vt tantisper ibi viuat, dum de alio Episcopatu ei prospectum esset. Pontifex, illum, cum plusculum temporis Romæ vixisset, Bononiam secedere iussit: vbi sumptibus Regis viueret, quoad occasio illum promouendi daretur. Interea moritur Hartvvicus Episcopus Bremensis. Canonici plerique, penes quos ius esset eligendi Episcopum, de Waldemaro creando consultant, quòd putarent, se hac ratione honorem legitimum, & Ius visitandi Regna Septentrionalia, quod amiserant, recuperaturos. Suffragijs certatum fuit, dissentientibus Canonicis, & inprimis Burchardo Præposito, qui & ipse Episcopatum appetebat. Sed & Hamburgenses electioni intercedunt, & se in postulatione præteritos querun-tur, quòd fieri non debuisset, cum Ecclesia Hamburgensis mater sit, idq; in gratiam Regis Waldemari,

sub

sub cuius imperio erant, qui eam postulationem grauiter ferebat. Quâ de causâ plerique Gerhardum Osnaburgensem eligendum censebant. Electione itaque Episcopi pendente inter duas postulationes, Waldemarus Rex per Legatos Ecclesiasticos & seculares certior factus est de electione Waldemari Episcopi Slesuicensis Canonicè Bremæ facta: & quòd nulla ratio habita esset Ecclesiæ Hamburgensis, quæ ius antiquius prætexat, & se Ecclesiæ Bremensis matrem nominet. At Canonici Bremenses cum alijs officialibus ad Curiam missi Romanam, pro Waldemaro Episcopo Slesuicensi institerunt, & literas ad ipsum destinarunt Waldemarum Episcopum Slesuicensem, qui literis lectis, quibus postulatus erat, Romam celeri ac concitato gradu contendit, & à Pontifice confirmationem petit. Pontifex homini gratulatur, quòd post captiuitatem diuturnam, & Episcopatum Slesuicensem amissum, ad digniorem & sublimiorem eueheretur Episcopatum. Papa autem, qui memoriâ adhuc teneret, quo pacto Iureiurando Waldemarus Episcopus, antequam custodiâ emitteretur, Regi sese obstrinxisset, properandum omnino, & confirmationem maturandam existimabat, veritus, ne, quod accidit, propediem adessent, qui huic petitioni intercederent, quorum nonnulli iamdudum in viam sese dederant. Non ita multò post Romam venit Regis Orator, Petrus Præpositus Roskildensis, qui à latronibus in itinere spoliatus, literas, quas ad Pontificem Rex dederat, amiserat. Is Pontifici, ea, quæ in mandatis habebat, exponit, nimirum electionem factam Regi maximè displicere, &, ne illam confirmet, summopere petit, quòd ea iuramẽto, ab Episcopo Waldemaro Regi dato, refragetur & repugnet. Cui Waldemarus respondet, se Iurisiurandi

oblitum non esse, imò id sanctè seruare, neque vllo in loco Regi suspecto commorari decreuisse, aut velle. Bremam autem propter loci distantiam esse locum satis commodum ac tutum, ac ab omni fraude ac suspicione alienum, ideoq; se in electione factâ & confirmatione impediri non debere. Præpositus Petrus contra: Bremam esse locum maximè suspectum, Regnoq; Daniæ quàm periculosissimum. Waldemarus Episcopus electus, qui videret, se nihil à Pontifice impetrare posse, re infectâ, & Pontifice insalutato Româ abit, (etsi à Pontifice vsq; ad exitum causæ manere iussus esset) & ad Regem Philippum, Sueuum, quem sciebat Pontifici infensum, properauit, vt operâ eius & præsidio Episcopatum occupare posset. Philippus & literis & Legatis ad Canonicos Bremenses missis, Waldemarum, eiusq; electionem illis diligentissimè commendabat. Quibus lectis, Canonici, qui suffragia Waldemaro dederant, hominem summo honore affecerunt, & venerati sunt, quem Dux Bernardus Bremam reduxerat, ipseq; Waldemarus Episcopus Bremensem occupauit diœcesin. *Annal. fol.* 202. Pontifex autem, Waldemarum, quòd re infectâ, & absque veniâ Pontificis Româ discessisset, vtroque priuatum Episcopatu Bremensi & Slesuicensi, *Annal. fol.* 202. Diris deuouet, & excommunicationis fulmine ferit. Literæ Censuræ Ecclesiasticæ, quibus excommunicaretur, plusculum temporis latuêre. Cum autem festum dedicationis Bremæ agitaretur, & populi frequentia oblatura ad altare accederet, is qui literas Româ attulerat, turbæ commistus, eas clausas aræ imponit, & manum celerrimè retrahens abit, neque à quoquam agnitus fuit. Religiosi & Sacerdotes, qui aderant, & ad altare consistebant, mirati, quid sibi literæ aræ impositæ vellent, re diuinâ peractâ, eas re-

signa-

signarunt. Quibus lectis intelligunt, VValdemarum à Pontifice excommunicatum, & non confirmatum esse, Gerhardum autem Osnabrugensem à Pontifice esse electum ac constitutum, qui Episcopatui Bremensi præsideat. VValdemarus Rex, vbi de reditu & introitu VValdemari Episcopi Bremensis, hominis sibi inimicissimi & hostis, accepisset, copijs militum collectis, eum impedire, &, ne Episcopatu potiretur, omnibus modis resistere, eiquealium substituere decreuit: ciuitatem Stadensem, cuius turres & domos tempestas modicum ante deiecerat, expugnauit, & rebus omnibus in inuentione S. Stephani, die Dominica spoliauit, vt tradunt *Annales fol.*202. Quamuis ex historia Archiepiscoporum Bremensium, & Albert. Stadensi videatur colligi, Stadam à VValdemaro non Rege, sed Episcopo fuisse occupatam, vt paulò post tradetur. VValdemarus autem electus, cognito, Regem copias, ad se oppugnandum sibiq; bellum inferendum, contraxisse, contra arma sumere, & militem colligere cepit, quò Regis ditionem inuadat & vastet, vt qui rei bellicæ non ignarus neque inexpertus esset. Burchardus (al. Bernardus) verò Præpositus Bremensis, qui & ipse ad Episcopatum summoperè adspiraret ac contenderet, Regem permouit, vt ab incepto desisteret, adhibitis in consilium illis, qui sibi summoperè fauerent, suisq; commodis ac ornamentis consultum quam maximè vellent, quos Bremæ & Hamburgi habebat, illisq; Rex paruit. Quibus rebus Præpositus apud Regem gratiam iniuit sibiq; conciliauit maximam, vsqueadeò, vt Rex bona, quæ vltra Albim habebat, illi possidenda & fruenda in feudum concederet, & de ijs inuestiret. Sed & Canonici Hamburgenses, vt Regi gratum facerent, in Præpositum omninò inclinabant, cui & Otho inuestituram Episcopalem

scopalem dederat. Præpositus itaque electus, magnis promissionibus Stadensium gratiam & fauorem sibi conciliare. Adolphus Comes, qui adhuc à VValdemaro Episcopo stabat, Regem Daniæ metuens, Stadium profugit, idq; quòd eam ciuitatem VValdemarus Episcopus occupare nitebatur. Stadenses ciues, qui Burchardo (al. Bernhardo,) toti addicti essent, VValdemaro excluso, Bernardum in vrbem receperunt. VValdemarus Episcopus cum animaduertisset, Stadenses pertinaces, neque promissionibus, neque vllâ aliâ arte permoueri posse, vi cogendos existimabat. Ei subsidio venerunt Dux Saxoniæ Bernardus Anhaltinus, qui filio Friderici Imperatoris, & Henrici Imper. nuper defuncti fratri Philippo, de imperio contendenti, adhæserat. Sed & ipse Rex Philippus, VValdemarum Slesuicensem, in inuidiam æmuli sui, Othonis Imperatoris à Pontifice confirmati, & Regis Daniæ, ad Episcopatum Bremensem euehere cupiebat, sicut & Bremenses, qui VValdemaro vsqueadeò dediti erant, vt sese censurâ Ecclesiastica notari paterentur, sperantes, se hac ratione Henrici Leonis posteris dominatum adfectantibus aduersari, & resistere posse. Expugnataque vrbs Stadensis, ipsis ferijs, reperto sancti Stephani corpori dedicatis, militum cessit direptioni, vt suprà notaui ex *Albert. Stad. & histor. Archiepisc. Brem.* Sed, vt sunt res humanæ, VValdemari fortuna vnà cum morte Philippi, ab Ottone VVitelspachio Comite Palatino iuxta Bamberg interfecti, subitò commutata est, vsqueadeò, vt qui in gratiam Regis partes VValdemari hactenus defendissent, nunc, interfecto Rege, ab eo deficerent. Vbi autem dies aliquot, conflictationibus habitis, consumpti essent, Bremensibus & alijs suffragatoribus pro Episcopo VValdemaro stantibus, & Rege pro Burchar-

Burchardi, (al.Bernardi) cui addictus erat,honore & dignitate propugnante, tandem ann. 1211. *Annal. fol.* 202.nuncius de Gerhardo Osnabrugensi,à Pontifice confirmato allatus fuit. Ibi tum Rex VValdemarus copias suas in Regnum reduxit, & VValdemarum Slesuicensem alijs oppugnandum reliquit. (*Ann.*1217. *Bremenses cum Stedingis,VValdemaro Episcopo reiecto,Gerhardum Episcopum introduxerunt. Annal. fol.* 204.) Ipse VValdemarus Episcopus, à Bremensibus destitutus & desertus Stadensium opem implorat. Quos etsi initio infensos, tandem fideliſſimos reperit. Nam hi hominis miserti, in eos, qui illum deseruissent, impetu facto, damnum maximum intulerunt, arcibus Minzovvo & Tessicho captis & direptis. Quos grassantes,& omnia ferro & igne vastantes,Henricus Comes Hoiensis repressit, & miserè fudit. Cui sese oppossuit Henricus Brunsuicensis, filius Henrici Leonis, Ottonisq; IV. Imperatoris ac VVilhelmi frater, & VValdemarum defendendum susceptt. Quin & arcem Falkenburgum ea de causa communiuit. Sed cum Stadenses quotidie propter VValdemarum, qui Episcopatu Bremensi repulsus & frustratus erat, premerentur,& assiduè vexarentur, eius rei pertæsi tandem cum Bremensibus fœdus ineunt, & controuersijs compositis,anno demum tertio, Gerhardum à Pontifice confirmatum, in vrbem recipiunt & introducunt,VValdemaro relicto & posthabito.*Annal. fol.* 202. Qui adhuc multos annos superstes assiduè apud Pontificem institit,& vrsit,vt de aliquo Episcopatu sibi prospiceret. Pontifex hominem hortatur & monet, ne iniuriam Bremensibus inferat, & à vi & maleficio temperet & abstineat. Interea benignè promittit, seq; effecturum ac mandaturum pollicetur,vt alibi, si locus vacet, Episcopatu gaudeat ac fruatur.

VValde-

VValdemarus autem, rebus penè desperatis Othoni IV. Imperatori supplex factus, eius opem implorat. Otho, qui animo in Bremenses infestissimo esset, vnà cum Fratre Henrico Bremensem ditionem inuadit, & vndique longè lateq; ferro & igne vastat, ac diruit. *Annal. fol.* 204. Deinde in auxilium adscitis Henrico Comite Palatino Fratre suo, & Othone Marchione Brandeburgensi, & Waldemaro Bremensi electo, Hamburgum obsidet & capit. Quæ ciuitas eo tempore Danorum imperio parebat. Rex Waldemarus, qui vrbis iacturam facere nollet, anno sequenti vrbem obsidet, & ne commeatus ac cibaria importarentur, cathena prægrandi ab vnâ ripâ ad alteram ductâ, Albim claudit, nauigationemq; impedit: tandemque ciuitatem fame & penuriâ rerum adactam premit, eoq; perducit, vt Regi sese dederet. Quo tempore & Rex arcem Hamburgi à fundamentis exædificauit, quæ arx noua, vulgò die Nienborch nominatur. Vnde ad hodiernum diem appellatio plateæ manet. Arcem autem statim *Adelberto de Orlemund Comiti possidendam tradidit.* Hamburgenses etsi anno proximè elapso, Imperatori fidem & Iusiurandum dedissent, tamen Regi Daniæ parere, & obedientiam præstare coacti fuerunt. Waldemarus autem quondam Episcopus Slesuicensis, tunc autem Bremensis electus, homo magis belli artibus, quàm religioni deditus, ætate & curis confectus, viuendi finem fecit: quem etiam ipse sibi, ærumnis & malis sponte accersitis, accelerauit. Mortuus est autem anno ab incarnato Christo, plus minus 1215.

***

CA-

CAPVT III.

NVNC ad Episcopum Nicolaum redeundum est. Is anno 1210. ijs, quæ sui muneris essent, & ad religionem spectarent, occupatus, Pontificem Romanum, de quibusdam controuersijs, & causis in consilium adhibet, ne conscientiam suam, rebus non satis intellectis, oneret ac violet: cui Pontifex singulis ad trutinam expensis & ponderatis, respondet. Causæ autem hæ sunt, de quibus Pontifex consultus fuit. Si Sacerdos in vnâ diœcesi Ecclesiam possideat, domicilium autem in aliâ diœcesi ratione sui patrimonij habeat, ibiq; delictum committat, vtrum ab Episcopo eius loci, vbi patrimonium habet, ob delictum commissum iudicari, & puniri debeat, præsertim in causis, quæ beneficij vel officij priuationem exposcunt; vel ab Episcopo eius diœcesis, vbi delictum commissum est. Ad eam quæstionem ita respondet Pontifex: *Episcopum in cuius Diœcesi deliquit, de crimine cognoscere & iudicare posse; sed ab Episcopo, cuius Ecclesiæ præest, executionem rei iudicatæ faciendam.* Altera quæstio hæc est, cuius explicationem Nicolaus petit. Quòd cum semel in Decimarum solutionem Laici consenserint, neque pœnâ excommunicationis adduci possint, vt soluant, vtrum auxilium brachij secularis impetrare liceat, & inprimis Regis, eosq; ad decimas soluendas compellere: cum absque eo, sine sanguinis effusione compelli, & ad solutionem adigi non possint. Pontifex ad ea ita respondet, *æquum esse, & liberum, Regis implorare auxilium, vt qui ad defensionem bonorum, & vindictam facinoroſorum,*

rosorum, gladium gerat. Et siquidem eam ob causam duriter in eos animaduersum fuerit, id eorum peruicaciæ, contumaciæ, & obstinationi imputandum esse. Tertium de quo Pontifex consultus respondit, hoc est; cum Episcopus excommunicatos sepulturâ & cœmiterio prohibere non possit, quòd anathema pro nihilo habeant: & defunctorum cognati & necessarij, interdicto spreto, vi & violentiâ, corpora mortua in loco consecrata & religiosa inferant, & sepulturæ tradant, eaque polluant, quâ ratione huic malo occurrendum sit. Pontifex rescribit, & hoc consilij dat: *Cœmiteria aspersione aquæ consecratæ vel benedictæ solenniter purganda, & reconcilianda esse, ad eum morem, qui in dedicationibus Ecclesiarum passim receptus sit.* Postremò, ne in visitationibus videatur sumptuosior, quærit Nicolaus Episcopus, vtrum procurationes postulare possit, vbi non visitauerit. Cui Pontifex hoc consilij dat, *non postulandas procurationes, nisi personaliter officium visitationis ipse Episcopus impendat & administret, eumq; vt fratrem meminisse debere, gregem sibi à Deo commissum esse, super quo semper excubare & vigilare debeat, extirpando vitia, & virtutes plantando. Et de eâ re sibi rationem in iudicij diuini districto examine, coram tribunali Dei reddendam, qui vnicuique secundum merita sua dignam mercedem rependat.* Idem statutum inuenitur in *c.2. & 3. de censib. & exactionib. in 6.* sicut & quod suprà *pag.* 22. insinuaui de S. Anschario. Nam (*in c. omnis qui. 7. q. 1.* statuitur, vt exul Episcopus propter hostium persecutionem, in alienam, vbi versatur, sedem vacantem cooptetur Episcopus.

CA-

CAPVT IV.

Religiosa cohors sub præsule visa Tucone est,
Venit turma prius Nigra, deinde Minor.
Censuram fert Otto grauem, sacrata piorum
Vsibus, atque Deo contemerare vetans.

ANNO à Christo nato 1216. Tucco Natione Danus Episcopus factus est, Confirmatus ab Archiepiscopo. Hac tempestate, noui ordines *Religiosorum & Monachorum* in Ecclesia exorti sunt, *Minorum* scilicet & *Prædicatorum*, cum iam ante anno 1189. (vel vt placet *Volater. lib.* 21.) anno 1017. sub Benedicto VIII. ordo *Humiliatorum* ex Gallis Cisalpinis exulibus in Germaniam coaluisset, à sede Apostolicâ approbatus: sicut & *Minorum* & *Prædicatorum* ordo, à Pontificibus, vel Innocentio III. vel ab Honorio III. probatus & confirmatus fuit, eum inprimis in finem, vt se hæreticis Waldensibus anno 1186. exortis opponerent. Waldenses autem à Waldone Lugdunensi, *Pauperes de Lugduno* appellabantur. Quos Pontifex Vrbanus III. damnauit, quod non tantum dogmata superstitiosa, & obseruationes peculiares sectarentur: sed & in Sacerdotes & Religiosos omnis generis, publicè inueherentur, quoties conciones ad populum haberent, eosq; calumnijs ac criminationibus insectari nõ vererẽtur, his imprimis de causis, quod non spretis & abiectis omnibus huius mundi bonis ac facultatibus, munere suo fungerentur: Existimabant enim, quamuis perperam & erroneè, omnia huius seculi bona, necessario esse proij-

cienda: ipsi contra, sese Apostolorum vitam viuere iactitabant, vt qui nullas opes possiderent, nec domicilium certum haberent, sed per vicos ac castella migrantes, nusquam habitarent, obstragulo quoq; calcei sciſſo, & quodammodo nudis pedibus incederent, cucullis insuper peculiaribus amicti vterentur, capillos item intonsos, & comam vt laici nutrirent: quin viri & mulieres simul vnâ iter facerent & vagarentur, & in tabernis vna dormirent. Hoc autem prætextu se defendere conabantur, quod ab Apostolis hæc accepissent & mutuati essent. Verum optimo ac sapientissimo Summi Pontificis consilio & authoritate, iste error damnatus ac reprobratus fuit; contra vero, instituit ac probauit ordinem *Pauperum*, ac *Minorum*; qui nudis pedibus, cum hyeme, tum æstate incedunt, pecuniam spernunt, solo victu ac amictu contenti: & ne quis nomine *Pauperis*, quod hæretici *Lugdunenses* seu *Valdenses* sibi adsciuerant, deciperetur, non *Pauperes*, sed *Fratres Minores* appellari maluerunt, sediqué Apostolicæ sese submiserunt. *Prædicatores* authorem suum & institutorem laudant *S. Dominicum*, Natione Hispanum. Floruit quoq; in eo ordine *D. Thomas* D. plane Angelicus. *Prædicatores* autem vocabantur, quia literati, in Scripturis, sanctorumq; Patrum doctrinâ bene versati populum erudiebant, quem inerudita Waldensium factio inficere studuerat. Erant enim Waldenses homines mechanici, operarij, victum manibus quærentes, qui concionatores subitò exorti, prædicabant. His igitur incommoditatibus & ἀταξία vt occurreretur, voluit Pontifex, vt Concionatores & Pastores non rudes ac ignari, sed rerum Theologicarum periti, sacrisq; literis bene imbuti, ad concionandum accederent, verbum Dei sano ac integro sensu traderent ac docerent, hominesq; ad pieta-

tem

tem ac iustitiam erudirent ac conuerterent. Qui ordines cum in Italia locisq; finitimis publicè approbati ac recepti essent, paulatim latius disseminati, ad remotissimas quasq; Nationes, Nostrates quoque deriuati ac translati fuerunt: vt postea demonstrabitur.

Quanto autem honore ac veneratione, Patria mea *Slesuicensis* omnibus seculis, sanctorum Patrum, imprimis vero Sacrorum Ordinum Authorum memoriam celebrauerit, ex *Breuiario* nostro Slesuicensi apertè ac euidenter liquet, vnde tum propter vetustatem: tum propter exemplarium summam penuriam ac raritatem, in piam ac salutarem sanctissimorum horum Patrum recordationem, quædam huc referre, atque ad posteritatem transmittere, non pigebit.

De S. Benedicto, (cuius ordinis fuit B. Ansuerus Slesuicensis, popularis noster æterna memoria ac laude dignus: *de quo suprà*) præmittitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die carnis eductum ergastulo, Beatum confessorem tuum Benedictum subleuasti ad cœlum, concede quæsumus, hæc festa tuis famulis celebrantibus, cunctorum veniam delictorum, vt, qui exultantibus animis eius claritati congaudent, ipso, apud te interueniente consocientur & meritis.

Benedictus ex Nursia Prouincia ortus, cum Romæ liberalibus studiis traditus esset, in ipsa sua infantia literas deseruit, & desertum petere decreuit. Quem nutrix sua, quæ eum tenerrimè diligebat, vsque in quendam locum, qui dicitur Effide, secuta est. Vbi ad purgandum triticum mutuò capisterium petijt, sed super mensam incautè ponēs, cum corruisset, in duabus partibus fractum vidit; Quam Benedictus flere conspiciens, partes capisterij petijt, & ab oratione surgens, integrè solidatum inuenit. Postmodum nutricem occultè fugiens in quendam locum venit, vbi tribus annis hominibus

incognitus mansit, excepto quodam Monacho Romano, qui sibi sedulò necessaria ministrabat. Cum vero ad specum à Romani Monasterio, iter non esset, panem in longissimo fune ligabat, & sic eum deponere consueuerat. Tintinnabulum etiam ipsi corde inseruit, vt ad eius sonitum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis, vnius charitati & alterius inuidens refectioni, lapidem iactauit & tintinabulum fregit. Sed tamen Romanus ei ministrare non desijt. Quadam die auis quædam, quæ merula vocatur, importunè circa eius faciem volitauit, ita, vt ab eo manu capi potuisset, sed signo crucis edito, auis recessit. Moxq; Diabolus quandam fœminam, quam aliquando viderat, ante eius oculos mentis reduxit, eiusq; animum tanto igne in speciem eius accendit, vt penè Heremum, voluptate deuictus, deserere deliberaret. Sed subito diuina gratia ad se reuersus, continuo se exuit, & spinis & vepribus quæ ibi aderant, se adeo volutauit, vt toto corpore inde vulneratus exiret, vt per cutis vulnera, mentis vulnera educeret: vicit itaq; peccatum, quia mutauit incendium; atque ab illo tempore nulla postmodum tentatio in eius corpore pullulauit. Crebrescente itaq; eius fama, cum Abbas monasterij cuiusdam obijsset, tota ipsius monasterij congregatio ad eum venit, & vt præesse eis deberet, petijt. Qui diu negando distulit, suis illorumq; fratrum moribus se conuenire non posse dixit: sed tandem victus precibus, assensum dedit. Cumq; regulam illic districtius seruari præciperet, semetipsos Monachi reprehendebant, quod ipsum sibi præesse poposcerant, quorum scilicet tortitudo offendebatur in norma rectitudinis eius. Cumq; sibi cum eo aspicerent, illicita non licere, & sedulè assueta relinquere, venenum vino miscuerunt, & sibi recumbenti obtulerunt. Sed Benedictus signum crucis edidit, quo quasi iactu lapidis vas illud vitreum fregit; intelligens igitur, quod potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ, illico surrexit & placido vultu dixit. Misereatur

tur vestri omnipotens Deus, fratres. Nunquid non dixi vobis? quia vestris ac meis moribus non conuenirent acta vestra. Tunc ad locum derelictæ solitudinis redijt, vbi crebrescentibus signis claruit. Et multis ad eum venientibus, duodecim monasteria construxit. Ex his monasterijs tria sursum in rupibus montis erant, quæ deorsum cum magno labore aquas hauriebant. Cumq; fratres illi virum Dei sæpe rogarent, vt monasteria illa mutaret, quadam nocte cum quodam puero montem adscendit, ibi diutius orans, tres petras in eodem loco pro signo posuit. Cumq; manè ad domum redijssent, & fratres pro eadem causa ad eum venissent, dixit. Ite, & illam rupem, in qua tres petras positas inueneritis, in modico cauate. Valet enim Dominus inde vobis aquam producere. Qui euntes, & iam illam rupem sudantem inuenientes, concauum locum fecerunt, & mox aqua repletum viderunt. Qui vsque nunc tam sufficienter emanat, vt ab illo montis cacumine vsque ad inferiora descendat. Breuiar.

De S. Avgvstino ex eodem Breuiario Slesuicensi.

Lætare Mater nostra Ierusalem, quia Rex tuus dispensatorem strenuum, & ciuem fidelissimum, de seruitute Babylonis tibi redemit Augustinum. Huius mater deuotissima, quem carne prius pepererat mundo, charitatis visceribus postmodum multo semine lachrymarum genuit Christo. Distulit tamen diu baptismi gratiam, quia tumens in Philosophia, volebat humana ratione comprehendere, quod pia mens, viuacitate fidei nititur apprehendere. Surgens autem post multos circuitus errorum, circuibat ciuitatem per vicos & plateas, quærendo verum animæ virum, pro quo, ne moreretur, dignum iudicaret mori, vt eius semper inhæreret amori. Inuentus igitur à custodibus ciuitatis, & pallio vetustatis exutus, diligenter pertractata cum illis veritate, quem desiderabat, inuenit, & castis eius amplexibus ardenter inhæsit. Optaui, & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.

Præsul sancte, Pastor pie, in Extremo mortis die
Fer nobis subsidium.
Vt quod, de te prædicamus, pium per te sentiamus
Virtutis auxilium.

Tribulationes cordis nostri multiplicatæ sunt, de necessitatibus nostris eripe nos.

Hym. *Adest dies celebris, quo soluto nexu carnis,*
Sanctus præsul Augustinus, assumptus est cum Angelis.
Vbi gaudet cum Prophetis, lætatur cum Apostolis.
Quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica
Fecit nobis peruia, post quos fœcunda
Dispensandi verbi Dei, primus refulsit gratia.

Adesto supplicationibus nostris Omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente B. Augustino confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum.

Magnum Dominum & laudabilem valde, venite adoremus. Qui de tenebris, Gentium lumen Ecclesiæ suæ vocauit Augustinum. Aperuit Augustinus codicem Apostolicum, & coniectis oculis ad primum Capitulum legit. Induimini Dominum Iesum Christum, & statim quasi infusa luce securitatis, ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. Insinuauit ergo per literas sancto viro Ambrosio præsens votum suum, vt moneret, quid sibi de sacris literis legendum foret, quò percipiendæ Gratiæ Christianæ aptior fieret & paratior: At ille iussit Esaiam Prophetam: quod præ ceteris, euangelij, vocationisq; Gentium sit prænunciator apertior.

Descriptio eiusdem vitæ ac rerum gestarum ex eodem Breuiario.

Augustinus ex honestis parentibus progenitus, in studijs liberalibus plenissimè eruditus, per nouem annos Manichæorum errore detentus est. Anno vero vitæ suæ quasi 30. per merita & orationes matris suæ, & prædicationem S. Ambrosij, ab illa hæresi purgatur, & ab illo baptizatus est. Proti-

gus

nus igitur spem omnem quam habebat in seculo, & scholas, quas regebat, dereliquit: inuenit se Augustinus longè esse à Deo, in regione dissimilitudinis, tanquam audiret vocem Dei de excelso. Cibus sum grandium cresce & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. *Cum autem ieiunia & Orationes triennio transegisset, à S. Valerio, licet inuitus, in Presbyterum ordinatus est. Mox autem Monasterium Clericorum instituit, & cepit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis institutam. Sanctus autem Valerius gaudens, sibi datum hominem, qui adificare Ecclesiam esset idoneus, ac timens ne suæ Ecclesiæ auferetur, procurauit ab Archiepiscopo, vt suæ Ecclesiæ præficeretur in Pastorem. Quod & factum est, licet modis omnibus reluctaret. Sensit igitur & expertus est non esse mirum, quod palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis. Et oculis agris odiosa est lux, quæ puris est amabilis. Et quoniam propter iniquitatem corripuit Deus hominem, & tabescere fecit sicut arenam, animam eius. Hæreticos vir iste sanctus validissimè confutabat. Porro vestes, calceamenta, & lectisternia eius sic erant moderata, quod nec nimis nitida erant, nec plurimum abiecta. Fertur quoque dixisse.* Fateor de preciosa veste erubesco. Et ideo, cum datur mihi, vendo eam, vt quia vestis communis esse non potest, pretium sit commune. In mensa quoque lectionem aut disputationem habebat. Contra pestem detractionis in mensa ita scriptum habebat.

Quisq; amat dictis absentum rodere vitam
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Dum vero inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexit, aciem figere non valuit. Quia non secum ferebat, nisi amantem memoriam, & quasi olfactum desiderantem, qui comedere nondum posset. Quid autem Sacramenti haberet, Verbum Caro factum est, nec suspicari quidem poterat.

terat. Veruntamen primam huius lectionem non intelligens, totumq; tale arbitrans, distulit repetendum exercitatior in Dominico eloquio. Inde, vbi tempus aduenit, quo nomen eum dare oportebat, relicto rure, Mediolanum remeans, baptizatus est à B. Ambrosio, fugitq; ab eo solicitudo vitæ præteritæ: nec satiebatur illis diebus, dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij Diuini super salutem generis humani. Erga pauperes tam pius erat; quod cum pecunia deficeret, addandum eis, hoc ipsum populo nunciabat. Fœminarum vero nulla in domo eius remansit, nec etiam Germana, nec fratris filiæ, quæ Deo pariter seruiebant. Dicebat enim, quod si de eis non posset oriri suspicio, tamen de aliis, quæ ad eas aduentarent, posset oriri. Itaq; auidissimè legere cepit præ cæteris Apostolum Paulum, & perierunt illæ quæstiones, in quibus aliquando visus est ei aduersari testimoniis legis & Prophetarum textus & sermonis Dei. Et apparuit ei vna facies eloquiorum castorum, & exultare cum tremore didicit. Tanta etiam scripsit, vt numerum librorum eius, tractatuum & epistolarum plusquam mille triginta fuisse dicantur. Tandem anno Domini CCCCXL. VVandali vniuersam prouinciam Africæ vastantes rapinis & incendiis, nulli sexui vel ordini, vel ætati parcebant. Cum autem sub tanta tribulatione, Augustinus, amarissimam duceret vitam, accreuit eius doloribus, quod sub ipsius tempore Iponensem Ecclesiam barbari obsederunt. Misit ergo Dominus in mentem eius, visumq; est bonum in conspectu eius, pergere ad Simplicianum, qui ei bonus apparebat seruus Dei, & lucebat in eo gratia Diuina: audierat enim, quod à iuuentute sua deuotissimè Deo viueret, & verè sic erat. Porro obsidionis mense tertio febribus decubuit, sibiq; vir pœnitentiales Psalmos scribi iussit, ipsoq; iacens in lecto, contra parietem positos legebat, & vbertim ac iugiter lachrymas fundebat. Et vt Deo vacaret liberius, & eius intentio à nullo impediri posset, ante 10. dies sui exitus, nullum ad se ingredi præcepit: nisi cum vel medi-

medicus ingrederetur, vel cum sibi refectio portaretur. Ad extremam autem horam veniens, coram positis fratribus migrauit ad Dominum. Volebat enim conferenti æstus suos vt proferret quis esset aptus modus viuendi, sic affecto vt ipse erat, ad ambulandum in via Dei, in qua alius sic, alius sic ibat. Displicebat ei quicquid agebatur in seculo præ dulcedine Dei & decore domus eius, quam dilexit. Flebat autem vberrimè in hymnis & canticis, suaue-sonantis Ecclesiæ vocibus deuotus vehementer affectus. Voces igitur illæ influebant auribus illius, & eliquabatur veritas in cor eius, & fluebant lachrymæ, & benè illi erat cum illis. Adiunctus inde Nebridio & Eunodio, remeabat ad Africam, quærens quis eos ad benè viuendum locus haberet vtilius, sed cum esset apud ostia Tyberina, pia Mater eius defuncta est. Vulnerauerat charitas Christi cor eius, & gestabat verba eius in visceribus quasi sagittas acutas, & exempla seruorum Dei, quos de mortuis viuos faceret, tanquam carbones vastatoris. Ascendenti de conualle plorationis, & cantanti canticum Graduum dederat sagittas acutas. Et accepta baptismi gratia, positus apud ostia Tyberina, cum matre sua colloquebatur valde dulciter, & inhiabant ore cordis pariter in superna fluenta fontis vitæ, vilescebatq; mundus iste inter verba cum delectationibus suis. Tunc ait illa: Fili, nulla re iam delector in hac vita, cum te contempta felicitate terrena videam seruum Christi, Verbum Dei vsq; ad ipsam suam agritudinem, impretermisse, alacriter & fortiter, sana mente, sanoq; consilio in sancta Ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integroq; aspectu & atque auditu corporis, coram positis fratribus, & orantibus dormiuit cum patribus suis. Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Christi non habuit. Post mortem matris reuersus est Augustinus ad agros proprios, vbi cum amicis, ieiuniis & orationibus vacans, scribebat libros & docebat indoctos. Comperta autem eius fama, B. Valerius Yponensis

Episcopus eum ad se accersiri fecit, & licet inuitum presbyterum ordinauit. Factus Augustinus presbyter, Monasterium Clericorum mox instituit, & cepit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Sanctus autem Valerius ordinator eius exultabat vberius, hominem sibi talem datum diuinitus, qui in doctrina sacra ædificare Ecclesiam esset idoneus. Eodem tempore Fortunatus presbyter Manichæorum versutia plurimos seducebat, quos sanctus Augustinus, in conuentu omni disputans publicè, superabat.

Augustine pater Alme, perennis possessor Palmæ,
In conspectu summi Regis, Memor esto tui Gregis,
Vt tua benignigna prece, Criminum purgata fece,
De virtute in virtutem, Gradiamur ad salutem.

Item. *Hodie Glorioſus pater Augustinus, dissoluta huius habitationis domo, domum non manufactam accepit in cœlis, quam sibi cooperante Dei gratia, manu, lingua, fabre fecit in terris, vbi iam quod sitiuit in terris, gustat æternum, decoratus vna stola, securusq; de reliqua. Amen.* Hæc ex Breuiario.

De S. Francisco. Præmittitur primum Oratio. *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis quæsumus, ex eius imitatione terrena despicere, & donorum cœlestium semper participatione gaudere. Per &c.*

Sequitur vitæ rerumque gestarum descriptio. *Beatus Franciscus, post lasciuiam iuuenlem & negotia secularia, graui languore attritus, digitum Dei conuertit ad suæ conuersionis effectum. Venditis igitur omnibus, quæ acquisierat multo labore, & in pecuniam commutatis, dum intraret quandam Ecclesiam, quæ ruinam minabatur, ad eius opus illam pecuniam obtulit Sacerdoti. Qui timore parentum eius accipere recusans, proiecit eam. Cum autem nec patris vincula nec matris blanditiæ eum possent*

ab

ab incepto proposito reuocare, die quadam coram Episcopo ciuitatis, vestimentis omnibus etiam femoralibus patris auaritiæ restitutis, semicinctiis nocte inuolutus, pueri eum quasi fatuum cum luto & lapidibus sequebantur. Quadam vero die, dum ex euangelica lectione audiret, à Christi discipulis non virgam, non peram, non calceamenta debere portari, calceamentis & baculo reiectis, indutus est pro zona funiculum, & mordentis lanæ pauperem tunicam. Hic cibos cultiores sibi interdum positos, ne palatum allicerent, aquis & cineribus permiscebat, vinum raro sumens. Eadem tunica diebus ac noctibus pro indumento & lecto vtebatur. Erat ei multa orationis attentio, meditatio sancta, pia compassio miserorum, admiranda castitas, humilitas veneranda, & illa sermonis auctoritas, vt colla sublimium, iugo subiiceret disciplinæ. Si quandoq; iam extincti fomitis fauilla consurgeret, se nudum in niuis & aquæ emergebat congeriem. Leprosos, qui fugi consueuerunt, obsequio familiari contrectabat, animantia quoque & cœlestia corpora in Christi laudes placito inuitabat eloquio: quasi omni creaturæ corporali & spirituali insignis extitit. Et cum esset 26. annorum incepit ordinem Minorum. Et postmodum vixit annis viginti. In quibus aliquando in capitulo generali congregauit plus quam quinque millia fratrum. Quos omnes, cum pluribus aliis extraneis fratribus, & hominibus ordinis Prædicatorum, Deus mirabili prouidentia copiosè cibauit, cum nihil humanitus fuit procuratum ab aliquo fratre ordinis. Miraculorum quoque immensitate claruit, octo mortuorum suscitator magnificus fuit: auibus & piscibus & alijs bestijs prædicauit sæpe. Inter cætera mirabilia, stigmata ab ipso Domino in specie Seraph sibi corporaliter apparente recepit, & ex eius latere dextro velut lancea perforato, cicatrix obducti vulneris apparebat. Et multi infirmi, dum suas tangerent reliquias sanabantur. Hæc de S. Francisco, ex Breuiario.

De

De S. Dominico porro Breuiarium nostrum Slesuicense. Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam, B. Dominici confessoris tui illuminare dignatus es, meritis & exemplis, concede, vt eius intercessione temporalibus non destituatur auxilijs, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per &c.

B. Dominicus matri suæ carnali adhuc eum gestanti in vtero, præmonstratus est in figura Catuli, accensam faculam in ore gestantis. Matri vero spirituali apparuit, quasi gestans stellam in fronte. Cum autem esset adhuc puerulus, deprehensus est frequenter, relicto lecto super nudam terram accumbere. Missus tandem Palentiam ad studium, amore sapientiæ addiscendæ, vinum per decennium non gustauit. Vbi cum fames valida esset, libros cum omni supellectili vendidit, & pretium eorum pauperibus erogauit. Crescente iam eius fama, ab Episcopo Exonienſi, in sua Ecclesia Canonicus Regularis efficitur, & postmodum factus omnibus vitæ speculum, à Canonicis Supprior ordinatur. Ipse autem die ac nocte lectioni & orationi vacabat, assiduè Deum exorans, vt sibi hanc gratiam infundere dignaretur: qua se totum aliquando saluti posset impendere proximorum. Postmodum vero sumptus in socium ab Episcopo Exonienſi, Tholosam veniens, hospitem suum hæretica prauitate corruptum, prima nocte ad fidem conuertit, & quasi quendam primiciarum manipulum futuræ messis Domino præsentauit. Peractis vero ibidem quibusdam negotiis, cæteris ad propria redeuntibus, & Episcopo Exonienſi defuncto, solus ibidem sanctus Dominicus cum paucis sibi adhærentibus remansit, contra hæreticos constanter verbum Dei annuncians. Irridebant autem eum aduersarij veritatis, sputa, lutum & huiusmodi vilia proijcientes in eum, & à tergo pro derisu sibi paleas alligantes. Cum autem ipsi interitum minarentur, imperterritus respondit. Non ego Martyrij dignus sum gloria: nondum merui istam mortem. *Quapropter locum transiens,*

in quo

in quo sibi paratæ ferebantur insidiæ, non solum intrepidus, verum etiam cantans & alacriter procedebat. Quod illi audientes & admirantes dixerunt illi. Nunquid non tu mortis horrore concuteris? Quid acturus eras, si comprehendissemus te? At ille. Rogassem vos, ne repentinis me subito perimeretis vulneribus, sed paulatim & successiuè membra singula mutilantes, deinde ostensis coram oculis meis detruncatis membrorum particulis, ipsos etiam oculos eruentes, ad vltimum, semiuiuum laceratumque corpus sic permitteretis in suo sanguine volutari. *Deinde Tholosam veniens, fratres paucos, quos secum habebat, per orbē dispersit. Ipse Romam profectus est. Tandem appropinquante peregrinationis suæ termino, constitutus apud Bononiam, graui cepit corporis infirmitate languescere: sui autem corporis dissolutionem Dominus sibi per visionem præmonstrauit. Vidit enim iuuenem pulcherrimum his verbis vocantem se & dicentem.* Veni dilecte mi, veni, veni ad gaudia æterna. *Obijt anno Domini* M.CCXXI. Breuiar.

Sequitur de S. THOMA de Aquino, qui Ordinis fuit Prædicatorum, vt ante dictum, ex eodem Breuiario. Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam B. Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas, da nobis quæsumus, &, quæ docuit, intellecta conspicere, & quæ egit, imitatione complere. Per Dominum &c.

Descriptio vitæ ac rerum gestarum.

S. Thomas de Aquino ordinis Prædicatorum, Doctor egregius, nobilibus progenitoribus ortus, Landolpho Patre, de domo ac illustri prosapia Comitum Aquinorum, confinibus Campaniæ & Regni Caliciæ, Matre Theodora, de Neapolitina stirpe existente, duxit originem. Qui per sanctum Hieremitam, nomine Bonus, matri suæ fuit prænunciatus, ex nomine nasciturus magnus in orbe. Natusq; fuit anno Domini Millesimo Ducentesimo vicesimo quinto. Hic existens infantulus,

tulus, cum à cunis pro balneo solueretur, nutu diuino, chartulam quandam humi iacentem, in qua salutatio Angelica continebatur, brachium extendens, nemine iuuante, suscepit, cui vix mater eripere potuit. Hic puer quinque annorum existens, missus fuit à parentibus ad monasterium montis Cassini erudiendus in primis literarum elementis, & moribus imbuendus. Cum autem esset annorum septem, Neapolim missus est, ad studium artium liberalium. Qui tanta celeritate naturalis ingenij, omnes artes didicit in septem annorum spatio, & præcellens omnes ingenio & labore, cunctis erat admirabilis. Cum autem esset annorum decem quatuor, Virgo electus à Domino, intrauit ordinem sanctissimum fratrum Prædicatorum. Hic etiam anno, quo intrauit ordinem, cum per fratres ordinis prædicti Romam perductus fuisset, & de Roma per Tusciam Parisias duceretur, vt à suis elongaretur parentibus, raptus & captus fuit in itinere per Germanos suos carnales, & vi ablatus fratribus, & missus ad matrem suam in castro montis S. Iohannis, vbi detentus, & custoditus, & clausus in carcere, stetit quasi per biennium in habitu ordinis, quem assumptum nunquam deseruit, nec ad deserendum aliquatenus flecti potuit. Deditus vero ibidem orationi, & contemplationi, ac studio scripturarum, tanquam in schola summi Magistri plurimum profecit, & vehementis libidinis suggestricem à carcere cum Titio fugauit. Vnde ex hac victoria tale donum à Deo est consecutus, vt postea nullum stimulum venereæ voluptatis sentiret. Postquam autem redditus est ordini, missus est Coloniam, vbi docebat Philosophiam & Theologiam, Doctor Albertus Magnus, eiusdem Ordinis Professor, à quo plurimum eruditus est spatio annorum duodecim. Cum vero attigisset vicesimum septimum annum ætatis suæ, Parisias missus, gradum Baccalaureatus in Theologia suscepit. Qui cum laudabiliter legisset sententias, & omnibus esset laudabilis, propter admirabiles quæstionum solutiones, assumptus est ad magisterium

sacræ

sacræ Theologiæ, anno ætatis suæ tricesimo. Qui viuens duntaxat postea annis viginti, maximos & pulcherrimos libros composuit, qui ferè libri complent numerum Centenarium. Hæc ex Breuiario nostro Slesuicensi hic recensere ac commemorare libitum fuit, (quamuis & alibi Sanctorum ac beatorum horum Patrum vita ac res gestæ prolixè & accuratè descripta reperiantur) tum, vt omni posteritati constet, quanto honore ac veneratione pia ac veneranda antiquitas, maiores ac progenitores nostri, etiam in charissima ac dulcissima mea patria Slesuicensi, Sacrosanctam memoriam eximiorum horum Doctorum olim prosecuti sint: qui tanquam clarissima ac splendidissima Ecclesiæ lumina, vt totum ferè terrarum orbem luce veritatis, splendore sanctitatis, miraculorum claritate insigniter illustrarunt ac decorarunt, ita quoq; doctrinæ ac sanctitatis eorum radij in Septentrionales has oras diuina gratia sparsi ac diffusi fuerunt: vnde & memoria illorum meritò adhuc nobis grata ac venerabilis esse debet. Præterea quoque sanctorum huiusmodi Patrum ex Breuiario nostro Slesuicensi mentionem hic facere, eorumq; memoriamq; renouare volui, vt omnibus innotesceret, quinam præcipuè sancti Ordines, (quorum ipsi sancti Doctores veluti origines ac capita fuerunt,) olim in mea Patria floruerint ac claruerint, quantaq; admiranda opera, ac insignia beneficia Deus per illos præstiterit, & Ecclesiæ nostræ Slesuicensi exhibuerit. Quę omnia meritò grato ac memori mente recolenda ac cogitanda sunt. Nam Prædicatores Slesuicum profecti, Anno 1235. cœnobium splendidissimum à fundamentis erexerunt, & ædificarunt: quod postea dirutum fuit, *vt infra dicemus.* Sed & Fratres Minores, *Slesuici*, Anno Millesimo Ducentesimo quadragesimo, Cœnobium erigere cœperunt.

Flens-

Flensburgi vero, anno 1232. in oppido *Tunderensi*, anno Christi 1238. *Ripis*, quæ Episcopum habet Peculiarem, anno 1232. vt & *Haderslebij*, *Husij* & *Koloniæ*. Mathildis quoque Regina, vnà cum fratre Nicolao, longo post tempore, hoc est, anno 1269. Quinto Idus Februarij, *Fratribus Minoribus*, Aream dederunt, in qua ædificarent & habitarent. Quæ omnia nunc passim diruta, partim in alios vsus translata sunt. Nam Slesuicense Cœnobium, à Fratribus Minoribus erectum, postea religione commutata in domum ciuicam & curiam conuersum est: & à Duce Friderico, qui posteaRex exortus est, ciuibus concessum. Quam & hodie possident. Prædicatorum autem monasterium, prorsus dirutum, & solo æquatum: cuius adhuc rudera ad ripam fossæ ciuitatis & Sliæ videre licet. Quanto satius fuisset, eiusmodi ædificia, quæ magnis sumptibus extructa sunt, sarta tecta conseruasse, vnà cum facultatibus, in religionis Christianæ & sacerdotum propagationem & sustentationem.

Itaque hac in re, prædicanda est prudentia Ottonis primi, qui Ecclesiam Slesuicensem fundauit: Nam, cum anno 940. post incarnationem Christi, Castellum *Risacum* (al. *Brisacum*) in Alsatia obsideret, & Episcopi omnes, de consilio Archiepiscopi Moguntinensis, Ottonem desererent, noctuq; clam se subducerent: milites vno ore authores Regi fuerunt, vt relicta ea regione rectà Saxoniam peteret: idque quam maximè è re eius fore, iustissimeq; defendi posse arbitrati sunt, quod ab Episcopis omnino desertus esset. Rex, qui turpe sibi existimaret fugere, animo præsenti ac imperterrito respondit; *Melius esse, propter iustæ causæ defensionem, mortem oppetere, quam fuga turpi vitæ salutem quærere.* Quibus verbis animati milites, spiritus sumunt, & ad pugnandum sese alacres

ac pa-

ac paratos esse affirmant. Comes verò quidam, qui maximam partem exercitus duceret, cum videret, Principes plerosque ab Imperatore defeciſſe, omninò sibi persuaserat, Imperatorem turbido hoc rerum statu, & necessitate vrgente, ei petenti omnia benignè largiturum & concessurum esse. Quare per amicos apud Regem instat, vt sibi, posterisq; suis, Abbatiam *Landtestreminensem*, vnà cum prædijs & possessionibus amplissimis donare non dedignaretur. Rex Comiti significari iussit, se coram, proprijsq; verbis illi responsum daturum esse. Comes moræ pertæsus rursus apud Regem instat, & negotium vrget. Rex tædio ac molestia affectus, cum petendi finem nullum faceret Comes, in hæc verba tandem prorupit; *Magis Deo quam hominibus, parendum, & sanctum canibus dandum non esse.* Existimabat enim Rex, & benè, quod, si Monasterium religiosis ereptum, secularibus daretur, ideo loco habendum, ac si Sanctum, & Deo Dicatum canibus daretur. Nec enim æquum est, vt Monasterium vnâ cum priuilegijs, viris sanctis ac Religiosis semel datum ac consecratum, eis iterum ereptum, hominibus secularibus, qui mundo militarent, donaretur. Hoc responsum (inquiebat Rex,) iam Comiti iniusta petenti do, teste vniuerso Exercitu & populo, neque vnquam aliud responsum me daturum profiteor. Quod si vnâ cum alijs quoq; discedere ac auolare decreuisti, id, quo citius, eò melius feceris. Comes, qui Regem commotum videbat, pedibus eius aduolutus, supplex veniam petijt, seq; grauiter deliquisse confessus est. Egregia sane, & tanto Principe digna oratio, qui non solum inuisibiles, sed & visibiles hostes vicerit, & semel Deo dicatum ad vsus humanos, transferre noluerit. (*Anno Domini* 1223: *Rex Danorum in propria terra à Comite Henrico de Zvverin;*

quod ei nimis duras ac graues, vt fertur, gratiæ suæ reconciliandæ conditiones imposuerit, inopinato casu in papilione seu tentorio proprio capitur, & in Danneburg graui custodia coarctatur. Annal. fol. 205. Henricus Rex Imperatoris filius curiam Bardevvick habuit, pro Regni negocijs & maxime pro liberatione Regis Danorum, sed nihil profecit. Ibidem. Vide rem pluribus in historia S. Engelberti à D. Gelenio nuperrimè descriptam. Anno Domini 1225. Rex Danorum 45. Marcarum millibus se redemit, exceptis clenodijs hoc est muneribus eximijs, gemmisq; preciosis, circa tria millia Marcarum æstimatis. Ibidem fol. 207.

Rex VValdemarus, cum perspiceret, vrbem Lubecam se Romano Imperio submisisse, indiesq; opibus, potentia, hominumq; frequentia, & negotiorum magnitudine auctiorem fieri: vsque adeò, vt se Daniæ Regno ferè æquaret, bellum Lubecensibus indixit. Rex Daniæ Exercitum naualem classe traiecit. Comes vero copias terrestres duxit. Rex ad ostium fluminis Traueuæ, munitiones duas extrui iubet, quibus præsidia committeret, cathenaq; ferrea flumen claudi curauit, quo illos nauigatione prohiberet. Quin &, ex classe quam in promptu habebat, nauem vetustate & carie penè consumptam, sumpsit & delegit, eamq; saxis grauissimis onustam ac repletam demersit: vt hac ratione portum Lubecensibus obstrueret. Quibus peractis, classem reduxit. Ciues cum viderent, quid Rex molitus esset; portum sibi obstructum, nauigationem intercluſam, negotiationesq; maritimas sibi ademptas, alueum alium fluminis parant, cui operi flumen è Ciuitate profluens, subsidio veniebat. Dū hæc Ciues moliuntur, classis quædam de improuiso mercibus onusta, passis velis secundisq; ventis concitata eò appulit: quæ rectà cursum suum tenens, cathenam illam rupit & dissoluit. Ita portus iste clausus iterum reseratus ac peruius factus est. Lubecenses ea re exhilarati & elati, spiritus sumunt, nauibusq; sex militaribus Regiam classem adorti, eam oppugnare contendunt.

Quam

Quam cum in statione viderent, Principem VVandalorum, ad bellum terra Regi inferendum precibus sollicitant, qui alioquin Danis erat infensus ac inimicus. Rex cum se ab vtraq; parte peti ac impugnari videret, Lubecensem classem inuadit, eaq; in fugam versa saluus ac incolumis in Regnum reuertitur. Ciues interea præsidijs ac munitionibus, quas Rex ædificauerat, omnibus destructis soloq; adæquatis, portum quoque in pristinum statum restituere incipiunt. Non multo post, pax certis conditionibus inter illos inita fuit, qua stabilita, quadriennio post Rex è viuis excessit.

Liberi VValdemaro II. fuerunt, Christopherus I. Rex Daniæ 85. (de quo postea) Iuditta, Hans Marchioni Brandeburgensi nupta. Niels filius naturalis. S. Ericus VI. Rex Daniæ 83. de quo postea. Abel Dux Slesuicensis IV. (de quo infra) Ericus Dux Hollandiæ obijt anno 1304. Ringstedi sepultus. Canutus Dux Hollandiæ obijt anno 1260. Ringst. sepultus. VValdemar qui vna cum Patre regno præfuit. Anno 1218. ex Eleonora natus, propterea à quibusdam dictus III. verum ante Patrem ex improuiso, à ministro in sylua Refnes apud Calunborrig sagitta ictus, fatis concessit. Anno Christi 1231. ad plenariam & omnimodam gubernationem Regni non peruenit. Ringstedi sepultus.

CAPVT V.

ADOLPHVS IV. in Holsatiam reuocatus, de VValdemaro II. gloriosam ad Bornhouede obtinuit victoriam A. C. 1226. Holsatiâ receptâ, tandemq; pace constitutâ, oppidis Itzehoæ, Chilonio, Altenburgo, & Plone, ius municipale Lubecensium attribuit, quo etiamnum vtuntur. In Liuoniâ contra Lithuanos bennium felicissimè militauit. Tandem factus Monachus Fratrum Minorum anno 1238. Cœnobio

Hamburgensi, in quo Missam celebrauit, Anno 1244. die S. Gregorij, derelicto, in Chilonien si commendicatis à se subsidijs ædificato vitam finiuit, A.C.1261. ibidemq; sepultus. Vxor Adelheid Querfurtensis.

Liberi Adolpho IV. fuerunt. Iohannes primus, Comes Holsatiæ, (de quo infra) Gerhardus primus, (de quo postea:) Mechtildis, Abeli, Duci Slesuicensi IV. & Regi Daniæ 84. nupta anno 1237. cui, socer cœnobium ingressurus, Holsatiæ commendauit gubernacula: Luderus 12. annorum puer obyt.

ALBERTVS *de Orlemundâ, Præfectus Regius in Holsatiâ & Hamburgo, post Adolphum III. reiectum, Hamburgensibus omnia sua iura sibi à Rege Daniæ VValdemaro II. concessa vendidit, A.C.1223. quò libertatis plenioris sequutæ initium fecit, ab Adolpho IV. tandem captus.*

Flamen Ioannes coniungit prouida mentis
Consilia, vt leges Rex ferat ipse graues,
Fratrem Abel insontem, mox mactat dirus Ericum,
Horrendumq; Dei vindicat ira scelus.

A.C.1240.

ANNO à Christo nato, Millesimo Ducentesimo quadragesimo, Iohannes Episcopus Slesuicensis factus est, consecratus à Christophero Archiepiscopo Lundensi, qui ea ætate vixit, vt ex Nomo Canone colligitur. Hic in Choro Slesuicensi sepultus est, non longe ab eo loco, publicè vbi lectiones haberi ac recitari solent, ante Episcopi Cathedram, vt ex lapide eius sepulchro imposito liquet, cuius hæc est inscriptio IOHANNES EPISCOPVS. Is est Iohannes, qui à Rege Danorum Waldemaro accersitus erat Wardingburgum, cum leges Iutiæ, iussu Regis colligerentur & promulgarentur, quæ in libro Legum Danicarum vulgo Lohobuch nominato extant. Inter Authores enim alios, & Episcopos, qui illas collegerunt, & quorum mentio fit

fit in procœmio, Ioannes etiam Episcopus Slesuicensis recensetur ac numeratur. Cui promulgationi etiam interfuerunt Ericus & eius Frater Abel Slesuicensis. Vnde colligere licet, Waldemarum Regem fuisse sapientissimum & iustissimum, vt qui ad rem tantam in consilium adhiberet, viros Doctrina & pietate præstantissimos, vt ea, quæ essent ex vsu Regni, in commune consulerent. Nam & Composito Legum illarum satis argumento ac indicio est, Authores earum, non solum in sacris literis versatissimos, verum etiam Iuris Pontificij & Cæsarei peritissimos fuisse, ex quibus multa capita Legum de verbo ad verbum desumpta esse constat. Controuersiæ autem si quæ grauiores inciderent, vt de Iuramentis, de periurijs, de Nuptijs, eas Episcopis committendas & dijudicandas reliquerunt. Et hæc de Nomo-Canone satis.

Hæc ætate anno 1239. *Comes Adolphus de Schovvenburg se reddidit ad Fratres Minores, Sabbato die Hyppoliti, relinquens post se puerulos, Ioannem, Gerhardum & Ludouicum, quibus Tutorem dedit Generum suum Abel, Ducem Daniæ, cuius Frater Ericus Rex Daniæ iunior duxit Filiam Alberti de Anehald, die Dionysij.* Annal. fol. 213. *Adolphus Comes Holsatiæ, postquã in ordinem Fratrum Minorum sese dedidit, Romam proficiscitur, beneficium absolutionis consecutus, vt ad sacros Ordines promoueri posset, dispensante Papa, iniuncta ei pœnitentia. Idem Adolphus Subdiaconus, rediens à Ioanne Episcopo Ordinis Prædicatorum Magistro, in Diaconum, & à Ioanne Lubecensi Episcopo in Aduentu Domini* 13. *Kalend. Ianuarij in Presbyterum ordinatus, in Dominica Omnis Terra primam Missam in Zuintina loco valde solitario, & Fratrum Minorum Eremitorio, & in Hamburgensi, vbi Comes fuerat, in Quadragesima apud Minores Fratres die Gregorij celebrauit.* Annal. fol. 217. Sanctissimi ac Glorioſissimi Comitis huius Holsatiæ, Adolphi, eximijs,

mijs, Generosi animi, corporisque dotibus, Generis claritate, vitæ sanctitate, cordis humilitate, belli felicitate, insigniumque de hostibus suis victoriarum gloria ac decore, celeberrimi ac eminentissimi Principis, vitam ac res gestas præter alios *Continuator Helmodi Presbyter quidam Bremensis, in manuscripta historia iam sæpius allegata,* aliquantò prolixius; stylo quidem non admodum compto atque expolito, certa tamen ac indubitata fide ac constanti veritate recenset ac commemorat; ex quà in sempiternam Glorioſissimi huius Ducis Adolphi memoriam, nonnulla ad posteritatem huc transferenda esse existimaui. *Illis diebus mortuo Rege, (scilicet VValdemaro I.) quædam Mulier dicta,* Nigra Margareta, Regina Daciæ, *sceptrum & Diadema, Regum opera viriliter agens, suscepit, terram Holsatiæ hostiliter inuadendo castrum* Gottorpe *muniuit, & ante illud vallum* Dennevverck *nominatum (de quo suprà prolixius actum) iterum reficiendum ac instaurandum, muris, ac fossis muniendum curauit, incipiens à flumine* Slie *& vsque in* Fresiam *sese extendens, miro & ineffabili opere terram Daciæ ab Almanis diuidens atque excludens. Hæc Regina cum filio suo Rege Canuto obsedit Hamburg ingenti ac valida classe, & aquam* Albeam *longis palis ex vtraque parte ripæ constringens, in medio fluminis profundi, cathenam magnam pro clausura affixit. Dicitur etiam, quod ante castrum & oppidum* Itzehoe *magno exercitu castra metata fuerit & sequenti die Natiuitatis Mariæ Virginis, super flumen* Store, *ponte & aggere facto, intrare castrum & trans torrentem flumen ire in paludem prætendens, vna & eadem die contra naturalem cursum, dictum flumen* Store *bis vltra solitum ascendendo effluxerit: ita vt pons & agger vi fluminis sint effracti, & sic opus & inceptum eius irritum ac frustraneum fuit.* Et tunc imago B. Virginis visa est super castrum. *Quare incolæ dicti oppidi, & castellani, sequentem*

quentem diem Natiuitatis B. Virginis, ob memoriam huius, & liberationem suam, deuouerunt continuò singulis annis solenniter celebrare. Et ob inde nomen huius diei etiam hodie dicitur Ciuium dies vulgo Borgerdach. Illa etiam castrum Segeberg obsedit, & ante illud paruos colliculos, & desuper munitiones, sicut hodie apparet, extrui fecit, tandemq; castrum ex animi sententia obtinuit. In quo castro, suum posuit aduocatum, & capitaneum terræ Holsatiæ, quam iam sibi subegerat, vsque ad castrum Itzehoe & flumen Store, & paludem ab alia parte iacentem. In quam paludem multi de Holsatis Nobilibus, propter tutum locum, timentes Danorum potentiam, neque Danis subijci volentes, se contulerunt. Volebant enim Dani, sicut cœperant, totam terram Holsatiæ subijcere sibi & legibus suis, ita vt lex Holsatorum & ius vulgare penitus exstingueretur, & deinceps secundum legem & librum Danorum Loboke iudicari deberet. De quo Holsati, Danis subiecti, magnopere sunt conquesti, quod legibus suis solitis ab antiquo deberent priuari, nouaq; & incognita vti, ita vt etiam remurmurare contra Capitaneum in castro Segeberg positum inceperint, quando aliam legem, & aliud ius quam suum solitum imponere visus fuit, dicentes vti lege sua velle Holsatica, &c. Illis autem diebus non erat Princeps in terra Holsatiæ, sed dicitur, quod fuerit quædam nobilis Domina in palude Crempis, iuxta Itzehoe in castro Kellingdorpe, nomine Domina Deestz de Kellingdorpe: hæc transtulit se ad Dominum Comitem Schovvenburgensem, petijtq; ab eo, sibi & terræ Holsatiæ dare vnum ex filijs suis ad regendam ac gubernandam terram ne dedignaretur. Et tradidit illi adolescentem, filium suum Adolphum, quem dicta Domina Deestz secum ad Patriam, vt Dominum terræ Holsatiæ & hæredem cum gaudio magno reportauit. In cuius aduentum Holsatis, in palude Itzehoe, & etiam sub Dominio Danorum positis, magna exultatio & lætitia exorta est. Tunc

Holsati conglobati, hinc inde reuersi, Capitaneum & aduocatum prope Segeberghe iterum rogarunt, ius sibi Holzatense administrari: Respondens eis dixit, Quale ius eligitis habere in patria vestra? Tunc ex primis, & maioribus, & Nobilibus, Holzatenses extracto gladio vibrante, imperterrita voce clamabant. Ius nostrum solitum ab antiquo retinere volumus, & gladio tueri: à quo facto vulgare verbum postmodum in Holsatia extitit & hodie adhuc dicitur Ius Nostrum gladio defendimus. Vnde dictus Capitaneus videns Holsatorum tam præsumptam audaciam insolitam, nesciens, quod aliud caput, nouum Dominum & Principem super se statuissent, timens, in fugam se vertit, quem & ipsi Holsati subsequentes interfecerunt. Exinde Holsati erecto capite & in publicum educto Domino suo Adolpho Comite de Schovvenburg, adhuc adolescente, se & Patriam suam, resumptis pristinis viribus, adiutorio diuino subsecuto, & gladio magnanimiter defendebant, Danos successiue de finibus suis expellentes. Nam omnipotens & misericors Deus non sinit afflictum semper affligi, sed aliquando dat respiramen. Ita & illis diebus, Holsatis per Danos pressis ac tribulatis dedit consolationem, & suscitauit propugnatorem dictum Comitem Adolphum, alterum Iudam Machabæum. Nam vt Iudas diuino fultus subsidio, superbum Regem Antiochum, legem Iudaicam destruentem, deuicit, ita & hic Adolphus Canutum Regem Daniæ, ius Holzatense vi supprimere nitentem, eneruauit. Dictusq; Canutus Rex Daciæ, post obitum Matris suæ Nigræ Margretæ, magnam partem Holsatiæ terræ vi retinens, Ciuitatem quoque Hamburgensem à longo tempore obsedit, è conuerso dictus Comes Adolphus contra præpotentem Regem Daciæ pro victoria obtinenda supplex Deum orabat, Regemq; Daniæ Hamburg obsidentem armata manu aggressus, eum cum suis inde in fugam conuertit, multis de Danis cæsis ac interfectis. Ita Nobilem & Antiquam Ciuitatem in pristinam duxit libertatem. Hoc initium

tium victoriæ dedit ipsi Deus cœli, anno Domini Millesimo Centesimo nonagesimo nono. Attamen Rex Daniæ (quidam hoc referunt ad VValdemarum II. Canuti successorem) cum Danis à persecutione non cessans, non solum terram Holsatiæ, sed etiam ciuitatem Lubeck terra mariq; vexabat ac infestabat. Nam (vt ante dictum est,) dictam ciuitatem Lubeck primò Adolphus Comes, postmodum Illustris Henricus Dux Saxoniæ & Bauariæ fundauerunt. Post quorum obitum Rex Daniæ non contentus regno suo, hanc quoque Ciuitatem, necnon Holsatiam & Hamborg vna cum Ditmarticis subiugare simulq; occupare & possidere volebat. Nam de Regno suo, cuius limes fuit in Egdora ante Rendesborg nunc nominatum, per Fresiam, quæ tota pertinebat ad Regnum, intrauit Dithmarciam, quibus victis, cum ipsis Ditmarticis transiuit in Holsatiam, vsque in Bornehouede, in via omnia subiugando. Vbi dictus Comes Adolphus cum Holsatis & Lubecensibus dicto Regi occurrens, hinc inde castris ordinatis, & vexillis erectis, Ditmarcicorũ in fine Exercitus Regis existentium clypeis subuersis, magno profuso sanguine ex vtraq; parte, Danisq; quam plurimis interfectis, Deus cœli dicto Adolpho dedit iterum triumphum & Regem vicit & cepit. Anno Domini Millesimo Ducentesimo duodecimo. Pro quo triumpho sit Deus semper benedictus, Amen.

Narratur supra de Ditmarcicorum clypeis subuersis vel conuersis, & dicitur pro certo communiter, quod, quando Ditmarcij à dicto Rege fuerant subiugati, quod miserint certos suos nuncios ad Adolphum Comitem, nunciantes illi, quod Rex sibi habeat propositum, sicut illorum terram & ipsos subiugasset, & tributarios Regni Daciæ fecisset, ita quoque Holzatos, eorumq; terram occupare & possidere, attamen intellexissent, quod Comes si modo posset, illos strenuè tueri ac defendere vellet. Vnde si cõtingeret, quod ad bellum simul conuenirent, Rex & Comes, ipsi Ditmartici cum

essent in extremitate castrorum regis positi, in congressu belli, ipsi à tergo Regem & Danos fortiter adoriri ac percutere vellent, cum Holsati ab acie castrorum bello dimicare inciperent, & hoc pro signo haberent, si simul contra Holzatos inopinatò venirent, quod eorum clypei inuenirentur retrouersi, scilicet quod acutum clypeorum suorũ inferius ponendum secundum communem modum, ordine conuerso superius ponere vellent. Hac tamen conditione apposita, si Comes Adolphus & Holsati victores fuerint, ipsi Dithmartici pristina frui vellent libertate, Et ita Comes Adolphus spopondit & seruauit, dictusq; Adolphus Comes ob victoriam obtinendam Deo vouit, quod si daret sibi contra Regem triumphum, Ordinem S. Francisci Fratrum intrare vellet, conditione apposita, datis sibi hæredibus à Deo, qui terram regere ac gubernare possent, quod tunc votum suum perficere ac implere vellet. Nam circa idem tempus scilicet Millesimo Ducentesimo sexto, hi duo ordines scilicet Fratrum Prædicatorum & Fratrum Minorum in Ecclesia originem cœperunt. Nam Ecclesia Dei illis diebus ab Hæreticis multipliciter infestabatur ac vexabatur, & cultus diuinus per Italiam diminutus erat. Ita Deus duos hos ordines contra Hæreticos & ad augendum cultum suum ordinauit. Victo itaque ac superato tam valido ac potenti hoste. (Quod enim ipsi impossibile erat humanis viribus, beneficio voti, quo se Deo astrinxerat, habẽs recursum ad Deum omnipotentem, vt si Triumphator existeret, ordinem Francisci Fratrum Minorum intrare vellet, perfecit ac impleuit,) datisq; sibi & concessis à Deo duobus filijs & hæredibus, scilicet Comitibus Ioanne & Gerhardo, ipsisq; adultis, & terram gubernare potentibus, dictus Comes Adolphus Deo votum suum adimplendo, Ordinem Fratrum Minorum, in Monasterio ciuitatis Hamburgensis ab Episcopo fundato, cum duobus suis militibus, dictis de Gykow humiliter & deuotè Deo sub regula & obedientia intrauit seruiturus. Factus autem frater Minor, Curiam

Aposto-

Apoſtolicam ad videndum Dominum Papam, ſecumq; diſpenſandum ſolerter intrauit. Vbi tunc Dominus Papa ad ſuſcipiendum ordines ſacros & Presbyteratum, cum illo miſericorditer diſpenſauit, vnumq; Ordinem ſacrum à dicto Domino Papa ipſemet recepit, ac in eadem via ad S. Franciſcum Fundatorem Ordinis, *ad videndum, ad colloquendum, ad conſulendum tam ſanctum ac deuotum virum tranſtulit ſe ingenti deſiderio ſummaq; deuotione, à quo ſancto viro benignè eſt receptus, in charitate firmatus, verba conſolatione plena ſine fuco ac fallacia ſecum reportando. Et anno Domini Milleſimo Ducenteſimo quadrageſimo quarto in ciuitate Hamburgenſi ſuam primam Miſſam decantauit.* Hæc mutatio dextræ Excelſi, qui primo miles terrenus fuit, Regem Daciæ Canutum, magnum Tyrannum de ſuo territorio, vim vi repellendo, expulit, nunc miles ſupercœleſtis Regem infernorum, Tyrannum maximum Diabolum, pedibus proprijs ſubſtrauit & euicit, non gladio, ſed lachrymis & humilitate. *Nam dicitur de eo, quod pro acquirenda Elemoſyna, pro butyro alijsq; vitæ neceſſarijs oſtiatim mendicandis cum amphora vt vnus ex reliquis fratribus de conuentu circumire ſolebat. Et contingebat, quod in oppido* Kilone, *vbi etiam monaſterium fundauerat, ipſo exiſtente in platea cum amphora plena lacte in manu tenente, filijsq; eius Comitibus cum magno comitatu per dictum oppidum & plateam equitantibus, ipſe obuiam filijs veniens, amphoram cum lacte tegere præ verecundia vellet, ſed ſpiritu fortitudinis roboratus, per rationem ſenſualitatem vincens, lac de amphora ſuper totum ſuum caput effudit, dicens intra ſe:* miſera ac infelix caro, erubuiſti Chriſti pauperiem portare ac baiulare lac in amphora, ne verecundareris, nunc porta ſuper caput, vt confundaris, memor dicti Apoſtolici dicentis Nos ſpectaculum facti ſumus Deo & hominibus. *Et vixit in ordine annis quatuordecim, & anno Domini*

mini Millesimo Ducentesimo sexagesimo (alij sexagesimo primo) obijt in Domino feliciter, in Conuentu Fratrum in Kylone, in humo sepultus. Hic Comes Adolphus fundauit Ecclesiam Nygenkerke in terra Oldenborg, in honorem S. Antonij sui Ordinis, Fratris Minoris, non illius Magni Antonij sancti, quamuis plures putent illum esse patronum, eiusq; imaginem in Ecclesia prædicta habeant, sed non est ita, & debet imago eius esse Fratris Minoris. Item hic Adolphus visitauit vna cum aliis prælatis fratres in Monasterio Nouo, ordinauitq; vt sorores segregarent à se. Hic etiam dedit Oppidanis in Itzehoe priuilegium habendi ius Lubecense, simulq; libertatem illi oppido in pascuis & syluis, ijs vtendi ac fruendi, concessit, anno Domini Millesimo, Ducentesimo tricesimo octauo. Et est verisimiliter credendum, quod Castrum in Kyl & oppidum constrúi fecit. Ipse quoque oppidanus per terram Holzatiæ, scilicet in Plone, Oldenborg, & in Kylone libertate ac immunitate concessa à Iure Holzatiorum, constituit ac attribuit eis ius Lubecense, eò, vt eorum oppida citius munirentur propter libertatem fori. Et consimiliter filij dicti Adolphi scilicet Ioannes & Gerhardus eadem priuilegia oppidanis in Itzehoe, Kylone & cæteris data, rata habentes confirmarunt, anno Domini, Millesimo Ducentesimo sexagesimo.

Ipse quoque Adolphus Comes, Frater Minor factus, Monasterium in Kyl, in honorem B. Virginis Mariæ fecit dedicari circa annum Millesimum Ducentesimum. Hic Adolphus Comes erat de domo Schovvenburgensi natus, prout etiam plures ante eum de tali domo nati, etiam nominati Adolphi, rexerunt terram Holsatiæ in magna virtute ab initio Christianitatis. Hæc illic.

Hanc autẽ sanctissimi ac inuictissimi, magnanimique huius Herois Adolphi Ducis Holsatiæ glorioßissimam vitam, beatissima tandem mors excepit ac consecuta est. De qua Cardinal. Baron. *Annal. hist. in an.*

1239.

1239. sic commemorat. *Adolphus hoc annō ad ordinem Minorum S. Francisci institutum admissus, reliquit ille Comitatum Holsatiæ, quem rebus feliciter gestis adusque maturam ætatem administrarat, & honoribus maximis apud Imperatorem fuerat functus. Is, cum sanctam & humilem in illa familia vitam egisset, moribundo astitit, communis omnium Religiosorum Patrona, ac Mater Dei, Deipara, innumerabilium Angelorum comitatu stipata, eumq; trepidantem ita confirmauit.* Quid habes fili? quid times? aut cur ob imminentem mortem angeris? veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter seruisti, tibi coronam Gloriæ dabit. *Quibus ille verbis & aspectu adeo recreatus est, vt omnis horror mortis in ingentem lætitiam fuerit conuersus.*

Hic adijcere libet Epitaphium Adolphi Comitis Holsatiæ: quod ei Fratres Minores posuerunt Chiloniæ in Monasterio S. Francisci.

Quondam nostrorum pater & speculum Dominorum,
Laus Holsatorum, Comes Adolph, regula morum,
Hic situs est flos florum, & honos, & gemma bonorum,
Cui dedimus sertum nostrorum more Minorum,
Ne prauorum animæ noceat fraus Dæmoniorum.
Oramus Deus vtq; receptet in alta polorum.

Huic non multum dissimile, & alterum sancto Vicelino Episcopo (cuius vitam ac res gestas suprà descripsimus) Epitaphium erectum in templo Monasterij, Bardesholmij, prope Kyloniam siti.

Ossa pij Patris hîc condita sunt Vicelini.

Addita metra, quæ ipsi vocant quadrangula.

Aldenburch	*Præsul*	*Holsatis*	*nobile*	*germen*
Præsul	*finalis*	*præstans*	*tutamen*	*alumnis*
Holsatis	*præstans*	*lumen*	*purißima*	*gemma*
Nobile	*tutamẽ*	*purißima*	*gemma*	*refulgens*
Germen	*ilumnis*	*gemma*	*refulgens*	*ô Viceline.*

CAPVT VI.

Anno 1245. *VValdemaro mortuo, S. Ericus VValdemari secundi natu maximus filius, contra voluntatem Patris* Rex *Daniæ* 83. *creatus est, à Fratris satellitibus securi cæsus, & in flumine Slia prope Slesuicum proiectus, interijt Anno* C. 1244. (*Baron.* 1251.) *Regni verò sui anno* 9. *quem nondum expleuerat. Leges Regni Danici, iussu Regis Christiani* IV. *per Generosum, Strenuum ac Nobilissimum* D. *Cancellarium Christianum Frijs, Hæreditarium in Kragerup Equitem auratum, cæterosq; Regni proceres, Illustres ac splendidissimos Equites anno* C. 1621. *renouatas, promulgauit, anno* 1244. *Slesuico vbi sepultus, Ringstedium translatus anno* 1257. *Filiæ ei fuerunt, Iuditha & Agnes factæ Moniales, Ingelburg Magno Regi Norvvegiæ, & Sophia VValdemaro Regi Sueciæ nuptæ.*

Abel *alter VValdemari secundi Filius S. Erici Frater, Anno* 1232. *Dux Slesuicensis creatus est, cuius etiam meminit Ius Danicum in proœmio, Slesuici aulam & domicilium habuit. Anno* 1237. *Dux Abel Filiam Comitis Adolphi de Schovvenburg duxit vxorem* 7. *Calend. Maij. Tandem post perpetratum fratricidium Rex Daniæ* 84. *Anno* 1250. *creatus, à Frisijs vero Eiderstadiensibus interfectus, Anno* 1252. *Slesvvigæ in templo Cathedrali sepultus, exinde in syluam Poele translatus. Monialibus Slesuicensibus priuilegia dedit. Vxor Mechtildis Holsatiæ Comes, ex qua tres Filios suscepit, VValdemarum Ducem Slesuicensem sanctum, &c. Ericum Ducem Slesuicensem sextum &c. (de quibus posteà,) Abelem qui in pueritia Obijt, Svveinburgi sepultus, Anno* 1270.

Waldemaro igitur rebus humanis exempto, Ericus Filius eius natu maximus, in regni Imperio ac administratione successit. Abel autem Patris iudicio ac voluntate fretus ac confisus, Fratri Erico se anteponi

teponi debuisse existimabat. Ideoq; Ericũ, se posthabito, contra decretum ac voluntatem Patris Regem electum ac designatum sibiq; Prælatum, indigne ferebat. Quam ob rem, Erici imperium, initio graues motus exceperunt. Nam Adolphi Comitis Holsatiæ, eius, qui Monasterium ingressus erat, Filiam, Abel in matrimonio habebat. Quocirca Ioanne & Gerhardo, affinibus, Comitibus Holsatiæ fretus, rem armis tentare constituerat. Manu itaq; militum ex suis & exteris collecta, Regẽ oppugnare decreuit; Huic affines subsidio veniunt. Rex Ericus videns se peti, amicorum auxilio stipatus, ditionem Comitis Ioannis ingressus, eam diripuit. Ibi tum, à *Gunzelino* Comite Svverinensi, quo Rex familiarissime vtebatur, vrbs *Oldesloum* capta est. Holsati, qui in præsidijs & munitionibus erant, ditionis suæ defendendæ causa, partim occisi, partim capti, alij, quo vitæ suæ consulerent, fuga elapsi sunt. Quo tempore Ducatui & Episcopatui, damnum maximũ illatum, Ecclesiaq; Slesuicensis grauiter afflicta fuit, cui tamen in damni accepti compensationem, Abel postea, pace facta, bona quædam & prædia in *Iarnvvitho*, largitus est. Quam donationem postea, Ericus Rex, Abelis Fratruelis, Ecclesiæ Slesuicensi, confirmauit: vt ex literis ea de re datis constat.

ERICVS *Dei Gratia, Danorum Slauorumq; Rex Christophori Filius, omnibus præsens scriptum cernentibus salutem. Quia Patruus noster Abel, quondam Rex Danorum, Ecclesiæ B. Petri, pro damnis, quæ Rex Ericus, bonæ memoriæ, eidem Ecclesiæ, tempore Belli intulit, possessiones quasdam in Iarnvvith contulit, & Scotauit, iure perpetuo possidendas. Nos Indemnitati omnium Ecclesiarum Regni nostri intendere cupientes, Scotationem à dicto Patruo nostro Abel ratam habemus & acceptam. In cuius rei testimonium, præsentes literas sigillo nostro fecimus roborari. Datum Rostoch A.D. 1259. Idus Octob. 8. in præsentia Dominæ Reginæ.* Quæ

Quæ tamen donata ac concessa Ecclesiæ dona ac prædia, viliora & minora extiterunt, quam vt damnum datũ & acceptum, posteri annos plures deinceps inde sarcire, ac compensare potuerint. Quibus rebus effectum est, vt omnium animi in Abelem propenderent: tam metu discriminis & periculi, in quo versarentur, quam propter summam crudelitatem, quam Erici milites exercuissent. Tantus enim omnes terror inuaserat, vt ex subditis, multi innocentes fugerent, suppliciorum & tormentorum, quibus vexarentur, euitandorum causa: multi etiam supplices Regi facti sese dederent, & fide data promitterent, se in officio permansuros & imperata facturos esse. Tandem Ericus & Abel, amicorum interuentu reconciliati fuerunt, subditis id obnixè petentibus, vt qui Ditionem & Agros vastari, & Diuina Humanaq; misceri viderent. Itaque metu coacti, pacis leges ab eo, qui victor esset, acceperunt. Rex ericus, qui *Diuum VVenceslaum* coleret, (is Bohemiæ fuerat, & à fratre suo interemptus in numerum Diuorum relatus erat) nocte intempesta, vidit sibi *VVenceslaum* astantem, hæc verba effari. *Bono animo esto Erice frater, Ego tibi adsum, quem colis & honoras, tibiq; nuncium affero, te eodem mortis genere sublatum iri, quo Ego occubui: interim tamen Cœnobium te extruere iubeo.* Cuius monitis & verbis obsecutus, Cœnobium in terra *Reualiensi* ædificare cœpit. Quod tamen non exædificauit. Nam antequam id ad exitum perduceret, è vita sublatus est. Ericus, qui illud *VVenceslai* vaticinium ferè susq; deq; habebat, vt qui Regnum iam satis pacatum ac confirmatum se habere existimaret, ab hostibus nihil sibi quicquam mali timebat, omninoque sibi persuasum habebat, vaticinium impleri non posse, priusquam Cœnobium ædificasset. Quare in eo ædificando

cando procrastinare, & diem ex die ducere cœpit: sed & à fratre nihil sibi metuendum existimabat, quod anno superiori reconciliati, omnem ex animo dissensionum memoriam deleuissent, simultatesque deposuissent, quarum ne scintillam quidem supereſſe putabat: idq; ex eo colligitur, quod Fratrem Ericum paulò post inuiseret, & Slesuicum contenderet, cum eo sese exhilaraturus. Quem venientem Abel humanissimè excepit, odio quod adhùc in visceribus hærebat, abscondito ac dissimulato, quod vsque adeo radices egerat, vt Abel, qui Regni cupiditate flagraret, vitam sibi acerbam existimaret, nisi Fratrem sustulisset, quippe qui Regni causa iusq; fasque violare non dubitaret. Cum autem multis colloquijs tempus fallerent, & Rex Ericus ludum latrunculorum, seu vt vulgus appellat, *Scachorum*, cum Nobili quodam luderet, nihil mali suspicans, ecce de improuiso Abelis satellites, Regem Slesuici inuadunt, captumque in lembum vel nauiculam conijciunt, & *Slia* flumine vecti, cum ad eum locum, vbi minima est fluminis latitudo & traiectus breuissimus vulgò zum Sunde, peruenissent, Danus quidam *Lago*, vnus ex Regis satellitibus, qui Regem maximè oderat, ac de eo interficiendo mandatum habebat, in hæc verba prorupit, *Scito* inquit, *ô Rex, tibi statim moriendum esse.* Cui Rex; *Id ego pro certo habebam, vbi in tuas manus incideram, interim tamen, hoc vnum peto, vt mihi Sacerdos concedatur, cui peccata mea confitear, priusquam mortem hanc funestam oppetam.* Qui cum accersitus esset, Rex delicta confessus, & absolutus fuit, vt virum Christianum decebat, qui animæ suæ æternum consulere volebat. Ibi tum Rex, *præsagiebat mihi animus, me à fratre meo interfectum iri, interim tamen mortem tam præmaturam & præproperam non expectabam: peccata & delicta quidem*

mea, eiusmodi mortem meruerunt, idq; fateor, sed Fratrem meum Abelem, nisi ad meliorem frugem sese receperit & resipuerit, idem Exitus & quidem huic non dissimilis manet. Vaticinium Regis morituri, verissimum fuisse, mors Abelis comprobauit. Rex autem Ericus in lacu Slia prope Slesuicum eo ipso tempore, securi in naui percussus animam exhalauit, interim tamen ei caput præcisum non fuit. Cadauer exanime saxo affixum in flumen Sliam iectum est, quod tamen paulò post è fundo emersit, & supernatare visum, & appulsum ad Ripam *Sliæ*, eo in loco, vbi in eius rei memoriam, *Crucem ligneam*, posteri collocarant, inuentum fuit. Quæ crux adhuc Patrum nostrorum memoria, in prato illo ad ripam stetit, licet nunc collapsa & diruta sit: inde corpus Slesuicum translatum, & in templo *Diui Petri* prope chorum sepulturæ traditum fuit. Effigies Regis ex ligno facta, adhuc extat in domo capitulari, cuius hæc est species: Vir corona redimitus, facie pallida & lurida, capillis passis, barba nigra, manibus & pedibus constrictus & colligatus, tunica oblonga & ad talos vsque demissa, calceis acutis & cornutis, prout eo tempore mos fuit, baltheo autem aureo per medium pallæ talaris infra lumbos cinctus: sed & compedes, quibus Rex colligatus fuit, adhuc extant: quas etiam nobis pueris exhibuerunt & commonstrarunt. Pro certo etiam refertur, dum funus adueheretur & efferretur, omnes campanas, sonum nullo pulsante, edidisse. Piscatores etiam Slesuicenses, eo in loco, vbi Ericus in flumen iectus esset, sæpe candelas cæruleas ardentes, aspectu horridas vidisse, maiores nostri memoria proditum dixerunt. Corpus autem Erici multis post annis clam subtractum, & in Daniam Ringstedium translatum & perductum esse ferunt, vnde & Antiquitas pia ac veneranda

randa Regem hunc admodum pium ac deuotum, iniustaq; cæde peremptum, ac in Diuorum numerum relatum, summo cum honore ac veneratione coluerunt ac celebrarunt. Brachium eius Slesuici retentum, precibusq; nostrorum impetrarum esse, idque adhuc ibi extare, certissima & constantissima fama est: quod ab Ecclesia olim in tanto honore ac veneratione fuit habitum, vt Monachi mendicantes illud vbique circumferrent, ac populo spectandum exhiberent, additis precibus & promissione proposita, vt si quis in Dei honorem ac gloriam, Ecclesiæ ædificationem ac ornamentum, & B. Erici piam recordationem, suam liberalitatem ac beneficentiam opere demonstraturus esset, ipsum vicissim propter Christi meritum, & B. Erici suffragium ac intercessionem, pœnarum indulgentiam, & dignam in cœlis mercedem, recepturum esse. Cuius ostensi brachij reliquias, tanto honore ac reuerentia populus est prosecutus, vt eius beneficio, tantum æris ac pecuniæ collegerint, quo ambitus templi Slesuicensis amplissimus ac ornatissimus exstructus & ædificatus fuit. Cædis autem huius tragicæ ac lugubris conscij & authores, tragicos exitus habuerunt. *Lago* author cædis in Holsatia inter ludendum confoditur, *Hermannus Kenckyverderus* Nobilis miles, qui cum Rege, dum caperetur, luderet, delicti & criminis alicuius insimulatus, à rusticis fossoribus interficitur. Iusto Dei iudicio condignam meritorum suorum mercedem retulerunt, sanguinemq; iniustè effusum sanguinis profusione luerũt. Eodẽ anno, quo Ericus rebus humanis exemptus esset, Ioãnes Comes Holsatiæ, cladis acceptæ (*de qua suprà,*) memor, vt Abelẽ ad Regnũ Daniæ cueheret, ope & auxilio Archiep. Bremensis, & auunculi Simonis Electi Paderbornensis, collecta militum

manu in Daniam expeditionem fecit, & arcem Rendesburgum, quam Rex Ericus munierat & præsidio firmauerat, oppugnare cœpit: sed cum ad diem *Laurentij*, de Erico interfecto, rumor allatus & vulgatus esset, quem etiam paulò post rei veritas comprobauit, Ioannes ab expugnatione iterum recessit.

CAPVT VII.

Sacrilegâ cum tecta manu Mars sacra profanat,
Eschillus populum dogmata sacra docet.
Sed Deus est vindex scelerum, nam milite cæso
Rex bello captus, vincula dura gerit.

A. C. 1257.

Anno 1250. Eskillus, Natione Danus, Dei & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Slesuicensis designatus & confirmatus fuit. Hic in choro Slesuicensi sepultus est, ea parte, quæ ad austrum vergit, non procul à valuis ante Cathedram Episcopi, vbi nomen eius solum incisum atque insculptum inuenitur.

Hac tempestate Abel fratricida, Rex Daniæ 48. creatus, vt cædem ac parricidium commissum, aliqua ratione expiaret, & pietatem præ se ferret, Virginibus Deo dicatis, vel Religiosis, quæ in Cœnobio Slesuici *Diui Ioannis* commorantur, priuilegia & immunitatem donauit, vt Coloni cœnobij ab omnibus exactionibus immunes sint ac liberi, & ne illorum quisquam Regiæ Iurisdictioni, subiectus esset, aut seruitia præstare cogeretur, nisi id Patriæ salus & commune periculum flagitaret, quod ad eius defensionem, hostem

hostem finibus prohibere, aut ingressum profligare oporteret. Id priuilegium primo anno Regni sui, virginibus largitus est nonis Martij. Sed & Monachis *Lugemensibus*, hoc est loco Dei habitantibus, bona sua, quæ ex patrimonio possidebat, & *Suanstorpij* in Parochia *Bretvvatensi*, sita erant, vna cum iure Patronatus, ad se ratione ipsorum bonorum spectantis, donauit & tradidit anno 1250. Quam Scotationem Rex Waldemarus confirmauit: vt & Christophorus Abelis frater itidem hanc donationem sanxiuit ac ratam habuit anno 1252. Scrupulo igitur conscientiæ ipsum quotidie cruciantis adductus, & vt culpam viri Religiosi admissi fratricidij apud Deum deprecaretur Abel, beneficentiam exercuit: sed vt habet vetus prouerbium. Imperia violenta & scelere pacta non sunt diuturna: idq; Regis Abelis exemplo comprobatur, qui post susceptam Regni administrationem, statim bellum mouet in partes illas occidentales, quæ mari alluuntur, magnũq; agricolis ac colonis, qui illas oras incolunt, metũ ac terrorem incussit. Nam cis flumen Eidoram, castra locauerat ac metatus erat, vt oblata commoditate, dataq; opportunitate traijcere, eosque sibi subiugare posset. Frisij, qui Eiderstadiam incolunt, collecta ex suis manu, qui arma ferre idonei essent, reliquisq; viribus præstarent, sui defendendi causa, aduersus Regem Abelem sese armant & contendunt, aggeremq; qui mare excludit transeuntes, simulachrum *Diui Christiani* secum portant & circumferunt, eiq; pollicentur, si victoria potiti essent, se illum veste aurea preciosissima amicturos & exornaturos esse, (vel inaurare velle.) Rex cum Frisijs manu conserta, infelici admodum Marte pugnauit. Exercitu enim eius victo, & fugato, pedem referre coactus fuit: idque quod Fratricidij vindicem Deum

haberent Eiderstadiani, & Christiano vota feciſſent. Hac victoria potiti Eiderstadiani, vt vota, quæ polliciti erant, persoluerent, statuam sancti Christiani inaurarunt. Cumq; insignis hæc clades, quam Rex Abel accepisset, passim sparsa ac diuulgata esset, quidam Henricus de Meldorpio, in Selandia nouas res moliri, populumq; aduersus Regem concitare, omnibus viribus contendebat ac laborabat, idq; quod sibi persuaderet, Abelem iam animo fractum & perterritum ei amplius resistere, belliq; fortunam iterum experiri ac periclitari non audere. Rex tamen ne timidus ac meticulosus videretur, cum eo prælio fortiter ac animosè contendit: sed tandem in fugam multis suorum amissis, versus est. Victores præda magna & manubijs onusti, læti ac ouãtes domum redierunt. Rumor est, Dithmarsis authoribus hos motus in Dania concitatos esse. Sed Deus, qui ob parricidium Abelem ad pœnas deposceret, eius incepta & actiones fortunare noluit, eiq; meliorem mentem peruertit, vt in suipsius exitium rueret: idque ex eo colligere licet; quod æstate sequenti, exercitu collecto, rursus in Frisios, à quibus victus & fusus esset, expeditionem mouit, vt iniuriam ac damnum acceptum vlciscetur. In vrbe *VVarenberga* aliquandiu commoratus, tribus nauibus instructis in Frisiam nauigare constituit, vt eos tam mari quam terra persequeretur & inuaderet. Quo tempore Eskillus Episcopus Warenburgæ egit, & à Rege impetrauit, vt alimenta & cibaria, quæ ipsius nauis veheret, sibi haberet & retineret, neque in vsum aliarum nauium expendere, necesse haberet. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, die octaua post Festum Visitationis Diuæ Virginis, exercitum, quem ex multis locis conscripserat, *Medelburgum* non procul à castro Suauestedio, conuocat: quod

eum

cum locum ad pugnam, & ad hostem, qui in vicinia erat, inuadendum, commodissimum esse existimabat. Eò cum venissent, postridie omnibus tam Viris Nobilibus quam plebeis iunctis, ad Eidorã fluuium mouet, vt milites nauibus impositos traijceret. Vexilla tria Regia omnibus conspicua erant. Amne secundo deuectus, in portum *Ottenskilum* vulgari lingua appellatum, peruenit. Eo in loco, nõ longo interuallo à sacello ligneo *Oldensvvordensi*, (quod vt supra notauimus anno 1205. ædificatum est, cis aggerem, ad excludendum mare congestum,) in planicie tentorijs expansis, castra locauit, eaq; vndique fossa & vallo communit, vnde in hostem impressionem facere posset. Quibus compertis, Agricolæ & villici, qui illic commorabantur, fossam amplissimam & altissimam ad Septentrionem ducere cœperunt, nimirum ex *Ipenbullo* versus occasum, deinde in Septentriones in *Oldensvvurdum*, vsque ad locum illum, qui *Eiderock gruffum* vulgò nominatur, vt Rex hac ratione prohiberetur, copiasq; in hostem ducere non posset. Terra egesta & in aceruum cumulata de improuiso prominens, indicium operis fecit, & Regem in eam cogitationem adduxit, eos vallum vel aggerem excitasse, quo sese defenderent. Hoc freti Frisij, militum impetum sustinere se posse putabant. Quare in loco illo palustri hostem expectare, & de summa rerum decertare, decreuerant: cumq; Rex ad Eidoram prope Castellum sex dies commoratus esset, milites, colonos Eiderstadienses, qui loca illa incolebant, multis iniurijs ac damnis afficiebant. Nam palantes agros in conspectu eorum vastabant, segetes, quæ iam maturuerant, quod messis instaret, conculcabant, & quò frumentationem liberiorem & tutiorem haberent, villicos partim interemerunt, partim captos ære mulctarunt,

runt,& in Regis potestatem redegerunt. Qua re perspecta, sex Parochiæ protinus sex dierum inducias pactæ,coniurationem fecerunt, & quotquot arma ferre poterant,sese deuinxerunt,paulò post,conuentu habito ad viam publicam *Vuronmages* dictam, de priuilegijs,quæ Carolus Magnus ipsis concesserat, eo tempore, quo ipsorum Maiores ipsi subsidio veniissent, copijs auxiliaribus missis, agi & tractari cœptum est. Quibus priuilegijs,Carolus eam ob causam,ipsis immunitatem ab omnibus oneribus & grauaminibus, benignè largitus esset, vt ea in posterum fruerentur:onera autem & seruitutem, qua hoc tempore,à Rege Abele premerentur,immunitatibus plane repugnare, libertatemq; qua hactenus vsi essent, omnino infringere,ac præcidere: vt qui non tantum oneribus imperij publici grauarentur, sed etiam singuli seruitute durissima premerentur, quod eorum vxores ac liberi vexarentur, dedecore ac contumelia afficerentur:in eorum quoq; corpora immani ac truculento more sæuiretur; fama atque existimatio eorum macularetur & de honestaretur, idq; in eorum odium & priuilegiorum detrimentum ac abolitionem.Satius itaque esse, de summa rerum decertare & honestè mori,quam in perpetuam seruitutem, libertate amissa, redigi. Quæ cum in concione proposita fuissent, placuit nocte sequenti, in Regis castra irrumpere, quod vexilla septem parata haberent. Id Regi per indicium enunciatum fuit à quodam proditore *Rocko*, qui in Concilium & Conuentum publicum clam sese insinuauerat. Itaque habito Concilio, *Rockus* & alij Regi authores fuerunt,vt inde confestim ad Eidoram moueret: quod si id faceret, vnum se latus tutum ac securum habere: vbi aduersus imminentis hostis furorem ac insidias se tueri ac defendere

posset.

posset. Sed Rex loco sese mouere non potuit, quod mare recessisset,& naues aqua destitutæ, in limo hærerent. Rex ea spe frustratus, quod in flumine nihil quicquam præsidij haberet, albescente cœlo castra mouere cœpit. Ibi tanta Frisonum copia ac multitudo conspecta est, vt terrorem & metum Regijs copiis incuterent. Abel perterrefactus, de fuga cogitare incipit, & tentorium vnà cum ære, quod ex mulcta colonis inflicta collegerat, naues itidem paratas, maximam quoque partem militaris suppellectilis rerumq; suarum, quas aduexerat, reliquit. Interim tamen, vt saluti suæ consuleret, & ne formidolosus videretur, militum & suorum metum ac pauorem increpat, sed frustra. Nam omnes in fugam sese coniecerunt. Frisij fugientem hostem campis patentibus insecuti, ad trecentos interfecerunt. Magna etiam pars in Eidora flumine, dum transnatare nituntur, perijt & submersa est. Rex Abel cum videret, militem hosti terga dare, suos ad pugnam reuocat, in loco, qui vulgo *Olde Harbleck* appellatur, addita comminatione, ni pareant, habituros infortunium: cumque signum dedisset, metu coacti constiterunt, & prælium redintegrarunt. Ibi Rex consertis manibus in hostem magno impetu fertur: ancipiti prælio acriter pugnatum est, ita vt magna strages ederetur, animis vtrinque exulceratis. Sed tandem Dani in fugam versi, terga dederunt. Quos fugientes Frisij, vt quemq; assecuti essent, cædunt, & vsque in locum, qui *Ipenbullum* nominatur, acerrimè persequuntur, ibidemque cum in eos bilem omnem euomuissent, rursus *Oldensvvurdum* ad tentoria Regis deserta, reuertuntur, vt se illic cibo ac potu reficerent, exhaustasq; corporis vires colligerent ac recrearent. Rex autem cum suis & alijs, quos sibi subiecerat ad Eidoram versus Austrum vltra *Ezendouuium*

douuium properat ac contendit, vbi multitudo *Coldingbuttelensis*, quæ reliquos virtute & viribus antecellebat, armata manu ei occurrit, & ad pugnam prouocat. Ibi prælio cum Danis commisso, sex horis acerrimè vtrinque pugnatum ac dimicatum fuit. Qua de re cum nuncius ad *Eiderstadienses* allatus esset & *Vtholmios*, confestim abiecta omni mora ac cunctatione, magnis itineribus ad Regem contendunt, nondum sumpto cibo: & cum Rege ad latus apertum (nam alterum mare tenebat) strenuè ac animosè confligunt, prælioq; decertãt. Vbi magna strages edita, Regiumque vexillum amissum & ademptum fuit. Quod cum Rex animaduertisset, in mediam viam, quæ Septentrionem spectat, protinus se recipit: cumq; Frisij pugnandi finem nullum facerent, Danosq; acriter persequerentur, Rex vltra *Milerdamum* profugit, vbi à quodam rotario *Humer* nomine, trucidatur ac interficitur. Frisij de victoria certi, læto ac hilari animo domum redeunt, & odio Danorum, à quibus multa perpessi erant, Canuto Duci Slesuicensi sese subijciunt: quos & ille in clientelam & fidem recepit, ea tamen conditione, vt quotannis ex singulis ædibus Tributi nomine, nummum vnum, quem *Ternouium* nominant, penderent, & immunitate in perpetuum fruerentur. Regis interempti Cadauer Slesuicum defertur, & in Diui Petri æde Cathedrali sepulturæ traditur. Postridie noctu, tantus in templo strepitus cum fragore & fremitu excitatus & exortus est, vt Canonicis metu exanimatis & perterrefactis, Psalmos & preces nocturnas in Ecclesijs vsitatas canendi & recitandi facultas non daretur, phasmate vel spectro illis illudente & obstrepente. Quod cum sæpius contigisset & Reginæ nunciatum esset, placuit corpus Abelis effossum, æde sacra exportare & in alio

loco

loco humare. Cadauer è templo exemptum in paludem syluæ *Poole*, quæ Gottorpio vicina est, immergitur, palo per sarcophagum transfixo. Qui locus adhuc in hodiernum diem monstratur,& Regis Abelis sepultura vulgo nominatur. Et ex eo die, terricula, phasinata, spectra & strepitus in æde sacra conquieuisse, à maioribus nostris memoriæ traditum accepimus.Sed & in eo loco,vbi sepultus est,& vicinis,ex eo tempore,& patrum nostrorum & nostrā memoria, strepitus horrendos & stridores exauditos esse, constanti omnium prædicatione & sermone fertur, quibus sæpe viatores noctu iter facientes territi, trepidarunt & metu pene exanimati fuerunt. Vt plurimum autem Venatoris cornu inflantis vocem & sonum exaudiri,multi fide digni referunt & affirmant,vsque adeo similem, vt venatorem ibi venari quis diceret, idque sæpe à vigilibus qui Gottorpij noctu vigilare solent,audiri:sed & Abelem multis nostra ætate apparuisse & visum esse, constans omnium est rumor, ore & corpore atrum, equo pusillo vectum, comitatum canibus tribus venaticis, qui & sæpe specie ignea & ardere visi sunt. A Diabolo autem hos ludus & strepitus concitari, dubium non est, idque Dei permissu, vt qui fratricidij memoriam, hisce terriculis, omnibus exosam reddere,& post mortem condemnare vult, vt reliqui ab eiusmodi scelere inexpiabili deterreantur.

***

CA-

CAPVT VIII.

CHRISTOPHORVS I. *Rex Daniæ* 85. *Slesuicensibus Priuilegia concessit, quos postea bello prosecutus est: ob templi bona erepta, sacrilegij pœnas luunt milites anno* 1261. *Ab Holsatis victus Loheide, obijt* 1256. *Liberi huic nati: Mechtildis, quæ primum Alberto Marchioni Brandeburgensi, deinde Ioanni Comiti Holsatiæ nupsit. Ericus VII. Rex Daniæ* 86. *(de quo postea) VValdemar Ringstedij sepultus anno* 1304.

IOANNES I. *Adolphi IV. Filius, Comes Holsatiæ & VVagriæ, (hanc enim in diuisione erat sortitus cum oppido Kilonienſi*, de qua diuisione sic ait *Continuator Helmoldi* in manuscripta historia sæpiùs allegata: Hi duo Comites Ioannes & Gerhardus, post transitum Parentis Comitis Adolphi ad ordinem sacrum, diuiserunt terram & hæreditatem paternam, Senior Ioannes maiorem & pinguiorem partem retinuit, scilicet terram Wagriæ, Kyl, Plone, Lutkenborg, Oldenborg, Oldlesloo, Trittovv, Segeberg, & partem paludis ab vna parte fluminis Store, à Bredenberg vsque ad Albeam & Hamborg: alter autem Frater Comes Gerhardus, vt iunior, minorem partem recepit, scilicet terram Holsatiæ, Itzehoe, paludem Wilstriæ, Hanrovv, Rendesburg & attinentia illorum, *&c.*) *à VVilhelmo Imperatore Eques creatus anno* 1248. *ob Nobilem Burchardum Boeth, quem cum ob crimina nefaria Holsatia exegerat, & tandem Lubecæ sibi insolentius obuiantem confodisset, à ciuibus detentus ex custodia euasit, obijt* 1256. *Hamburgi sepultus. Liberi huic fuerunt, Adolphus, Ioannes & Albrecht, (de quibus postea,) Filia Helica vxor Ottonis IV. Electoris Brandeburgici.*

GER-

GERHARDVS I. *secundus Adolphi IV. filius, Holsatiam & Stormariam obtinuit, Cœnobium Itzehoæ ædificasse fertur: bellis præfuit, quæ pro Abele contra Ericum V. & pro ipsius filijs contra Christophorum II. Reges Daniæ sunt gesta. Obijt* 1271. *alij* 81. *Hamburgi sepultus. Huic liberi fuerunt Henricus primus Comes Holsatiæ & Stormariæ, &c. (de quo postea,) Heilvvig Magno Sueco cognomine Ladeloos & Luidgardis Ioanni Luneburgensi nuptæ. Gerhardus II. Adolphus. Otto, (de quibus postea.)*

WALDEMARVS *Dux Slesuicensis V. Ducatum tranquillè possedit, à Christophoro Patruo eo infeudatus anno* 1254. *Obijt* 1260. *Filium habuit Ericum mox extinctum.*

ABELE igitur è medio sublato, in regnum succeſſit Chriſtophorus eius frater, qui Sleſuicenſibus priuilegia & immunitates largitus eſt, atque à maioribus conceſſas ſua voce & authoritate, comprobauit & confirmauit. Waldemarus autem Abelis filius, eo tempore, quo Pater è viuis excederet, peregrè aberat, & in Gallia agebat, quò ſtudiorum cauſa vna cum Comitibus auunculis profectus erat. Studijs ad exitum perductis, ad ingenij & morum cultum capiendum Principum aulas frequentauit. De morte Patris certior factus, domum ſtatim reuerſus, adminiſtrationem Ducatus Sleſuicenſis, Regis permiſſu adeptus eſt, cumq; auunculis ſuis, quamdiu ſuperſtes fuit, vixit coniunctiſſimè: ſed & Rex, Daniam longe quietiorem ac tranquilliorem habuit, ſummaq; pace ac felicitate fruebatur: quoad Waldemarus è viuis excederet. Eo autem morte ſublato, variam fortunam expertus eſt. Nam Abel ſororem Ioannis & Gerhardi, Comitum Holſatiæ, in matrimonium duxerat, ex qua Filium Ericum ſuſcepit. Hunc Rex Chriſtophorus in ſuam clientelam

lam & tutelam suscepit, eumq; apud se educauit & detinuit, eo consilio, quod è re Regni Daniæ futurum existimaret, si hac ratione, Ducatus Slesuicensis Regno rursus vniretur & adiungeretur, à quo separatus & seiunctus esset. Hanc eius technam subodorati Comites, Gerhardus & Ioannes, Ericum sororis Filiũ defendendum suscipiũt, & ne Ducatu excideret, bello ius Erici persequẽdũ statuuut, idq; Regi denunciant. Rex ea re cõmotus, Ericũ Ducatu spoliare & deturbare omnibus modis conabatur, exercituq; collecto Slesuicum petijt, ad bellum Comitibus inferendum. Slesuicenses autem & qui Ducatum incolebant, contra arma parant, & exercitum qualemcunq; colligunt, vt Regi resisterent, eiusq; conatus nefarios opprimerẽt, idq; quod Abelis filio summoperè fauerent, beneq; ex animo cuperent. Sed & Comites, copijs hinc inde conscriptis atq; coactis, Sororis suæ Filio subsidio veniunt, armaq; & vires coniungunt. Interea Rex oppidum Slesuicense oppugnat, tandemq; expugnat & diripit, militibus in corpora ciuium tyrannicè ac crudeliter sæuientibus, eorumq; vxores & liberos contumelia ac dedecore afficientibus: sed nec ab ædibus, rebusq; sacris ac Deo dicatis sacrilegas manus abstinuerunt hostes: imo templa diruta & spoliata fuerunt: Eskillus Episcopus captus in arce *Segebergensi* detinebatur, eo tempore, quo Vrbs in hostium potestatem redigeretur. Deus autem scelerũ vindex, multis signis & portentis ostendit, sibi hanc Regis tyrannidẽ displicere, vt qui Regem & eos, qui ei sese administros præbuissent, ad pœnam mirifice rapuit. Nam cũ Eskillus Segebergæ in custodia hęreret, accidit, vt quidam, qui direptioni interfuerant, de rapina & spolijs adeptis gloriosè ac magnifice sese iactitarent, & tertio cuidam ignominiosè exprobarent ac obijcerẽt, quod is fraudulenter

dulenter egiſſet, & ſpolia quædam in Ciuitate rapta, ſocijs communicanda & impartienda, intercepiſſet, ſibiq; ſoli ſeruaſſet. Is ſe diris deuouere & iurare cœpit, tandemq; pugione ſtricto in hæc verba prorupit. Si quid ex præda furtim ego mihi ſeorsùm ſeruaui aut retinui, in commilitarium fraudem, faxit Deus, vt hic pugio viſceribus meis infigatur. Quibus verbis prolatis, è veſtigio à Dæmone correptus, ſeipſum confodit. Quo exemplo quidam territi, ea quæ rapuiſſent, confeſtim retulerunt & reſtituerunt: & quo ſeriam ac ſynceram reſipiſcentiam teſtarentur, peregrinationes ad loca ſancta ſeſe ſuſcepturos, & in perſona ſeſe eaſdem confecturos ſancte promittunt ac vouent. Teſtantur quoque antiqua monumenta, famaq; publica & clarorum Virorum teſtimonia, *Eskilli* tempore Deum inſignia miracula in ſtatuis ac ſimulachris ligneis ediditſe. Nam quarto die poſt ædem ſacram & vrbem Sleſuicenſem direptam, hoc VIII. Calend. Octobr. Prædo ac ſacrilega quidam, qui in magna populi frequentia, in templo *Sleſuicenſi* effrenatam exercuiſſet violentiam, in inſaniam incidiſſe, & cum ex templo extraheretur, magnos eiulatus edidiſſe, corpusq; proprijs vnguibus diſcerpſiſſe, ac tandem os torquentem ac laniantem, in via publica animam exhalaſſe. Cauſam necis afferunt hanc, ſacrilegum illum, cum ſtatuam Sanctorum ſudorem emiſiſſe videret, in riſum ſolutum dictitaſſe: eas aqua à fatuis ventis perfuſas eſſe. Atque hæc ita ſe habere teſtantur *Nicolaus Notarius* & *Petrus Canonicus*, qui ſe id vidiſſe, aperte teſtantur ac affirmant. Quibus fidem abrogare, nefas ac impium, atque ab omni fide ac veritate penitus alienum, cum illi, qui hoc teſtentur Viri fuerint fide digni, & veritatis amantiſſimi, imprimis cum Notarijs publicis plurimum fidei ſit tribuenda;

ſed

sed & Matrona casta & fide digna testatā est, guttas olei destillasse & promanasse de Cruce, quæ chorda & catena affixa pendet in medio templi. *Froto* Concionator, Mariæ imaginem lachrymasse assueuerauit, tamq; vbertim & copiosè lachrymas profudisse, vt abundè in genas destillauerint. Cum verò quidam coram cruce in medio templi stans, id pro deridiculo haberet, lumine oculorum statim orbatum & excæcatum fuisse: vsque adeo, vt ostium templi inuenire non posset, sed ab aliis illum educi necesse fuerit: quin & *Diui Petri*, qui Ecclesiæ *Slesuicensi* præest, eiusdemq; patronus est, statuam ac simulachrum sudasse, testatus est *Guardianus Fratrum Minorum*: quid? quod ex sacrilegis, qui res sacras prædati essent, quidam, cum in morbum incidisset, & grauissimè decumbens, durissimè torqueretur, qui & insignia ac stupenda illa Miracula, quæ Deus edidisset, pro nihilo habuisset, tandem rei euidentia, ac interno conscientię testimonio conuictus ac commotus, flagelloque Dei admonitus suo exemplo socijs ad resipiscentiam author & hortator fuit, qui consternati & territi aliorum exemplo, qui tormentis & cruciatibus manu omnipotenti tam grauiter affligerentur, (prout vulgata fama ferebatur,) omnia illa, quæ ex templis diripuissent, retulerunt, pœnitentiamq; egerunt. Sed & à fide dignis relatum est, nouendecim, qui templum depeculati res sacras diripuissent ac furati essent, morte fœdissima perijsse anno 1252. Ex quorum numero, vnum calore adeo vehementi inflammatum fuisse ab eo die, quo templum Diui Nicolai incendisset, vt etiam hyeme frigidissima, ardorem, quo torreretur & arderet, restinguere & temperare non potuerit, tandem vero præ nimio æstu ac doloris impatientia in aquam sese immersisse, neque vnquam postea visum esse.

Vt

Vt autem his dictis maior fides adhibeatur, neue ab vllo commenti ac falsitatis alicuius argui possint, ex Breuiario *nostro Slesvvicensi ab Episcopo Gotschalco de Aleuelde*, teste Verissimo ac Fidelissimo edito, hic proponam, quæ illic literis memoriæque de his rebus gestis prodita ac consignata sunt notatu admodum digna. Ita habet in Festo Reliquiarum, vbi inter cætera hæ præmittuntur Orationes: *Precioſi ſancti Dei, quorum hic reliquiæ continentur, ſuccurite nobis nunc & ante æuum. Sanctiſſimæ cœli columnæ, quarum hic ſunt Reliquiæ, veſtris orationibus, noſtris diminutionē inferte Criminibus &c. Concede nobis, quæſumus Domine, veniam delictorum, & intercedentibus ſanctis, quorum hodie ſolennia celebramus, talem nobis tribue deuotionem, vt ad eorum pertingere mereamur ſocietatē: adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt ſcelera; Excuſat interceſſio, accuſat quos actio, & qui eis tribuiſti cæleſtis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati, &c.*

Legimus namque & audiuimus, patribus & prædeceſſoribus noſtris, fideli nobis narratione & ſcripto tradentibus: quod tempore felicis recordationis Eskilli, quondam Episcopi Slesvvicenſis, regnante Rege Chriſtofero, octauo Calendas Octobris, hoc eſt, quarto die poſt captiuitatem & depræda-tionem ciuitatis Slesvvicenſis, oſtendere dignatus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, magnam mirabilium ſuorum euidentiā, per merita Beati Petri in Eccleſia Slesvvicenſi. Magnalia enim ſua, quæ antiquis temporibus coram populo Iſraelitico feciſſe legitur, modo in noſtris temporibus, in quos finis ſeculorum deuenerit, reiterare voluit, in conſolationem eorum, qui lamentum Hieremiæ concinentes, cytharam gaudij in-luctum doloris permutauerunt: dicentes. Quomodo ſedet ſola ciuitas quondam plena diuitijs, & omnibus referta precioſis: ſed hæc, peccatis noſtris exigentibus, nobis recognoſcimus accidiſſe. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus olim Virgam de-

desiccatã & sterilem frondere, florere, & fructum facere voluit. Modo truncos antiquatos, imagines Electorum suorum designantes, ex se rorem cœlitus emittere in modum sudoris fecit, in odorem suauitatis: alijs quidem, quos ad vitam prædestinauit, in contritionem & veram pœnitentiam: alijs vero vt reprobis & damnandis, in opprobrium & pœnã hic inchoatam & perpetuo duraturã. Attestantur igitur duo Canonici Slesvvicenses, Dominus Nicolaus Notarius & Petrus, se vidisse, populo non modico circumstante, quomodo quidã prædo, qui in Ecclesia Beati Petri violentiã immanẽ exercuerat, in Ecclesia amens effectus est, & inde extractus magnum eiulatum emittens, & proprijs vnguibus se discerpens, & guttur suum lanians in communi platea miserabiliter expirauit. Dixit enim maledicus ille, quod ideo sudarent imagines sanctorum, quia super eas aquam fudissent fatuæ mulieres, sibi risum exinde faciens importunum. Quædam etiam matrona fidelis, cum multis alijs se vidisse perhibuit, quasi guttas olei stillasse de cruce, quæ fixa erat in Ecclesia desuper chorum. Quidam etiam frater de ordine Prædicatorum, nomine Froto, asseruit, se vidisse lachrymam in oculis Beatæ Mariæ Virginis collectam, & exinde in maxillis eius emanasse. Quidam etiam stans ante crucem in medio Ecclesiæ, visis supradictis mirabilibus Dei, dum sibi subsannationem ex eis faceret, cœcus effectus est, ita, quod non potuit ostium inuenire. Imago etiam Beati Petri, & alia crux, quæ est in Ecclesia versus australe ostium, sudorem plurimum emiserunt. Quod cum multis alijs frater quidam Tuco Guardianus Fratrum Minorum in Slesvvig perhibuit se vidisse. Quidam miles cũ in tantũ torqueretur, quod in lecto decumberet, quod fidẽ his Dei magnalibus adhibere noluit, ex hoc socij eius perterriti venerunt ad pœnitentiam, & ea, quæ in Ecclesia rapuerunt, vehementissime repotauerunt, &c. Hæc Breuiarium. Sed & ipse Rex Christophorus, pœnas sacrilegij & direptæ vrbis dedit grauissimas. Nam cum post vrbẽ spoliatam

liatam Comites Holsatiæ propediem cum exercitu adfuturi dicerentur, isque rumor percrebuisset ac diuulgatus esset, Christophorus manu militum collecta, qui magna ex parte ex sacrilegis istis & prædonibus constabat, illis in campo patenti miricis consito vulgo *Loheida* dicto, occurrere & resistere statuit. Rex suos ad prælium animat, quod diceret, bellum contra immerentem susceptum, seque non tam sui commodi causa hanc defensionem suscepisse, quam vt Regni incolumitatem imperijque decus ac maiestatem tueretur ac conseruaret, se à Comitibus bello peti, vt Ericum adolescentem rerum gerendarum imperitum, imperioque minimè idoneum Regno præficiant, id se hactenus ægerrimè tulisse, & qua potuerit ratione ac via impediuisse; Cum autem hostem iam appropinquare cernerent, petere, vt se viros fortes ac magnanimos præstent, de victoria rerumque omnium felici successu se nequaquam dubitare, etiamsi anceps ac dubius sit belli euentus: reuocandam esse in memoriã maiorum suorum magnanimitatem & fortitudinem, qui, rebus suis bene feliciterque gestis, hanc gloriam semper consecuti sint, vt non parêre ac seruire, sed alijs imperare consueuerunt. Hac oratione milites accensi, prælium ineunt. Ibi signis collatis vtrinque fortiter dimicatum est: pugnaque aliquandiu producta. Tandem Regis copiæ inferiores cedere, fugamq; capessere coactæ fuerunt. In ea pugna aliquot millia hominum occubuisse, constans rumor est. Rex ipse ab hostibus vndique circumuentus & cinctus sese dedere coactus fuit, alioquin moriturus. Rex in hostiũ potestatem redactus vna cum Regina quæ maritum comitata fuerat, Hamburgum à Comitibus Holsatiæ deducitur. Non longe ab eo loco, vbi pugna commissa est, collis quidam adhuc extat & conspicitur,

quem Galeis æneis, hoc ist, armaturis capitis, quibus milites verticē tegere solent, congestum & cumulatū esse, constanti fama & omnium sermone perhibetur. Collis ille vulgo *Dronningshuie* appellatur, hoc est, si ad verbum reddas, *Collis Regius*. De Rege capto & Hamburgi detento Dux Brunsuicensis cum Comite Iohanne agere ac tractare cœpit, vt captiuitate exemptus libertati restitueretur: Sed re infecta discessum est. Paulo post cum Gerhardus filiam suam Iohanni Brunsuicensi despondisset, Rex custodia laxatus fuit, aliquot argenti libris pro redemptione & lytro persolutis: qui liberatus Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, rebus humanis exemptus est.

CAPVT IX.

Sordidus occultè Niclaum in vincula raptat
Timmo; sed argento iußit abire dato.
Aßt Papa insontis iubet inuida vincula laxent
Fulmine distringens, qui sociarat opem.

A. C. 1266.

ANno ab incarnatione Domini 1257. Eskillo mortuo successit Nicolaus Episcopus Slesuicensis, qui Ecclesiam miserè desolatam & spoliatam reperit. Interim excitauit Deus viros pietati deditos, munificos ac liberales, qui eam instaurare ac reficere cœperunt. Inter alios autem vidua quædam *Margareta*, marito *Aggæo Nommensen* mortuo, calamitatis, in quam Ecclesia incidisset, miserta,

ſerta, Epiſcopo Nicolao poſſeſſionẽ eius ruris, quod in *Alſia* habebat, & ad curiam eius *Gammelſtorpium* in Parochia *Kettinga* ſitum, pertinebat, Epiſcopo vtendam & fruendã dedit. Ne aũt quid tentaſſe & legaſſe contra leges patriæ & Nomocanonem videretur, aut iniuſtitiæ alicuius incuſari poſſet, pretium integrum ab Epiſcopo ſibi numeratum fatetur, ipſique hoc acceptum expreſsè fert: ne heredibus hanc donationem ad pias cauſas factam, reſcindendi & impugnandi excaſio daretur. Nicolaus autem Epiſcopus, poſtquam ad illam dignitatem euectus eſſet, in magnas incidit anguſtias ac calamitates, eandemque ferè quam ipſius prædeceſſor, ſortem ac fortunam expertus eſt. Nam vt Eskillus, ita & hic captiuus abductus fuit, à nobili quodam *Timmone Paruo* vulgo appellato, laico quodam Diœceſis Sleſuicenſis, qui noctu curiam Epiſcopalem Sleſvici ingreſſus, magna armatorum manu, Epiſcopum nihil tale cogitantem oppreſſit, atque in locum quendam occultum captiuum abduxit, vt diu non conſtaret, vbi nam locorum captiuus aſſeruaretur & detineretur. Idque nulla alia de cauſa, niſi vt hominem argento emungeret ac circumduceret. Nam mille marcas *Timmonem* ab Epiſcopo flagitaſſe ferunt, vt cuſtodia liberari poſſet. Qua de re Alexander Pontifex certior factus, *Timmonem* ſacrilegum Eccleſiaſtica cenſura notat, vna cum aliis, qui eius delicti conſcij, ſeſe adminiſtros præbuiſſent. Exemplum autem literarum Alexandri Pontificis ad Archiepiſcopum Lundenſem, & Guardianum fratrum Minorum Brunſvvigæ, ſubijcienus, vnde de captiuitate Nicolai Epiſcopi cognoſcere licet, reſque tota clarius eluceſcet.

Alexander ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Lundenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictio-

dictionem. Stupida mente percepimus & referimus cum dolore, quod perditionis filius Tucco dictus paruus de Dacia, Laicus Slesvicensis Diœcesis, cum multitudine armatorum, in Venerabilem Fratrem Nicolaum Slesvicensem Episcopum, dormientem nocturno tempore insultum faciens, ipsum ausu sacrilego, non sine violenta iniectione manuum capere, & spoliatum bonis omnibus carcerali custodiæ mancipatum tamdiu detinere præsumpsit, donec eum per vim & metum, qui cadere poterat in constantem, obligari sibi Ecclesiam Slesvicensem in mille marcis argenti coegit: iuramento & fideiussoribus de non conueniendo ipsum super præmissis præsumptionibus, ac etiam vndecim obsidibus sui generis, super soluenda huiusmodi pecunia extortis ab Episcopo memorato. Quia vero Otto & Henricus de Barmstatte fratres milites, Bremensis Diœcesis, dictos obsides, non sine Diuini Numinis & Apostolicæ sedis offensa, nec non animarum suarum graui periculo, ad mandatum dicti sacrilegi custodire dicuntur, eosdem attentè rogandos duximus & hortandos, dantes eis nostris literis in mandatis & specialiter eis demonstrantes, quod ex eiusmodi detentione, illorum famæ dictorum militum non modicum detrahitur & honori, dictos obsides sine qualibet dilatione seu difficultate, restituant pristinæ libertati: ita quod cessante contra eos detractionis cuiusque materia, sibi exinde benedictionis diuinæ præmium, & etiam præconium humanæ laudis, à nobis condigna proueniat gratiarum actio. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti Nobiles, preces & mandatum nostrum neglexerint adimplere, eos ad id monitione grauissima per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compellas, inuocato contra eos, si necesse fuerit, auxilio brachij secularis. Datæ Laterani VI. Kalend. Martij Pontificatus nostri Anno tertio.

Benedictus de Ferentinijs.

Alte-

Alterum est ad Guardianum fratrum minorum in Brunsvvick.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, Dilecto Filio Guardiano, fratrum Minorum de Brunsvvik: Salutem & Apostolicam benedictionem.

Infusum adeo cordi dilecti filij, Nobilis viri, Ducis de Brunsvvick esse credimus, vt semper se ad ea promptum reddat & facilem, quæ iustitiam sapiunt & continent pietatem. Sane stupida mente percepimus, & referimus cum dolore, quod perditionis filius Tucco, dictus paruus de Dacia, Laicus Slesvvicensis Diœcesis, cum multitudine armatorum in Venerabilem fratrem Nicolaum Slesvicensem Episcopum dormientem, nocturno tempore insultum faciens, ipsum ausu sacrilego, non sine violenta iniectione manuum capere, & spoliatum bonis omnibus carcerali custodiæ mancipatum, in terra ipsius Ducis tamdiu retinere præsumpsit, donec eum per vim & metum, qui cadere potuerit in constantem virum, per violentiam, obligari sibi Ecclesiam in mille marcis argenti coegit, iuramento ac fideiussoribus, de non conueniendo ipsum super præmissis præsumptionibus, ac etiam vndecim obsidibus sui generis, super soluenda pecunia huiusmodi extortis ab Episcopo memorato. Propter quod Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Lundensi, damus sub certa forma, nostris literis in mandatis, vt dictum sacrilegum, eiusque complures in hac parte ad satisfaciendum eidem Episcopo de præmissis authoritate nostra compellatis, & si pertinacia eorum exegerit, contra eos inuocet auxilium brachij secularis. Quia vero idem sacrilegus de iurisdictione dicti Nobilis esse dinoscitur, & sicut accepimus, eiusdem obsequijs immoratur, eundem Nobilem attentè rogandum esse duximus & monendum, vt prouidè considerans, quod ex huiusmodi peruersis actibus ipsius sacrilegi, famæ suæ non modicum detrahitur & honori, cum à dicto Archiepiscopo fuerit requisitus, dictum sacrilegum ad satisfaciendum eidem Episcopo de præmissis, tra-

dita sibi potestate, sine qualibet dilatione seu difficultate compellat: ita quod cessante contra ipsum detractionis cuiusquam materia, sibi exinde diuinæ benedictionis præmium, ac etiam præconium humanæ laudis, & à nobis condigna proueniat actio gratiarum. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Ducem ad hoc moneas & inducas. Datæ Laterani VI. Calend. Martij Pontificatus nostri Anno tertio.

Sed & idem Alexander literas ad capitulum Slesvicense dedit, eiusdem penè sententiæ, nisi quod addat pœnas abijs, qui facinus tam nefandum perpetrassent, expetendas esse: qui pacato ac tranquillo rerum statu, animis inimicissimis in Episcopum impetum feciſſent, atrociterq; sæuijssent, vt & ipsi, conscientia teste, quid meriti sint, reipsa experiantur. Conspirationem quoq; Commilitonum, qui se administros ei facinori præbuissent, sceleratáque fraude Episcopo manus intulissent, seuerè animaduertendã ac vlciscẽdam, ne impunitate proposita, nobiles licentia & libidine deteriores facti, similia in posterum perpetrare occipiant ac conentur. Exemplum itaque edendum, existimauit, ne quis in posterum Episcopum aut Clericum, aut cuiuscunque Ordinis hominem idoneum existimet, cui eiusmodi contumelia inferatur. His tãdem Execratio subijcitur, qua Timmonem & conscios, Ecclesiastica cẽsura notat & excommunicat. Et hæc est literarum summa. Episcopus autem Nicolaus carcere liberatus Slesvicum redijt, & Episcopatum vt antea administrauit.

* *
*

CA-

CAPVT X.

ERICVS VII. *Rex Daniæ 86. bona ablata Ecclesiæ Slesuicensi restituit, filios Erici de Ducatu deturbare præsumpsit, & ideò subditos ad defectionem sollicitauit, quos tamen Henricus & Ioannes Comites Holsatiæ sustinuerunt, à propriis aulicis confossus Anno 1286. in Finderup. Liberi huic fuerunt, Christophorus II. Rex Daniæ, &c. Ericus VIII. Pius Rex Daniæ, &c. (de quibus postea,) VValdemar in aula Brandeburgensi, obijt Rostochij, Soræ sepultus Anno 1304. Sophia Conradi Brandeburgici, & Margareta Regis Birgeri Sueci, Ringstedij sepulti, Consortes.*

ERICVS *Dux Slesvvicensis sextus, obijt anno 1272. Ab Episcopo Slesvvicensi arcem Gottorpium cum pertinentijs permutauit. Huic duo fuerunt filij.*

ERICVS *Langbeen Dux Langlandiæ, qui Sophiam VValdemari Sueci viduam duxit anno 1295.*

Alter ERICI *Filius VValdemarus, Dux Slesuicensis septimus, Ducis Saxoniæ Filiam duxit 1288. obijt 1295. à Rege captus, quod fidelitatem iurasset & nihilominus ei resisteret. Huius Filius fuit Ericus Dux Slesuicensis octauus, Patriæ defensor, Slesuigæ in templo S. Petri sepultus & Patri associatus. Liberi huic nati VValdemarus Dux Slesuicensis nonus, &c. (de quo postea,) Heilvvig VValdemaro tertio Regi Danniæ 88. nupta, & Ericus qui in pueritia obijt.*

ANNO Domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo nono, Ericus Rex Danorum Slauorumq; Christophori Filius, Patre mortuo Daniæ Regnum adeptus est. Is Ecclesijs benefaciendo, multisque insignibus

ac ampliſſimis donis ac muneribus eas ornando ac locupletando, nec non ea, quæ ab ipſius patre ablata eſſent, reſtituendo, liberalitatem ac beneficentiam abundè teſtatus eſt. Cumq; Rex Chriſtophorus captiuus, antequam liberaretur, pro redemptione Comitibus Holſatiæ ingentem pecuniam ſoluere coactus eſſet, inq; eam ſolutionem, decimas quaſdam Eccleſiarum, quarum precium quadringentarum & ſaxaginta duarum marcarum erat, conuertiſſet & interuertiſſet, Ericus filius ea de re monitus, pietate & æquitate motus, de matris fœminæ pijſſimæ conſilio & conſenſu, eas decimas Epiſcopo reſtituendas & reddendas imperauit. Et quò ea de re Epiſcopo & Eccleſiæ ſatis cautum eſſet, Nicolao villam forenſem *Apenradam* oppignerat, & ſolutionem decimarum hypothecæ opponit: vt prouentus omnes & exactiones, quas villa *Apenradenſis*, quotannis ferre poſſet, Epiſcopo darentur, donec omnibus in ſortem computatis, ſumma 462. marcarum tota ſoluta eſſet. Fuit id anno à nato Chriſto 1259. Sed & anno ſequenti, hoc eſt 1260. Epiſcopus pro ſua erga Eccleſiam Dei beneuolentia & fide, Regi, cuius animum erga Religionem propenſum, ſatis cognitum ac exploratum habebat, expoſuit, quantum mali & detrimenti Eccleſia perpeſſa eſſet, quamque penitus bellis diuturnis, ac continuis, imprimis vero graui ac funeſto illo bello, quod ipſius Pater aduerſus Comites Holſatiæ geſſiſſet, omnibus prouentibus ac facultatibus ſpoliata ac exhauſta eſſet, ſummopere itaque eum hortatus eſt, ac rogauit, vt damnum datum, aliqua ratione ſarcire, ac recompenſare non dedignaretur, vel reſtituendo ea, quæ Eccleſiæ adempta eſſent, vel ſingulari aliqua donatione & munificentia ei benignè ſuccurrere velit. Rex cum matre & Regni proceribus conſilio ac delibera-

beratione habita, in compensationem iacturæ & damni accepti, & propter seruitia, quæ Episcopus sæpe Regi præstitisset, ei bona quædam & possessiones in *Nordforthuso* & *Sunderforthuso* & *Barusbola*, & *Molendinum in Atebel*, iure Dominij perpetuo colendas & fruendas concessit. Et ne à posteris hæc Donatio rescindi, aut in dubium reuocari possit, suum & Matris, omniumque Procerum consensum, suo, matris, & suorum Episcoporum sigillo communiuit. Cuius instrumenti verba sunt.

Ericus Dei Gratia Danorum Slauorumq; Rex, omnibus præsens scriptum cernentibus. Notum facimus Vniuersis, quod Nos ex consensu Dilectæ Matris nostræ & Meliorum Regni, Reuerendo Patri Domino Nicolao Episcopo Slesuicensi, in recompensationem damnorum Ecclesiæ suæ, habito respectu ad ipsius beneuolentiam, multoties nobis impensam, quasdam possessiones in sua Diœcesi, quæ dicuntur Sunderfordhalt & Nortefordhast, Bornebul & *Molendinum quoddam in* Aitsboly, *scotauimus iure proprio possidendas. In cuius rei testimonium facti, præsentem dicto Domino contulimus, sigillorum nostri & dilectæ Matris nostræ, nec non & Dominorum Ripensis & VViburgensis Episcoporum munimine consignatam. Datæ Mithelfaar anno* 1260. *in octauæ Apostolorum Petri & Pauli.*

Ad hoc tempus Guido Cardinalis à Pontifice ad Regem Ericum missus ac ablegatus fuit, quod Christophorus Archiepiscopum Londensem in vincula coniecerat, quia Regi aduersatus fuerat, eiusque incepta & actiones carpsisset, propterea quod decimas interceptas in Dania sibi sumpserat, & in suos vsus conuerterat, quemadmodum & id in Ducatu Slesuicensi ab eo factum esse, paulò ante exposuimus, vel quod mihi verisimile sit, quod sacris Regi interdixisset: Cardinalis his negocjs destinatus, eò rem perduxit, vt

xit, vt Archiepiscopus carcere, quo nouem annos detentus erat, relaxaretur, vtque de decimis interuersis ei satisfieret, nec non, vt ministris verbi Dei suppeterent, vnde se alere ac sustentare possent, ne imposterum quererentur. Pontificis etiam interdictum, quo Rex propter tyrannidem & Decimas interceptas, sacris arcebatur, decimis restitutis, rebusque benè compositis, Cardinalis iterum relaxauit, quod plusculum tantum temporis durauerat. Verisimile autem est, Cardinalem in hac causa Regi æquiorem fuisse, quod Redemptionis nomine, magnam pecuniæ summam soluisset, cumq; soluendo non esset, necessitate quodammodo impellente, bona Ecclesiastica delibasset. Episcopus autem Nicolaus in summum odium & inuidiam apud Reginam adductus erat, quibus autem de causis certò non constat. Verisimile est, ob decimas, quas Rex interceperat repetitas, vel propter excommunicationem, quæ nouem annos durauit, vel propter bella, Feudi nomine gesta, eum in offensionem incurrisse. Qua de causa Nicolaus peregri & extra Diœcesin sese continuit & habitauit, insidiasque metuens locum commodum elegit, vbi sine periculo tutò ac tranquillè viuere posset. De rebus autem omnibus ad Proceres retulit, & inter alia, de pecunijs & sumptibus, quos Ecclesia Slesuicensis in quatuor nauigia feciisset, grauiter conquestus est, vtque eam rem, Regni proceres, æquitatis trutina ponderare vellent, obnixè rogauit: Nicolaus quoque Episcopus arcem *Gottorpiam*, cum Erico Duce Slesuicense permutauit, vt ex formula contractus, quam subijcimus, videre licet.

ERICVS *Dei Gratia, Dux Iutiæ, omnibus, ad quos præsens scriptum peruenerit S. in Domino nostro Iesu Christo.*

Vniuer-

Vniuersitatem vestram per præsentes scire volumus, quod Venerabilis Pater, Dominus Nicolaus *Episcopus Slesuicensis nobis scotauit Curiam suam in minori* Gottorp, *& totã villam, maioris* Gottorp, *cũ sylua, molendina, terris & pascuis (piscinis) prædictæ curiæ & villæ adiacentibus, & bona sua in* Arnhold (*alij legunt* Bagebol *& putant sylua esse propè* Dennevvarck *Magnum* Grote Dennevvarck *quasi dicas* Hindenbol) *Et nos eidem vice versa has villas scilicet* Brokeslot, Brodersbuie *&* Huxmarck *existentes in* Svvantzen, *cum omnibus bonis eis adiacentibus, ad æqualem auri æstimationem rescotauimus pleno iure: sed quia, dictæ villæ sunt Nobili viro Domino Gerhardo Comiti Holsatiæ dilecto auunculo nostro, vt dicitur, obligatæ, loco eorum, Venerabili Patri Domino Bundoni Episcopo Slesuicensi, bona nostra in* Sundergosherd *quæ dicuntur,* Andel, *integraliter pleno iure scotauimus ad cautionem, donec ipsæ villæ liberæ vsui ipsi cedant. In cuius rei euidentiam, præsentes literas nostro sigillo fecimus communiri. Datum apud* Slesvvig. *Anno Millesimo, Ducentesimo, Sexagesimo octauo. Duodecimo Calend. Decembris.*

Nota *Grote Gottorp*, cuius hic mentio fit, sita fuit prope *Rugenkroch*, vbi adhuc eius arcis vestigia cernuntur: quam vndique lacus alluit, & adhuc retinet appellationẽ *Olde Gottorp*, supra a. exposuimus, à quo diruta sit. Sigillum verò his literis appensum, quod *Suauestedij* vidimus, ceræ rufæ impressum, altera facie Leones duos, altera vero Equitem vexillum manu gestantem, hoc est imaginem *D. Georgij* continebat. Ericus quoque, Ioannes, & Gerhardus Comites Holsatiæ, dimidiam partem pedagij in thelonio *Rendesburgi* collecto, ad Episcopum pertinere, suis literis testantur, quæ Slesuici datæ & consignatæ sunt, Anno à Christo nato M. C C. L X I. Nicolaus vero cuidam *VVinekeno* & fratribus eius de consensu Capituli,

tuli, in Feudum concessit rus & possessiones in *Lundebergo* sitas, in perpetuum pro arbitrio suo disponendas & fruendas, ita tamen, vt singulis annis successoribus suis pendat quinque marcas. Fuit id anno Domini 1263.

CAPVT XI.

Sumptus Bundo graues se bello ponere, Regi
Conqueritur Præsul, liber vt esse queat.
Dum gaudet voto, bona templis multa sacrauit
Auri hæc sacra caue diripuisse fames.

ANNO à nato Christo 1270. Bundo Episcopus Slesuicensis creatus est, inauguratusq; à Ioanne Archiepiscopo Londensi. Ex literis illis, quarum exemplar paulò ante inseruimus, constat, Episcopum Nicolaum permutasse arcem *Gottorpianam* alijs prædijs. Cum vero prædia illa non essent libera, sed Gerhardo Comiti Holsatiæ pignori oppositа, ita vt ijs Episcopus frui non posset, Bundo Nicolai Episcopi successor apud Ducem institit & vrsit, vt pro ijs alia sibi prædia attribueret ac concederet tantisper vtenda & fruenda, quoad prædia oppignerata, ære alieno soluto, libera fierent. Quod ab Erico factum est. Et hic est sensus literarum, quæ alioquin nonnihil obscuræ esse videntur. Bundo Episcopus, negotium, quod ab eius Prædecessore Nicolao inchoatum erat, apud Regem Ericum strenuè vrsit, de pecunia expeditionis & sumptuum, qui in quatuor naues facti essent ab Ecclesia Slesuicensi. Vnde euidenter colligitur, Nicolaum omni sua

opera

operā ac labore Regem nihil effeciſſe, nulloq́; pacto impetrare potuiſſe, vt impenſa facta illi refunderetur, quod Reginæ omninò exoſus eſſet. Ideoq́; aliò commigrare coactus, non Sleſuici mortuus, ſed extra Regni limites obijſſe, ibiq́ue ſepultus eſſe dicitur. Rex Ericus & Bundo Epiſcopus, tandem ſumptis arbitris compromittunt, vt Controuerſia illa, de pecunia in naues impenſa, Hadersleuij decideretur ac terminaretur. Compromiſſarij iudices fuerunt Andreas Palliſenus Regis Cancellarius, Præpoſitus item & Archidiaconus Sleſuicenſis, ne quid partes prętenderent ac cauſarentur, ſibi quicquam derogatum eſſe; Arbitris ſub religione Iuriſiurandi mandatum & imperatum fuit, vt, quod ipſis iuſtum & æquum viſum eſſet, & de hoc negocio conſtaret, liberè pronunciarent & ſtatuerent. Qui tandem cauſa diligenter examinata, reque perpenſa ac deliberata, hanc tulerunt ſententiam. Quicquid commeatus aut cibariorum, Epiſcopus in nauem ſuam, qua vehebatur *Kerherda* nominata, recepiſſet, id in Epiſcopi vſus conuerſum videri, vt quo ipſe integrè vſus ſit, ac pro eo habendum: in reliquas autem naues, quicquid commeatus receptum eſſet, in vſum Regis comportatum & impenſum eſſe, ac pro eo habendum, niſi potentiorem aliquem commeatus participem Rex ex ſpeciali gratia eſſe velit.

Ericvs Dux Sleſuicenſis hoc tempore moritur, relictis duobus filijs Erico & Waldemaro: quorum tutelam Rex ſuſcepit vt cognatus genere proximus, idque ſponte, quod diceret, ſe eorum commodis quam maximè inſeruire, ſubditos rebelles, quos per ætatē ipſi nondum regere ac coercere poſſent, compeſcere ac refrenare, bonosq́; defendere; in ſumma, in hanc curam vnicè incumbere velle, vt vbi ipſi adoleuiſſent.

uissent, Ducatum pacatum ac tranquillum, longeque auctiorem & locupletiorem factum inuenirent. In eam rem illis operam suam abundè pollicetur. Comites Holsatiæ, qui hanc Regis esse technam subodorabantur, & plus inde periculi ac incommodi, quam lucri ac emolumenti ad Agnatos suos, rediturum videbant, in Regem grauissimè inuehuntur, vt qui omnia dolo ac fraude geri, sibi omnino persuadebant. Quare Regem, vt ab incepto desisteret, monere, ac hortari, additis comminationibus, nisi id feciſſet, se diutius æquo animo id passuros non esse. Quibus Rex commotustute, lam illis quamuis ægro animo ac grauatè ad tempus concessit, idq; quod videret Comites hanc rem partim armis, partim conditionibus propositis strenuè tractare ac agere. Hæc enim suspicicio animis Comitum prorsus insederat, Regem subditos Ducum Slesuicensium ad defectionem sollicitare, vt à Ducibus, qui nondum per ætatem Ditionem administrare possent, ad Regem deficerent, ipsius humanitate & integritate, quam præ se ferebat, pellecti. His autem incommoditatibus vt occurrerent Comites, in hoc vnum incumbebant, ne Duces rerum imperiti, indefensi & circumuenti, aliquid detrimenti acciperent: qua de causa, etiam Tutelæ ius sibi vendicabant, & Ducatum eo tempore maior natu Ericus administrabat. Rex erga Duces Slesuicenses malè affectus, auersoq; ab illis animo, nouis subinde rebus studebat, pactoq; & coniuratione cum Archiepiscopo Bremensi Hildeboldo inita ac facta, id egit, ac effecit, vt is Comitibus bellum faceret, terroremq; incuteret. Qui etsi homo religiosus esset, ordinisque Ecclesiastici, tamen pecunia corruptus, Slesuicum contendit & vrbem obsedit. Rex, quò excursiones liberas ex Dania in Ducatum Slesuicensem facere posset,

arcem

arcem Koldingensem, reparari & muniri iusserat, quò sui milites, postquam prædam adepti essent, tutò sese reciperent, vt nemo hac ratione in Ducatu Slesuicensi à direptione & irruptione Danorum imposterum tutus ac securus esse posset. Quò factum, vt Rex paulatim totum Ducatum in suam potestatem redigeret, portione solum quadam Duci relicta, de qua tamen & quanta fuerit inter Authores non constat. Episcopus quoq; Slesuicensis, eius infortunij ac calamitatis omnino expers non fuit, vt qui naues quatuor in belli vsum, suis sumptibus instruere & armare coactus fuit, quos sumptus cum Episcopus diutius ferre non posset, quod bellum longius extraheretur, & propter hostem, qui in propinquo erat, non tantum naues instruendæ, sed & milites quoque & nautæ magno numero ad prælium nauale apti, alendi & sustentandi essent, Bundo bona & possessiones in *Stanesholda* & *Siblavv* vendere coactus fuit, quæ tamen Episcopus Bartoldus mille & ducentis marcis redemit. Qua de re, cum Episcopus grauiter conquestus esset, sumptusq; huiusmodi inposterum facere recusaret, dissensiones & certamina inter Ducem & Episcopum, maxima & acerrima extiterunt. Post longas autem altercationes, vtrique placuit, rem ad arbitros deferri, qui de sumptibus illis in quatuor naues factis statuerent. Arbitri electi fuerunt *Esgerus Episcopus Rigensis*, *Grummo Præpositus Ecclesiæ Slesuicensis*, *Trugillo Archidiaconus*, *Tucco Cantor Slesuicensis*. *Iacobus Præpositus in VVarthora*, *Bartoldus Præpositus Langenlandiæ Canonicus Slesuicensis*. His adiuncti fuerunt *Petrus Mule*, & *Ioannes Zvvitting Ducis Dapifer*. His tota lis ac controuersia commissa & potestas data fuit, vt pro arbitrio statuerent & disponerent. Qui re diligenter examinata & per-

pensa, audita vtraque parte hanc sententiam tulerunt: vt quoties Expeditio inposterum facienda esset, Episcopus pro se & solus commeatum & cibaria reciperet, & alia iura in naue sua *Kerherda* vsurparet, commeatus autem reliquarum nauium *Norgerhardæ*, *Niehardæ* & *Sodovvith*, dimidia parte Dux fruatur, & reliquæ partes Episcopo cedant: quo eodem iure nautico vtatur & gaudeat Episcopus, quo alij in suis nauibus vtuntur. Quod si expeditio fieret, & redemptionis nomine pecunia recepta esset, Dux de tribus nauigijs dimidium recipiat, reliquum Episcopus, & de propria naui totum.

Turbulento autem hoc rerum statu, bellisque feruentibus, Ericus maior natu moritur, relicto fratre Waldemaro, qui vbi adoleuisset, ab amicis & propinquis persuasus est, vt se Regi Daniæ subijceret, superiorem eum agnosceret, atque Ducatum in feudum ab eo acciperet: ita enim fore, vt hac ratione, quicquid de Ducatu à Rege auulsum & ademptum esset, & ad Ducatum pertineret, facili negotio adipisci ac recuperare possit: idque quod multum interest, alienos populari fines, ac suos proprios videre vastari ac diripi: plus enim cordis maioremque confidentiam inesse inferenti bellum, quam hostem propulsanti: a Rege vero inposterum multa adhuc duriora ac atrociora metuenda & expectanda esse, vt, qui ex loco propinquo, fines Ducatus ingressus, omnia iam pridem vastarit ac diripuerit, rebusque sic comparatis, quotidie adhuc excursiones facturus sit: deinde non esse Ducis potentiam neque vires, vt tam potenti Regi resistere possit, nisi militem externum conductum, semperq; accinctum ac paratum, finitimosque subsidio habeat. His & rebus alijs Dux adductus & territus, consiliis amicorum & necessariorum tandem

dem obtemperat, moremq; gerit. Legati itaque statim ab illo missi, qui de animo & voluntate Ducis Regem certiorem redderent, nimirum illum, Regem superiorem agnoscere, eique dicto ac imperio audientem ac obsequentem se præstare, promptum ac paratum esse: ea tamen conditione ac lege, si ij prius liberarentur, quos Rex captos in seruitutem redegisset. Quibus cum Rex annuisset, pax certis conditionibus facta est.

Anno 1263. cum templum Slesuicense maximis sumptibus ædificari cœptum esset, & pecunia non suppeteret ad ædificationem necessaria, Episcopi & Canonici Slesuicenses, Pontifice in Concilium adhibito, quæsiuerunt: liceretne ex vsuris, rapinis, & aliis bonis iniustè partis & acquisitis, si illa Ecclesiæ donarentur vel legarentur, opus inchoatum absoluere & exædificare, idque quod summa Ducentarum argenti marcarum illis repræsentaretur & offerretur, quam tamen, vnde collecta esset, aut cuius pecunia illa fuisset, non constaret. Ad ea Hugo Cardinalis sanctæ Sabinæ ita respondit. Vrbanum illam pecuniæ summam, de qua retulissent, Ecclesiæ Slesuicensi in vsum structuræ & cœpti operis conuertendam concedere & impartiri: idque licitum esse & minimè reprehendum. Quod si impostorum existerent, qui illam pecuniam peterent, & eam sibi tanquam veris Dominis deberi dicerent, idque docerent, eam merito restituendam, & eo nomine satisfaciendum esse.

Anno 1273. Bundo decimas Episcopales in Parochia *Aluer*, ministris Ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ, vtendas & fruendas dedit, ea lege, vt in æquales quatuor partes diuiderentur: quarum vna Cantori eius Ecclesiæ: altera Diacono & Subdiacono,

tertia ei qui campanas pulsat, hoc est ædituo cederet: quarta in sumptus, qui in candelas & cereos fierent, collocarentur. Cantorem autem decimas illas, vt dictum est, distribuere, & ab eo vnumquemque portionem suam petere debere. Et qui hanc sanctionem contrauenerit, eum diris deuouendum, & fulmine Execrationis Ecclesiasticæ feriendum esse. Ecclesiam illam *Aluer* primùm in *Rungholdt* sitam, & deinde mari, quo alluebatur, absorptam, tandemque *Hadersleuiam* esse, omnium constans est opinio: vbi ea paulatim incrementa cepit, statutumque, vt Canonici eò vocati ad certum numerum alerentur, qui rem diuinam tractarent: quibus etiam statuta ab Episcopo & Capitulo Slesuicensi approbata, concessa fuerunt. De quibus paulò post latius. Canonici autem illic ad nostra vsque tempora vixerunt viri boni & celebres; anno autem Millesimo Ducentesimo trigesimo Principibus placuit, vt Canonici, qui *Hadersleuiæ* viuebant, bonis illis, quoad superstites essent, adhuc fruerentur, illis autem morte sublatis, bona & possessiones ad Principes deuoluerentur. Quod factum est. Itaque hoc tempore neque Canonici, neque vmbra bonorum diuinis vsibus dicatorum apparet, vt quæ vnà cum curijs & habitationibus, profanis vsibus deputata & attributa sint.

CAPVT XII.

Nobile Slesuicum, Iacobo Antistite, flammis
Vulcani perijt, Rege fugante Ducem.
Sed Dux Volmarus, pensans ciuile benigno
Ingenio damnum, mox onus omne leuat.

A. C. 1288. An-

ANNO 1281. Iacobus Episcopus Slesuicensis eligitur & consecratur à Ioanne Archiepiscopo Lundensi.

Hac tempestate bellum recens inter Regem Daniæ Ericum, & Waldemarum Ducem Slesuicensem iterum exortum est, his de causis, quod Dux Regi, eam, quam sibi deberi putabat, obedientiam & fidem non præstaret ac exhiberet. Quo bello Waldemarus captus, & arx *Tunderensis*, expugnata & diruta fuit. Vrbs quoq; Slesuicensis, quæ semper fuit Ducũ receptaculum, insignem hoc tumultu cladem accepit, vt quæ capta, expugnata & direpta fuerit, tandem vero in cineres redacta penitus conflagrauerit. Nam in domum quandam, hostis ea nocte, quæ diem, quo ciuitas expilata fuit, subsecuta est, ignem coniecit, qui vbi hæsisset, paulatim vi ventorum proximas ædes complexus, sensim latius serpsit, breuiq́ue ita se dilatauit, vt flamma cuncta absumeret & depasceret. Ciues magno numero ad incendiũ concurrũt, quod fortuitum existimarent, & quæ restinguendo igni forent comportant, idque inermes, quod hostile nihil metuebant. Vbi contigit, vt multi eorum interficerentur, propterea quod nihil quicquam mali metuerent, sibiq́; persuaderent, hostis libidinem & furorem, ea præda, quam paulò ante adeptus esset, iam penitus satiatum & expletum esse. Vbi autem hostem suis conatibus resistere, illosq́; qui ignem restinguere cupiebant, trucidari viderent, clamor inter cædem & vulnera extrepidatione & incendio latius effuso, sublatus, sensum audientibus ademit, vt quid rerum ageretur, non intelligerent: pleriq́; ciues, qui fuga præcipiti sibi consulere statuebant, noctu nudi in armatos milites incidebant, & ambusti misera strage ab

hostibus, quos pro amicis habebant, confodiebantur. Tandem cum nuntiaretur,& omnium sermone prædicaretur, hostem incendij Authorem esse, omnes de salute solliciti fuga euadere conati sunt. Horum alij saucij & igne adusti euaserunt, alij quos flamma non absumpsit, ferro hostili perierunt, vt certum sit, Ducem Slesuicensem incendio illo, maiorem cladem & damnum, quam bello accepisse: quamuis in ciues & subditos Ducatus Slesuicensis ita sæuitum sit, vt omnes persuasum haberent, Regem omnia flamma & igni, delere ac vastare, statuisse. Nam aduersus Ducem, eiusq; subditos, odio flagrabat maximo ac acerrimo, his de causis, vt putant, concepto, quod Dux feudum à Rege accepisset, Regi fidem & obedientiam promisisset, & nihilominus Regi hostiliter aduersaretur & resisteret, neque se obsequentem præberet. Ita factum est, vt omnia ferro & igni vastarentur, tantusque terror omnium animos, qui Ducatum incolerent, inuasit, vt Regem finitimis iam domitis, ac subactis, tam oppida quam villas, & vicos Ducis, expugnaturum, & occupaturum esse existimarent, quod pleraque iam omnia partim vi, partim metu, sibi subiecta, atque in potestatem suam redacta iam teneret. Hisce autem malis, ac periculis, quæ impendere videbantur, maturè occurrentes Ducis Slesuicensis cognati & propinqui, sese arbitros interposuerunt, rebusque compositis, Regis animum, qui totus ira & furore percitus, subitò impressionem in Ducatum facere meditabatur, placarunt ac mitigarunt, vt à persecutione & bello desisteret. Waldemarus autem Dux vicem Slesuicensium Ciuium miseratus, quod tam multa mala ac incommoda perpessi essent, de damno sarciendo cogitauit, quo pacto aliqua ratione illis satisfaceret, detrimentumq; beneficio

aliquo

aliquo compensare posset. Itaque tributum vel censum annuum vulgo Stadtgeldt, ciuibus remisit, simulque, quod à quauis in posterum exactione liberi ac immunes esse deberent, benignè pollicitus, se eos nimirum integro sexennio propter insignem calamitatem, in quam ob Ducis defensionem incidissent, vel minimo onere nequaquam grauare nolle. De qua re literæ adhuc apud Slesuicensem senatum extant. Præterea sanciuit & prohibuit, ne Clerici & Laici, pensiones annuas habitationum & ædium, quas locassent, ciuibus augerent, qui illas conduxissent, quoad ædes exustæ reædificatæ essent. Rex etiam Ericus, qui Ciuitatem antea expugnarat, eamq; diripuerat & expilarat, Ciuibus trucidatis, ædibusque incensis, pœnitentia & misericordia ductus, immunitatem Slesuicensibus concessit, vt de mercibus in Regno Daniæ emptis, vectigalis aut Thelonij nomine, nihil penderẽt aut soluerent: vt ex diplomate ea de re dato constat, cuius verba subijcimus.

Ericvs von Gades gnaden/ der Denen vnd Wenden Konig/ wunschen allen / de dissen Breff sehen / heil in dem Heren / vnd doen kund jdermennigliken / datt wi den schaden/ arbeitt vnd vordrett/ welcke/ vnse geleuende Borger / der Stadt Schleswig vmb vnserent willen / vnd vnseres Rikes offtmals geleden / betrachtet / vnd derwegen bewagen/ enen eine sonderlicke gnade wedder to ertogende. So geuen wi derwegen allen vnplichten fri/ dat se keinen toll in dem Rike geuen scholen / idt si an welkem orde se andrapen mochten / von nun an/ vnd stette to ewigen tiden/ dat se daruan scholen entlediget sin. Vnd gebeden derwegen ernstlig bi verlust vnser Gnade/ dat nemand von vnseren Amptluden / edder deseluige beuehlhebber edder he si wol he si / de genanten Burger wedder inhalt disser begendinge / to jenigen tiden be-

schwere / vnd so fern solckes geschutt / werth he vnsere straffe sick derwegen to vermoden hebben. To wider bekrefftinge midt vnserem Insegel angehengt tho Kallingborch Anno 1289. am dage Vitalis Martyris jm biwesende der tugenisse Her Peter Credentzer.

Rex etiam ERICVS in iure constituendo occupatus fuit, editis constitutionibus quibusdam, quæ ad calcem Nomocanonis Danici adiectæ sunt, quibus sanciendis & condendis Iacobus Episcopus Slesuicensis interfuit, vna cum alijs Episcopis Danis electis & confirmatis Anno M. CC. LXXXII. Idque constitutionis verba in fine arguunt.

Tandem ERICVS Rex rebus pacatis ac tranquillis, à bello ocioſus & quiescens à suis occiditur. Anno à nato Christo 1286.

Hoc tempore Bonifacius VIII. Pontificatus sui anno 4. Archiepiscopo Lundensi mandauit, vt omnem Clerum defendat ab iniurijs & violentia. Et si Rex de vi illata certior factus, eam vltus non fuerit, aut in eiusmodi sceleribus conniuerit, aut etiam occasionem eius inferendæ præbuerit, eum excommunicandum & ab omnibus sacris interdicto suspendendum. Quod etiam ante ipsum Alexander quartus fecit.

Comes Gerhardus Adolphi IV. Filius, Monasterium Monialium, *quod prius positum fuerat in* Palude Krempis *prope* Storam *&* Albeam *transtulit in villam* Vlete: *Nobile quoque & inuincibile antiquum castrum* Itzehoe in honorem Beatæ Virginis Mariæ *consecrari fecit, & dotauit secundum ordinem & regulam* Sancti Benedicti Abbatis, *ad seruiendum Domino Deo in æuum : in quo etiam primus Gerhardus suam elegit sepulturam. Et ab illo tempore vsque ad præsens, omnes de illa progenie Gerhardi Comitis descendentes, scilicet Henricus eius Filius, Magnus Gerhardus Comes, huius*

Henri-

Henrici filius, & frater eius Iohannes illic sepulti sunt. Cõtinuator Helmoldi in manuscripta historia.

Hartuuicus quoque Reuentlovv miles, qui Comitem Adolphum in Segeberg interfecerat, pœnitentia ductus, in absolutionem peccaminum suorum, limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli in Romana Vrbe visitauit. Vbi pro pœnitentia iniunctum illi fuit distribuere bona sua pauperibus. Et vigore illius pœnitentiæ in prædicto Clausstro Itzehoe pretiosam domum, Refectorium inferius, superius Domitorium, suis sumptibus construi ac ædificari procuuit. Itidem continuator Helmoldi.

CAPVT XIII.

ERICVS VIII. PIVS, Rex Daniæ 87. in agono fratri inuidit succeßionem Anno 1288. Rostochienses se huic subiecerunt Anno C. 1301. Ringstedij sepultus Anno 1319. Cum Coniuge Ingeburg Birgeri Regis Sueciæ sorore nupta Anno 1296. Cuius filius VValdemar cum septem liberis in pueritia mortuus.

ADOLPHVS, Iohannis Primi Comitis Holsatiæ filius, Comes in VVagria, ratione Vxoris, quæ fuit filia Mistouoi Ducis Pomeraniæ, ob spem succeßionis, Pomeraniæ titulum sibi arrogauit, Obijt ἄπαις Anno 1308.

IOHANNES II. alter Iohannis I. Comitis Holsatiæ filius, Adolphi frater, Comes in Vagria à propriis filijs, ob iteratum matrimonium Bramhorstij fuit captus, & Kilonium abductus, donec tandem amicorum transactione Lubecæ intercedente, filiis Ditionem distribueret, vnico Chilonij retento, à morione altero priuatus est oculo,

Reinfeldij sepultus Anno 1281. Ex priori coniuge, I. N. Comitissa de Wunstorp tres suscepit filios, inter quos Primus Iohannes Dominus in Bramstede & plone, Secundus Nicolaus, factus Dominus in Oldesloo, Tertius Adolphus Dominus in Segeberg, qui in cubili à nobili quodam Reuentlovv fuit confossus Anno 1315. Hi tres sine liberis ac hæredibus discesserunt.

Ex altera Cõiuge Agnes, Erici sexti Regis Daniæ vidua (quæ obijt Anno 1300.) duo ei nati sunt filij Iohannes Largus Comes VVagriæ, Lubecensibus Trauemunde vendidit, Arcem Trittovv ædificauit, Insulis Femern, Lalandiæ & Falstriæ à Rege Christophero inuestitus, Chilonien sibus priuilegia attribuit. Obijt Anno 1350. Huic Iohanni Largo Comiti VVagriæ vnus filius fuit, quem ex coniuge Agnes suscepit, Adolphus nomine, qui fuit vltimus Comes in VVagria, duxit vxorem, Filiam Henrici Ducis Megaloburgensis, Alberti Regis Suueciæ sororem, nomine Annam, sterilem permanentem: vnde illa progenies terræ Wayerencium: scilicet Kyl, Oldenburg, Plone, & in palude Crempe decessit sine hærede, & post Comitis Adolphi obitum, ad Comites Holsatiæ vt veros Dominos redijt. Obijt Anno 1390. Reinfeldij sepultus. Alter Iohannis secundi filius ex coniuge Agnes natus, fuit Christophorus, qui in arce Kilonij ex fenestra decidit, collumq; fregit.

Tertius, Iohannis Primi Comitis Holsatiæ & VVagriæ filius, fuit Albrecht Præpositus Hamburgensis, qui Hamburgensibus hoc Priuilegium, ne posthac eorum latæ sententiæ ad Comites Holsatiæ per appellationem deuoluerentur, à suis agnatis impetrauit & acquisiuit. Eius soror & Iohannis Primi Comitis Holsatiæ & VVagriæ filia, fuit Helica, vxor Ottonis Quarti Electoris Brandeburgici.

Henricvs I. Gerhardi Primi (qui frater fuit Iohannis I.) filius, Comes Holsatiæ & Stormariæ, Hamburgi teloniũ instituit, auxiliaribus armis cum patruele Iohanne infeliciter

citer Dithmarsos oppugnauit Anno 1289. Sepultus in cœnobio Itzohensi Anno 1310. Huic liberi fuerunt 1. Gerhardus Magnus siue Caluus Comes Holsatiæ (de quo posteà) 2. Agnes Erico Duci Slesuicensi Octauo nupta, mater VValdemari Ducis Slesuicensis Noni. 3 Wilhelmus, huius sit mentio in Chronico Hamburg. An. 1299. 4. Iohannes Comes Holsatiæ, qui hostili manu cum fratre Anno 1322. confligens, duobus prælijs in Dithmarsia Victor extitit verum cum ædi sacræ, in quam hostes coegerat, ignem admoueret magna ab eis, extremam belli aleam tentantibus, strage affectus, vix fuga vitam seruauit. Obijt Anno C. 1359. Reinfeldij sepultus.

Gerhardvs II. siue Cœcus, Alter Gerhardi Primi filius, stipes Comitum Scouwenburgensium, Lubecæ obijt Anno 1312. Hamburgi sepultus, Huic filij fuerunt Adolphus qui obijt Anno 1312. relicto filio Waldemaro, cuius filia Agnes Erico Louuenburgensi desponsata. Alter Gerhardi Secundi filius, fuit Gerhardus Tertius, Comes in Stormaria, quam vna cum patre administrauit, obijt 1320. relicto etiam post se filio Gerhardo, qui & genuit Iohannem vltimum Comitem in Stormaria circa Annum 1320. quæ post huius obitum ad Comites Holsatiæ vt pertinens rediit Anno 1330.

Bartoldus Flamen, redimit bona vendita primum
Bellorum rabie, Rege fauente Pio.
Is post hæc Cleri sortis miseratus iniquæ
Ambobus templis munera larga dedit.

A. C. 1288.

Anno 1288. Bartoldus natione Danus, patria Hafniensis, Episcopus Slesuicensis creatur. Hac tempestate Trugillus quidam Archidiaconus Sleluicensis, testamento Molen-

lendinum prope Slesuicum ædificatum, vna cum bonis mobilibus & immobilibus, quæ in *Struckstorp-herda* habebat, in vsum Ecclesiæ Slesuicensis legauit, pecuniam item vel solarium, quod in fundo quodam in platea *Froke Straden* dicta, erat, eidem concessit ac donauit: idque permittente & consentiente Episcopo Bartoldo. Molendinum illud, vbi situm fuerit, certo non constat, interim tamen prope *Vallum Episcopi* vulgò dictum, molæ fundamenta, reperta & eruta fuerunt, vt verisimile sit, eo in loco molam hanc extructam fuisse. Trugillus autem in Æde Slesuicensi humatus est, non longe à ianua, quæ Austrum spectat. Epitaphium lapidi incisum eiusmodi est. *Hunc locum elegit sibi Trugillus huius Ecclesiæ Archidiaconus, quem fecit ad laudem Sancti Spiritus & Beatæ Virginis, cuius anima sit in pace.* Obijt Anno Domini 1236. Calend. April. XIII. Locus autem ille, me puero, vndique septus, & clathris ferreis circumdatus erat, ita vt ingressus nemini pateret, & *Sacellum vel Capella Archidiaconi* dicebatur. Nunc sublatis clathris ferreis, solus lapis reliquus est.

Prædicandus autem est Episcopi Bartoldi conatus, qui Diœcesin & Ecclesiam summo studio prouehere, & possessionibus locupletare, nisus fuit, vt ex illis angustijs ac difficultatibus, in quas ipsius antecessores incidissent, emergere aliquando ac respirare posset. Idque ex eo clarè ac euidenter colligitur, quod Bartoldus à quodam Ioanne, possessiones & bona emit in campo *VVithol* sita, nempe domos, fundos, syluas, prata, agros, piscinas, pretio triginta librarum Sterlingorum, quam pecuniam Iohannes sibi repræsentatam & solutam fuisse, seque accepisse, coram Waldemaro Iutiæ Duce (nam eo adhuc superstite hæc acta sunt) testatus est. Quam venditionem

in

in gratiam Episcopi, Waldemarus Dux & Episcopus Ripensis, suo sigillo obsignarunt. Episcopi quoque Bartoldi beneficentia ex eo manifestè perspicitur, quod cum comperisset, præposituram in *Ebensuselo*, tenuissimam & inopem esse, præpositoq; eius loci vix suppeditate, vnde se sustentare, & de suis prouentibus certam rationem inire posset, præposituræ itaq; huic tenui ac inopi annexuit Ecclesiam *Felstedensem*, *Beato Dionysio Martyri* dedicatam, vt Ius Patronatus illic haberet & vsurparet, cum iuribus suis & pertinentijs: idque de consensu Capituli Slesuicensis.

Anno 1294. Bonifacius Octauus diplomate publico sanxit, vt si Episcopus in Regno Daniæ capiatur, vel de Regis mandato, vel conniuentia, vel alicuius Nobilis in Dania, vel membri amissione, aut alia iniuria atroci afficiatur, statim à diuinis & sacris cessandum esse. Idem obseruandum, si à Nobili, qui extra Regnum Daniæ Domicilium habet, eiusmodi facinus commissum sit, & Rex conuinci possit coniecturis verisimilibus, id de eius Consilio, aut Principũ, nobiliumve voluntate, factum esse: vel si Rex monitus læso infra mensem iustitiam non exhibuerit, vt & tunc sacra & diuina res conquiescat. Literarum tenorem inserere libuit.

Bonifacius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Lundensi & suffraganeis suis, salutẽ & Apostolicam benedictionẽ. His, quæ pro Ecclesiastica libertate & vtilitate ac statu Ecclesiarũ, ab ipsarum Prælatis prouidè statuũtur, libenter adjcimus Apostolici Numinis firmitatẽ, vt intemerata consistant, quæ nostro fuerint præsidio cõmunita. Cum igitur, sicut ex parte nostra fuit propositũ, corã nobis quædã olim Lundensi Prouinciali Concilio pro libertate Ecclesiastica, ac vtilitatibus ac statu Ecclesiarum vestrarum communi deliberatione ac prouida, eiusdem Concilij editæ

sunt

sunt statuta salubria ac honesta, prout in literis inde confectis plenius continetur. Nos vestris supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Alexandri Papæ Quarti, Prædecessoris nostri, statuta ipsa, sicut prouidè facta sunt, habentes grata & rata, ea authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, Tenorem literarum ipsarum, præsentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est. Cum Ecclesia Daciana adeo graui persecutioni sit exposita Tyrannorum, quod Episcopis, qui se piè Domo Dei murum obijciunt defensionis, etiam in præsentia Domini Regis, in ipsarum personas non verentur minas iniuriosas inferre, quæ satis probabiliter sunt timendæ, cum Clericus se in laris defensione, videatur carere penitus potestatis, ac illorum superbia à metu Regio libera ac secura, in malum possit ascendere quantum velit: sanxit præsentis Concilij Authoritas, vt quicunq; Episcoporum, infra terminos Regni Daniæ mala captione, de mandato Domini Regis, siue eius conniuentia vel consensu, vel alicuius Nobilis, qui manet intra fines prædicti Regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem iniuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit, hoc de voluntate Domini Regis processisse, ac dubium non sit, ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto Regno diuina sint officia interdicta. Si vero aliquod prædictorum alicui Episcoporum illatum fuerit per aliquem potentem, qui manet extra Regnum Daniæ, & coniecturis conuinci possit, hoc aliquo modo ex Regis vel Principum, siue Nobilium Regni Daniæ consilio peruenisse, eo ipso eiusdem Episcopi, dicta à celebratione ministeriorum sileat diuinorum. Et si Rex admonitus per Dominos Episcopos vel quoscunq; Clericos suæ Diœcesis distulerit, vel non curauerit taliter læso infra mensem iustitiam exhibere, Regnum ipsum ad condignam satisfactionem habeatur à Diuinis suspensum. Prohibemus etiam sub Excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter vel Capellanus alicuius Nobilis,

duran-

durantibus prædictorum interdictorum sententijs, ipsis Nobilibus præsentibus, aut aliquo alio in Curijs dictorum Nobiliũ, vel alias publicè vel priuatim diuina celebrare præsumat. Quod qui fecerit, sciet, se Excommunicationis sententiam incurrisse. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infirmare, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum penitus nouerit se incursurum. Datum Romæ. Ex his colligitur, quanta ea tempestate fuerit impietas & licentia optimatum hominumque primi ordinis, vt qui impunè Dei Ministros & Sacerdotes pro libidine afflixerint, summisque iniurijs contumelijsq; affecerint, Regibus in eiusmodi sceleribus conniuentibus; vt tãdem Pontifices pro ea, quam Dei authoritate, & more Maiorum vsurpabant potestate, hisce modum prę-scribere, necesse habuerint, imprimis rudi & barbaro illo seculo, & in prouincijs, quæ longè dissitæ, ab omni cultu & humanitate alienæ essent. Sed ad Episcopum Bartoldum redeo. Is non tantum Ecclesiam suam bonis & possessionibus emptis locupletauit sed & prædia à suis prædecessoribus, exigente rerum necessitate, alienata restituit. Itaque bona, quæ Bundo Episcopus vendiderat, vt supra annotauimus, ab Erico Regis filio redemit, nimirum in *Struesbola* & *Siblovv* mille ducentis marcis, idque de consensu Reginæ, Regis Matris, Fratrum, & Sororum. Qui etiam receperunt, seseque firmiter obligarunt, si quidem bona illa diminuta essent, Regem de bonis proprijs compensationem facere & illa scotare debere. Acta sunt hæc Neuburgi Anno 1298.

Anno 1305. Capitulum Slesuicense reddit rationes præpositurarum, & literis signatis ostendit & testatur, præposituras *VVidæ*, *Eiderostadiæ* & *Strandiæ*, multis annis

annis vltra hominum memoriam, penes Canonicos Slesuicenses fuisse. Idque ab Episcopo eis concessum, qui in locis iam nominatis, nullo reclamante, suspenderint, interdixerint, excommunicarint, visitarint,& procurationes receperint, cum septem euictionibus annuis, & quidquid præterea ad ius spectaret, exceptis causis, quæ soli Episcopo reseruarentur: sed & præposito quotannis procurationum sumptus solutos esse. Idque, quod qui in *Vtlandia* habitarent, extra limites suæ Parochiæ, non euocarentur, vt se iudicio sisterent: Sed nec præpositorum siue Officialium quenquam sibi potestatem sumpsisse, insimulandi quenquam de delictis grauioribus aut leuioribus, nisi vocata synodo & præposito præsente: idque quod Parochiam siue Vniuersitatem per Excertores vel potius Exploratores constitutos, eos quos notassent, in synodo accusasse, &c. Vnde constat, Ecclesiam Slesuicensem ius Præposituræ habuisse in illis regionibus, quo nunc priuati sunt. Quid, quod Episcopus Bartoldus, cum videret Præposituram Borchsuselam tenuiorem esse, quam vt Præpositus Ecclesiæ Hadersleuiensis inde se alere ac sustentare posset, annexuit ei Ecclesiam *Hoptorpiam & Deciman Episcopalem* in parochia *Aluer*, & *Præbendam Canonicatus in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Hadersleuij.* (quam Minorem postea nominari iussit,) ea de causa, vt Diacono, Subdiacono, ac Ministro Maioris Altaris benè prospectum sit, vnde honestè viuant, laborumque suorum præmium ac remunerationem aliquam percipiant: quēadmodum id Ecclesiæ dignitas ac honestas, & Diuini Numinis reuerentia requirit ac postulat. Insuper sanxit, vt si qui Canonicorum Hadersleuiensium peccēt ac delinquant, censura Ecclesiastica, seruato iuris processu mulctentur, seuereq; in eos animaduertatur.

Bar-

Bartoldus autem Epiſcopus, poſtquam Eccleſiam Sleſuicenſem multos annos, magna cum laude adminiſtraſſet, magnaque bonorum acceſſione inſigniter locupletaſſet, eam tandem reſignauit ſucceſſori ſuo Iohanni de Bockholdt, & paulo poſt placidè in Domino obdormiuit Anno 1310. Vndecimo Calend. Februarij. In ea templi parte, quæ ad Auſtrum vergit iuxta Chorum ſepultus, vt ex Epitaphio colligitur, quod eiuſmodi eſt.

Hafnis eram natus, hic Archileuita vocatus:
Inde Cathedratus, nunc ſum cinis hic tumulatus.

Obiit Epiſcopus Bartoldus Anno Domini M. CCC. VII. *Kalend. Ianuarij.* X.

Anno 1302. *Controuerſia & lis fuit de Eccleſia Haueteflenſi, & tandem probatum, illam eſſe de collatione Capituli. Hoc tempore autem vixiſſe Epiſcopum Iohannem, ex epiſtola VValdemari Ducis conſtat fol.* 38. *qui priuilegia ſuper bonis Epiſcopi data confirmat Anno* 1310.

CAPVT XIV.

Iuris Iohannes Bocholdus ſumere ſacri
Plus cupit, hunc reprimit ſed pia turba Senum.
Audens Heſtbechum Rex caſtris cingere Danus,
Cæditur Holſatis Marte fauente viris.

ANno 1309. Iohannes de Bockholt in Holſatia natus, ex nobili familia oriundus, Epiſcopus Sleſuicenſis creatus eſt, idque per reſignationem Epiſcopi Bartoldi. Hic initio ſuæ adminiſtrationis de conſenſu Capituli confirmauit Statuta Hadersleuienſium Canonicorum, qui

supplices Episcopo facti, legibus se ornari petebant. Fuit id Anno 1309. die Beati Gregorij Martyris ab ijs petitum, in Ecclesia Slesuicensi per Nicolaum Cantorem, in commodum & emolumentum Canonicorum Hadersleuiensis Ecclesiæ, quæ Slesuicensis est Diœcesis: vt ex literis, quarum tenor hic subijcitur, videre licet. Capitulum Hadersleuiense libera vtatur electione Canonicorum, saluo iure integro Ordinarij, qui electionem confirmabit iuxta sanctiones Canonum. Vniuersi vero obsequantur dicto Episcopi vel Vicario eius, si longiùs absens fuerit. Nec præpositus in Borchsusel iurisdictionem habeat in Canonicos, nec locum in Capitulo ratione Præposituræ. In omnibus actionibus Capituli, vox præcellat Cantoris, sede sibi concessa, in Choro superiori: & sic reliquorum Canonicorum secundum institutionis Ordinem. Cantor Ecclesiam & Chorum honestis moribus & disciplinis regat, errantes in legendo & cantando corrigat, quemadmodum ex vsu esse hoc putauerit. Canonicus admissus soluat sex marcas Lubecenses pro Cappa Chorali, infra tres menses sub pœna dupli. Absens expendat decem solidos Sterlingorum in stipendium Clero, die Andreæ. Neminem admitti, nisi die parasceues insinuauerit per se vel alium residentiam, quam infra mensem incipiat complere, & exinde resideat duodecim septimanis integris, sola manuali distribu tione percepta. Et per has septimanas quotidie in Choro compareat, quibus effluxis communitati admittatur, & qui non resederit, procuratore vtatur Canonico, qui suppleat in cunctis tam diuinis quam secularibus vices suas. In singulis festis omnes adsint, quando nouem lectiones legendæ: si abfuerint, mulctentur dimidio solido Sterlingorum, propter Processionem, Missam, matutinas preces & vesperas tan-

tantundē ſigillatim. Nec in tēplo fiat Miſſa vel lecta vel cātata, celebranto eā in Choro Miſſario ſub pœna ſolidi groſſorum, niſi fuerit Canonicus. Qui neglexerit, & non cantauerit Miſſam ſuam in Choro, multetur ſolido Sterlingorum, ſi fuerit ferialis dies, ſi feſtiuus, ſolido groſſorum. Item: Quicunque natus in Præpoſitura Bariſſet ad Sacerdotium promotus fuerit, ſeruiet Choro Hadersleuienſi per biennium, & faciant impenſam de fructibus Sleſuicenſis Chori. Item: Quicunque de reſidentibus extra Eccleſiam, decem ſeptimanas integras ſimul, vel per Vices abfuerit, careat communitatis perceptione, niſi licentia ſui Capituli peregrinetur, vel extiterit donorum Eccleſiaſticorum procurator. Reſidens autem Canonicus, ſi per ſeptimanam neglexerit Chorum, communitatem perdidit, ſecus ſi ægrotus. Qui reſidens mortuus fuerit, de communitate hæres non participabit. Nullus Canonicorum moueat contra Canonicum quæſtionem, antequam conueniat ſocium legitima monitione in Capitulo. Canonici abſentes, qui nec per ſe, nec per ſuos procuratores de Salario Chori, infra octauas Diui Andreæ ſatisfecerint, tenentur in duplo. Et ſi infra menſem non erogauerint, ad reſidentiam, niſi ſatisfactum fuerit, non admittantur. In ſummis Feſtis Canonici debent celebrare, & ſermonem habere his feſtis: Natiuitatis Chriſti, Epiphaniæ, Purificationis & aliorum feſtorum Beatæ Mariæ Virginis, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Apoſtolorum Petri & Pauli, Omnium Sanctorum & Dedicationis Eccleſiæ. In quibus, ſi quis moram fecerit, pro Veſperis multabitur duobus ſolidis groſſis, pro Miſſa tantundem, & ſimiliter pro Sermone. Canonicus admiſſus, tactis Euangelijs, iuret Capitulo fidelitatem, ac ſe ſeruatu-

rum Statuta Capituli ſecreta non reuelaturum, ſed defenſurum bona Eccleſiæ tanquam propria. Si quis Canonicorum mortuus fuerit, curia autem vacua, eã alius de conſtitutione Capituli emat, pecunia in memoriam eius expenſa. Canonicus habens Vicariam in eadem Eccleſia, decem marcarum Capellanũ habeat ſecum chorum viſitantem, ſub priuatione communitatis. Item Capella Gammelhadersleue & Sedorp ſint à Cathedratico & procurationibus exemptæ, & cæteris iuribus Epiſcopi, vbi Capitulum Hadersleuianũ habebit poteſtatem inſtituere ſacerdotes, & deponere. Quæ omnia ab Epiſcopo & Capitulo Sleſuicenſi fuerũt approbata & confirmata, & ſigillis appẽſis munita.

Anno 1310. *VValdemarus confirmauit priuilegia Eccleſiæ Sleſuicenſis, quod eorum bona ac poſſeſſiones ab impetitione exactoria, grauamine, iureq;* Stuth, Querſath, *cæteriſq; ſolutionibus & ſeruitijs, libera ſint & exempta. Exemplum priuilegij extat in libro Suauesſtadiano. fol.* 38.

Anno 1318. Controuerſiæ & lites inter Epiſcopum & Canonicos de collatione præbendarum, motæ atque excitatæ fuerunt, quod ſibi eam ſoli Epiſcopus competere exiſtimaret, vt, qui Nobili familia prognatus, plus ſibi licere putaret, & plus iuris ſumeret, quã par eſſet. Huic Capitulum interceſſit, & libro Statutorũ in medium producto, clarè ac euidenter oſtenderunt & demonſtrarunt, quid iuris Epiſcopus haberet, eiuſque conatus hoc pacto repreſſerunt. Quibus Epiſcopus edoctus, cedere tandem coactus fuit, expreſſeque fateri, ſibi tantùm primam vocem & ſuffragium in Capitulo competere, neque ſe quicquam ſine Capitulo conferre poſſe. Et hac ratione diſſidium compoſitum & ſublatum fuit, in Curia Epiſcopi Sleſuicenſis: idq; clariſſimè conſtat ex literis ea de re ſcriptis, quibus Epiſcopus vſum & conſuetudinem vbiq;

rece-

receptam ac approbatam summoperè laudat & confirmat, quod nemo sine vtriusq;, hoc est Episcopi & Canonicorum consensu, in Capitulum sit cooptādus: sed vtriusque consensu ac approbatione id fiei debere ac oportere, ne alter alteri ius suum præripiat. Quam consuetudinem se perpetuo seruaturum pollicetur, Iuramentoq; confirmaturum, ne de ea quicquam posteri immutent. Idque quam maximè è re atque vsu Capituli esse, ne odij in posterum flagrantis ansa atq, occasio detur. Anno quoq; 1318. Diplomate suo confirmat & testatur Iohannes Episcopus, collationem præbendarum pertinere communiter vel coniunctim ad Capitulum & Episcopum. Quod & Esgerus Archiepiscopus Lundensis confirmauit, tanquam consuetudinem laude dignam & commendandam. Quanto autem honore ac beneuolentia, Episcopus Iohannes Canonicos amplexus sit, ex eo euidenter ac perspicuè colligere licet, quod decimas, quę sibi deberentur, Canonicis benignè largitus sit, ad subleuandam eorum inopiam, quibus vix suppetebat, vnde honestè se alere ac sustentare possent, quapropter ijs carere, quā collegas & fratres suos in summa inopia ac mendicitate relinquere maluit. Ita de consensu Capituli decimas Ecclesiarum, in *Slabbenhagen, Gottorp, Iallinbeke, Seestede, Huttenkroppe & Haddebuie* liberaliter largitus est. Sed & Syluam *Rouuese* in *Ruderop* viginti quatuor libris sterlingorum emptam, nec non bona in *Ofkenbul, Berndorf, Husbuie* certo pretio empta, hac conditione Canonicis concessit, vt decimæ inde collectæ in triticum commutentur, & per quendam Canonicum à Capitulo ad eam rem electum, qui portiones secundum numerum Residentium faciat, inter ipsos qualibet septimana, die Sabbati, & feria quarta post rē diuinam peractam, legitimè distribuat, vt quolibet die

Residentes adsint, siue per alium agenda curent, & qui impensam fecerit, habeat duos panes. Insuper quoq; statuit, vt quicunq; Canonicorum Residentium die Sabbati, etiamsi negociis & seruitio Dominorum, Regis, Ducis, Episcopi, Capituli, vel proprijs impeditus, in Sũma Missa nõ fuerit, nisi morbo impeditus, panibus illius diei distribuendis careat. Idẽ & de quarta feria statuit ac decreuit. Qui etiam in Capitulũ vel Chorum sine Religione & habitu Chorali (Clerici) ingressus fuerit, panibus tota septimana careat, qui inter reliquos æqualiter distribuendi erunt. Item, qui mulieres suspectas domi alunt, vel alibi, & qui huic sanctioni non paruerit, panibus priuetur, quoad in omnibus sese obedientem præbeat. Quæ omnia calculis suis confirmauit Pontifex & Archiepiscopus Londensis Anno 1339. vt ex literis in fine subiectis constat.

Hoc anno Episcopus Iohannes Capitulo Hadersleuiẽsi literis datis significat, se ab Archidiacono Marquardo Blockio, & Anshelmo Præposito *Strandiæ*, quibus illa præpositura quondã collata fuisset, accepisse: Præpositos in *Barchsusel* ab eo tempore, cuius memoria non extet, sibi vsurpasse iurisdictionem Ecclesiasticam in Canonicos *Hadersleuienses*, nec non in omnes Presbyteros & Clericos, in Præpositura *Barchsusel* habitantes. Itaq; illis mandat & seriò præcipit, vt Præposito illi obedientiam præstent, &, nisi pareant, fore, vt Ecclesiastica censura notentur.

Circa hoc tempus, id est, Anno 1325. Ericus Dux Slesuicensis Octauus Waldemari filius, cũ annos nouem Ducatui præfuisset, vitam cum morte cõmutauit, Slesuici in Choro humatus, Patriq; associatus est. Pater autem Waldemarus anno Domini M.CCC.XIII. in fata concessit, in Choro Slesuicensi sepultus, eo loco, vbi lectiones sacræ recitari & cantari solent. Epitaphium

phium lapidi insculptum, quamuis magna ex parte detritum eiusmodi est.

Anno Milleno CCC. *ter cum Duodeno*
VValdemarus Dux Slesuici & Natus Erici.
Migrans iacet hic tumulatus.
Pacifer hic Clarus cœli sit in arce locatus.

Lapis vero sepulchralis æreis laminis egregie exornatus, hoc continet Filij eius Erici Epitaphium.

Hic Dux magnificus, Patriæ defensor Ericus
VValdemari natus, Patri iacet associatus.
Anno milleno migrans CCC. *ter Vq; Viceno:*
Gregorij in Festo, Deus huic miserator adesto.

CAPVT XV.

Christophorus II. *Dux Hallandiæ & Samsoe, postea Rex Daniæ* 88. *Ducatum Slesuicensem sub specie tutelæ, cum Regno Daniæ vnire & consolidare contendit, cui tamen Gerhardus Comes Holsatiæ restitit. Ob Exactiones nimias subditis exosus, propterea q; Regno pulsus, ope Iohannis Largi, sui vterini restituitur. Rostochium reddidit. Obijt Anno* 1333 *Nycoping, Soræ sepultus. Huic liberi fuerunt* Ericus, *qui in expeditione Gottorpiensi obijt Anno* 1331. *Soræ sepultus.* Waldemarus Tertius *alias dictus Quartus Rex Daniæ* 89. (*de quo postea*) Otto *captus.* Margareta *Ludouici Brandeburgensis, Ludouici Bauari Imperatoris Filj, consors:* Agnes *in cœnobio Sorensi sepulta, &* Heilvvig *itidem Soræ sepulta.*

VValdemarus Dux Slesuicensis Nonus, *Christophero Rege Daniæ exulante, Rex Daniæ per seditionem electus Anno* 1331. *quo restituto, Regnum iterum resignare & Ducatum recipere coactus fuit. Huius filius fuit* Hinricus *Dux Iulandiæ siue Slesuicensis Decimus Anno* C. 1370. *in vxorem duxit* Cunegundam, *post cuius obitum Anno*

1386. *Feudum Ducatus Slesuicensis caducum ad Comitem Holsatiæ Gerhardum, ab Olao Quinto eo inuestitum, peruenit.*

Gerhardus Magnus *siue* Caluus, *Henrici primi filius, Comes Holsatiæ, à Dithmarsis Victus, multos desiderauit Anno* 1322. *A VValdemaro Anti Rege Ducatu Slesuicensi inuestitus, ipsi paulo post cedere coactus fuit. Randusij in Iutia in castris noctu à Dano quodam Niels Ebbeson est iugulatus Anno* C. 1339. *Itzehoæ sepultus, Vxor* Elisabetha *Henrici Ducis Brunsuuicensis & Luneburgensis soror, ex qua nati ei liberi.* 1 Elisabetha *ab Harquino Rege Norwegiæ, Magni, Regis Sueci filio repudiata (qui & propterea reiectus) tradita est Christo in matrimonium in claustro* Wasten *in* Suecia, *Ordinis S.* Brigittæ *Virgo consecrata. Hæc Virgo transactis aliquibus annis, electa fuit in Matrē &* Abbatissam *dicti* Monasterij Wasten: *illique, qua decet, magna cum reuerentia, tam in spiritualibus quam temporalibus præfuit gloriosè* vt testatur cõtinuator Helmoldi 2. Iohannes *Elisabethæ frater, Gerhardi filius; cecidit in bello quodam Danico, duabus superstitibus filiabus, quarum altera Nicloto, altera Bernhardo Henetorum Principibus elocata.* 3 Henricus Ferreus *Iohannis frater Comes Holsatiæ (de quo postea)* 4. Nicolaus *qui cum Danis grauia bella gessit, & à Carolo Quarto impetrauit, vt Hamburgensibus, Comites Holsatiæ pro veris Dominis agnoscere, sit demandatum Anno* C. 1375. *Arensboke fundauit. Eius filia* Elibetha *primùm* Alberto Tertio Megapolitano, *secundò* Erico Tertio *Duci Saxoniæ inferioris nupta.*

ERicvs filium reliquit Waldemarum nomine, cuius tutelã Rex Christopherus sua sponte ac propria voluntate non rogatus, neque ab agnatis proximis vocatus, susciperе cõtendebat & ambiebat: vt hac ratione Ducatum Slesuicen-

uicenſem Regno Daniæ annecteret & vniret: quod ab eius maioribus ſæpe tentatum fuerat. Hoc igitur prætextu, & tutoris nomine, arcem *Sunderbergenſem* ſtatim occupauit & tenuit: inde vlterius in Ducatum profectus, conſultare ac deſpicere cœpit, quibus in locis præſidia commodè collocari poſſent, quò paulatim totam Ditionem Sleſuicenſem ſibi ſubijceret, inque ſuam poteſtatem redigeret. Sed & arcem *Gottorpianam* occupare conabatur. Quæ res cum per indicium Duci Waldemaro enunciata eſſet, ſubditi, qui ei iureiurando obſtricti eſſent, de caſtro defendendo conſilia capiunt, Regisque conatibus armata manu reſiſtere ſtatuunt. Qua de cauſa Rex commotus, caſtrum obſedit: idq; quod omnino ſibi perſuaſerat, ſe, ſi caſtro potitus eſſet, facili momento, nulloq; negocio Ducatum totum expugnando occupare ac conſequi poſſe. Caſtra in monte vicino *Sleſuicenſibus*, ab equis nuncupato, vulgò *Heſterberga*: quaſi dicas, monte *Caballino*, locauit, arcemq; obſidione cinxit. Quamuis autem durante obſidione, milites præſidiarios, qui arcem tenebant, omni via ac ratione ad deditionem ſollicitaret: idq; maximè vrgeret, quod diceret Euentum belli incertum eſſe, eò tamen rem callidis ac aſtutis ſuis conſilijs perducere non potuit. Tandem cognitis, ac perſpectis eius conſiliis ac conatibus, Holſatiæ Comes Gerhardus, ex ſubditis ſuis, qui arma ferre poſſent, non exiguam copiarum manum collegit, ex finitimis quoque locis, *VVeſtphalia* & *Holſatia* lectiſſimum ac fortiſſimum militem conſcribit, eo conſilio, vt aut Regem obſidione pelleret, aut in caſtris adoriretur & opprimeret: vtq; Exterorum aduentu, auxiliariumque copiarum ſubſidio, præſidiarijs metum adimeret, qui caſtrum defendebant, dum in ſummo metu ac diſcrimine verſarentur, ne rebus

perditis ac desperatis, Ducatu iam occupato, nimis serò auxilium mitteretur,& laborantibus succurreretur. Holsati hoc stratagemate vsi sunt, vt cum prælium ineundum esset, super paludamenta & armaturam,ferramenta,loricas,subuculas,& vestes albas induerent ; & ita amicti ad castra Regis properarent. Dani, quorum oculi candore & albedine illa perstringerentur, sibi persuaserunt, multitudinem illam hominum albis vestibus exornatam, qui aduersus se venirent, non esse viros, sed mulieres. Itaque in cachinnos soluti, ridere cœperunt, quod mulieres contra se in pugnam armatas aduentare dicerent. Vbi autem Holsati, agmine citato appropinquarent,Holsatus quidam, qui Regis castra sequebatur, in hæc verba prorupit. Hoc vobis confirmo, qui virtutem & vim Holsatorum noui, eos, qui nobiscum manum conserturi adsunt ,viros esse, non mulieres,idque hodie experiemur:nam arma sub vestibus albis, quibus amicti sunt, elucere atque eminere video. Primùm tumultuaria pugna dimicari cœptum est. Nam vt eques pediti, vel pediti eques sese obtulit,ita conflixerunt & velitati sunt. Sed paulatim prælium subsidijs creuit, atque incrementum sumpsit. Tandem signo dato, in aciem Exercitus vtrinque processit, & ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est, magnaque strages edita, vsque adeo, vt maxima pars Equitum & peditum vtrinque occumberet. Interim tamen neutra pars signa loco mouere, aut alteri cedere volebat. Cumque pugna plusculum temporis protraheretur, Rex viribus destitutus, hostium impetum diutius sustinere non potuit. Ibi magno clamore sublato, Dani fluctuantis instar nauis, quæ gubernaculo caret, fugam adornare, & terga dare cœperunt. Inde ex vociferatione

tione metu concepto, milites, qui in acie Danorum postremi erant, & ipsi in fugam se dant. Quos reliqui terrore compulsi, secuti sunt, ita vt passim omnes in fugam se darent, quos auersos Holsati à tergo adorti magna celeritate persequuntur & cædunt. Quamuis multi in syluam vicinam sese reciperent & abderent, arborum propinquitate freti. Atque ita factum est, vt strages minor ederetur. Nam & qui in fuga erant, abiectis armis, vt quæ impedimento erant, per semitas & loca inuia dilabebantur, idque tenebris & nocte ingruente. Postridie cum hostis nullus adesset, Comes spolia cæsorum colligi, & corpora suorum cæsa, ac hinc inde prostrata, in vnum cumulum comportata, terræ mandari, ac more consueto humari, iussit ac præcepit.

De hac insigni Victoria Glorioſissimi ac Magnanimi Ducis Gerhardi prolixè commemorat *Continuator Helmoldi in manuscripta Historia*, quæ penes nos est, breuique Deo volente in lucem prodibit, ex qua pauca huic Historiæ inserere & ad posteritatem transmittere, non inutile nec ingratum fore existimo: ita enim scribit: Dictus Rex Christophorus *anhelans regni sui dilationem, VValdemarum Ducem* Iutiæ *exterminare cupiebat, fraudulenterq; castrum* Sunderborg *ab eo tanquam ad fideles manus receperat, quo habito, parum illi fuit, quod castrum restituere nollet, vt insuper castrum quoque* Gottorpe, *& alia castra Ducatus occupare satageret. Quare dictus Dux VValdemarus, Comitem Magnum Gerhardum, auunculum suum, contra Regis Tyrannidem in auxilium vocauit. Et aliquandiu vltrò citroq; conflictibus habitis, Rex cum magna potentia, validóque exercitu ante castrum* Gottorpe, *in monte* Hesteberg *castra collocauit.*

Vbi

Vbi Comes Gerhardus *cum auxilio fratris sui,* Giselberti Archiepiscopi Bremensis,*&* Westphalensium,*ac cum* Holsatis, *occurrens Regi, castrum* Gottorpe *& Ducem desuper obsidenti, Regem cum suis de campo pepulit ac fugauit, multis de Danis interfectis & captis. Et pro hac victoria, proq; sumptibus ac impensis, dictus Dux VVolmarus, castrum* Gottorpe *Comiti Gerhardo, suo auũculo, Primo, pro magna summa pecuniarum argentearum pignori opposuit, Et facta fuit hæc victoria anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo nono. Verissima ac constanti fama quoque refertur, omniumq; ore perhibetur, quod illa die, quando Comes Gerhardus bellare voluit,* Imaginem Beatæ Virginis de Itzehoe *in humeris suis habuerit, flexisq; genibus ter orando Dominum Deum, trina vice hunc versum decantauerit.* Nos hac die tibi gregatos serua Virgo in lucem mundi &c. *qui in Ecclesijs canitur. Dani stantes super montem* Hesteberg, *curribus benè onustis circundati, clamabant contemptim ac derisoriè, Mulieres venient contra nos, cum Holsatorum exterior vestis semper alba esset, & videbatur* Danis, *esse mulieres: sed vnus de Holsatis* N. *qui erat in seruitio apud Danos dixit. Videbitis hodie non esse mulieres, quia video signum & clenodia Galearum virorum & non mulierum. Cum autem belli initium fiebat, vnus Holsatorum clamabat: Dani fugiunt: Dani fugiunt: Et sic omnes in fugam continuò versi sunt. Et verissimè ac certissimè dicitur, quod dictus Gerhardus Comes, in vsu habuerit, quoties bellum intrare deberet, quod* imaginem paruam Beatæ Virginis Mariæ de clausto Monialium in Itzehoe, *vbi sepulturam habebat, in collo suo portare consueuerit,* Reginam cœli *semper in auxilium suum precibus inuocauerit: quod tunc in illo bello tali imagini fuerat à Danis casu vna manus abscissa, quam manum artifices pictores postmodum restaurare volentes, quando vna die apposuerunt, altera die inuenerunt semper abiectam. Et talis imago adhuc hodie in memoriale*

signum

signum caret manu tali. Et Deus omnipotens ob merita Beatæ Virginis Mariæ, miracula, vouentibus se imagini tali, multa ac insignia operatur in illa. Vnde ab illo tempore vsque ad tempora præsentia inoleuit, quod Principes Holsatiæ talem imaginem semper in collo portare consueuerint, quando bellum intrare volebant. Quia Beata Virgo Maria terræ Holsatiæ est aduocata & adiutrix. *Quare in eius laudem, Maiores Ecclesiæ terræ Holsatiæ à Principibus sunt fundatæ, videlicet in Hãburgensi ciuitate, & alijs, &c.* Hæc Cõtinuator Helmoldi. Insigni hac strage edita, victoriaq; de hostibus recuperata, arx *Gottorpiensis* obsidione liberata fuit, quam Dux Waldemarus, Danis è Ducatu Holsatiæ in Regnum Daniæ reuersis, Comiti Gerhardo pignori dedit, quoad ei de impensis in militem factis satisfactum esset, & vt Comitem ad manum semper promptum ac paratum haberet, qui Danis resisteret, eorumque conatus impediret ac reprimeret, si more consueto rursus excursiones & eruptiones in Ditionem Slesuicensem facerent. Occurrendum enim erat maturè Danis, ijsque obuiam procedendum, vt qui cladem acceptam plerunque acerrimè vlciscì ac vindicare soleant. Ipse autem Rex, hac belli calamitate, multorum odium ac inuidiam aduersus se conflauit, & imprimis subditorum Regni Daniæ, qui videbant eum finitimis iniurias intulisse, nihilque tale merentes tam hostiliter ac violenter bello armisq; lacessiuisse. Huc accedebat, quod incolas Regni, tributis & exactionibus intolerabilibus grauasset & vexasset. Quin & Fratrem Ioannem Comitem Wagriæ, sibi infensum & inimicum habebat. Quibus de causis Regni Proceres, Gerhardo Comite & Regis fratre accersitis, Regem Christopherum Regno pellere statuunt. Qui statim aduolant, & Fioniam petunt, arcemq; *Nuburgensem* obsessam, confestim

stim capiunt. Antequam enim eam obsiderent, ad Regem quosdam miserunt, qui illum monerent, ne extrema quæque experiretur. Ita sine vlla cunctatione deditio facta est, & præsidium Regium traditum. Rex ab omnibus destitutus, cum videret rem ad arma spectare, *Rostochium* profectus est, illicque magna pecuniæ summa collecta, militem conscripsit, quem in Daniam ad Comitem expellendum transmitteret. Sed Comes præsidio maiori & fortiori munitus & instructus, quam vt cum eo Rex prælio contendere auderet, re infecta, Daniaque relicta, extra Regni fines sese contulit & exulauit. Proceres Regni, qui auersissimo à Rege animo essent, de consilio Comitum Holsatiæ, Waldemarum Ducem Slesuicensem Regem crearunt & elegerunt, qui Rex exortus, Concilio Procerum habito in *Fionia*, Gerhardo *Ducatum Slesuicensem* concessit, eoque inuestiuit: Iohanni verò *VVagriam*, *Lalandiam* & *Falstriam*. Ericus Christophori Regis Exulis Filius, qui adhuc aliquam Regni partem vsurpabat, collecta manu Danorum *Gottorpiam* obsidere cœpit. Qua re comperta, Iohannes *VVagriæ* Comes, exercitu collecto, validaque copiarum manu instructus, Ericum hostiliter aggreditur, exercitumque fugat & cædit. In qua pugna Ericus vulnere lethali confectus morte occubuit: atque ita obsidio soluta est.

Sequenti anno Christophorus Rex Lubecam venit, & cum Comitibus transegit. Pax his conditionibus coijt, vt Rex Comitibus octoginta mille marcas solueret, quibus solutis, in Regnum, quo pulsus esset, restitueretur, exceptis tamen Prouincijs, quas Waldemarus Comitibus vtendas & fruendas concessisset, &, vt Waldemarus Ducatum

Slesui-

Slesuicensem reciperet. His ita pactis & conuentis, in Daniam redijt Christophorus, à Comitibus contra voluntatem & consensum Procerum in regnum reductus. Proceres hominem *VVardingburgæ* repertum, circumsident, & in custodiam tradunt, qui tamen facili negotio, fauentibus Regi Comitibus, cædi ac profligari potuissent. Iuti, qui omnium postremi Christophoro hostes facti sunt, ei summoperè aduersari, omnibusque viribus resistere cœperunt: è contra verò Waldemarum electum omnibus modis defendere ac tueri laborabant ac contendebant. Quare arcem *Gottorpiam* obsident. Iohannes frater Christophori, exercitu collecto, obsessis subsidio venit, & Danorum castra de improuiso aggressus, oppugnare cœpit. Ibi clamore calonum & lixarum sublato, Dani simul erumpunt, & ad resistendum sese parant; ita, vt hæc res exiguo tempore externam aliquam speciem & formam prælij præse fereret. Nam Dani paulò post sese in fugam coniecerunt, ex quibus multi passim cæsi, nongenti circiter feruntur occubuisse: multi etiam viri Nobiles ex *Iutia* capti, quos Comes in Holsatiam perductos, in custodiam coniecit. Annis autem sequentibus Gerhardus, quod vbique ei fortuna faueret, in summam inuidiam apud Regem Christophorum adductus fuit, quæ paulatim ita creuit, vt Rex illum armis persequi statueret. Itaque coniuratione cum fratre facta, quem facilè in suam sententiam pertrahere poterat, exercitum collegit. Altero illorum victo, statim *Gottorpiam* mouit, eamque obsedit, idque quod Waldemaro electo, sibi sine vllo impedimento transitum liberrimum per Holsatiam patêre videret. Castra ad *Hexamilium* vel vallum Danorum locat, vt Gerhardo

venien-

venienti iter præcludat, & impediat, quo minus obſeſſio arcis *Gottorpianæ* ſoluatur, vt paulò ante factum eſſet, & quod facilius exiſtimaret, hoſtem valloDanorum excludere, quam *Heſteberga*. His rebus exploratis, Gerhardus equitatum & peditatum qualemcumque, quod hominum militarium magna eſſet penuria, ex Diœceſi Bremenſi, Weſtphalia, & alijs locis finitimis conſcribit, quibus eius neceſſarij belli ſocij præerant, eosq; *Rendesburgum* magnis itineribus contendere iubet, vbi hoſtem expectare ac præſtolari decreuerat. Verum cum tardius aduentarent illi, quos ille conſcripſiſſet, quod longum iter emetiendum eſſet, milites qui *Rendesburgi* diuerſati erant, magnos interea ſumptus fecerant, vt ſoluendo non eſſent. Quamobrem Ciues eos ciuitate egredi prohibuerunt, quoad de impenſis ſatisfactum eſſet. Comes, cui de mora, militibus ob æs alienum iniecta, nihil conſtaret, neque vlla ratione ſuſpicaretur, illos eam ob cauſam à ciuibus detentum iri, ciuitate egreſſus ea ſpe, vt ſi fratris Regis Ioannis copiæ cum exercitu ſuo, quem ſtatim ſubſecuturum exiſtimabat, coniungerentur, ſe facilè hoſtem ſuperaturum & proſtraturum. Comiti ex Vrbe egreſſo ſtatim hoſtis occurrit. Quare ſigna ferri iuſſit, & quamuis ijs militibus, qui *Rendesburgi* detinerentur, deſtitutus eſſet, fortunam tamen experiri, mortemque potius oppetere, quam turpiter fugere maluit, licet animo valdè angeretur, quod imparatus ad pugnam veniret. Quòd tamen, quantum potuit, diſſimulauit, habitaque concione, Deum hominesq; teſtatus eſt, ſe nulli vnquam loco vel tempori defuiſſe, quin, quoties ad arma conclamatum eſſet, maxima celeritate eò contendiſſet. Quare & hoc tempore, fugam ſibi turpem fore, quod bellum illud pro difficili & periculoſo habendum non ſit, in quo ſi modo cum

hoſte

hoste animosè & viriliter congrederetur, victurum hostemque suparaturum se omninò sperabat. Qua de re ex bellis superioribus cum Rege gestis coniecturam capi posse, animumq; sibi præsagire, neque hoc tempore hostes superiores fore, neque Regem meliori fortuna & euentu, quam antehac fecisset, bellaturum, felicemque sibi victoriam Deum benignè concessurum esse. Itaque militum collaudata fide ac fortitudine, quos neque timor neque hostis antehac flexisset, hortatus est, vt sui similes (hoc est) fortes & cõstantes permaneant, hostemq; alacriter ac animosè inuadant. Quibus dictis, prælium initum est, in quo Rex tot millium copijs vndique circumdatus & stipatus fuit, vt præ timore animum ferè desponderent Comitis cohortes, militesq; qui cum eo congressuri, acieq; dimicaturi erant: sed prælio commisso, Deus Comitem superiorem esse voluit, Equitatu Regis partim cæso, partim capto. Rex ipse metu perterritus, fuga elapsus est. Comes in eo conflictu grauiter est vulneratus, quem equus excusserat, pedibusque prouolutum miserè conculcauerat. Quem tamen rusticus quidam prostratum iterum erexit, atque in equum sustulit & reposuit, alioquin de eo actum fuisset, quod vngulis equorum subiectus, proculcaretur. Comes restitutus, longè adhuc ardentius, maiorique impetu ac conatu hostem, quam antea, insequitur & cædit. Rex de via deflectens, magnis itineribus *Koloniam* ciuitatem petit, quod Slesuicum tutò redeundi & fugiendi potestas ac facultas non daretur: vtpote vallo Danorum intercluſus, etsi eò sese recipere omninò statuerat, animumq; induxerat, eo imprimis consilio ac fine, vt Fratris vires & auxilia cum suis coniungeret. In ea fuga à Centurione quodam *Burchardo de Itzehuda*, in pago quodam *Seesteda*, qui vna

cum alijs hostem fugientem insequeretur, Comitisq; statum exploraret, Rex intercipitur. Nam cum nocte intempesta Equites audiuisset Burchardus magna cũ festinatione prætereuntes, ignarus, vtrum pro amicis an hostibus habendi essent, tandem ex illorum sermone & colloquijs cognouit, ac animaduertit, eos natione Danos esse. Ibi sociorum auxilio inuocato, eos vna cum Rege Christophoro comprehensos cædit. Qua ex re duplicem lætitiam & voluptatem ceperunt, & quod victoria potiti essent, & quod Regem fortuitò in suam potestatem redegissent. Quem eadẽ nocte captum *Gottorpium* in custodiam deduxerunt. Quò cum veniissent, Capitanei audita voce, Quid rerum illic inquit Comes? ibi Capitaneus captum se grauiterq; saucium simulat. Responsum datum fuit, eum facile liberatum iri, quod magna captiuorum copia esset. Tum Capitaneus verbis hilarioribus indicat, Regem Christopherum captum præ foribus adesse. Portis reseratis, Comes Regem salutatum descendit, & ei aduentum rarum & inopinatum gratulatur, & paulò post Regem in custodiam tradit. Ita bello Regis captiuitate finito firma vtrinque pax facta & constituta fuit. Nam Ioannes frater Regis tandem sese arbitrum interposuit, rebusq; omnibus transactis & compositis, & Regem Comiti & sibi reconciliauit. Rex *Fioniam* Gerhardo cum munitionibus & arcibus regni tradidit, quò omnes, qui capti essent, vinculis & custodiâ laxarentur. Christophorus Rex non ita multo post moritur. Anno nimirum 1333. Ioannes quoque de Bockholt, postquam annos 31. Episcopatui præfuisset. Anno 1331. biennio ante Christophorum Regem è viuis sublatus est, & ad latus Chori, quod in septentrionem spectat, Slesuici sepultus. Epitaphium lapidi sepulchrali maximo insculptum, &

laminis

laminis æreis olim exornato & insignito, vt ex vestigijs apparet, eiusmodi est. *Anno Domini* 1331. *secundo Non. Octobr. obijt Dominus Ioannes Episcopus Slesuicensis, dictus de Bockholt. Orate pro eo.*

CAPVT XVI.

Sensit Helimbertus tempus famis & mala Martis:
Dignus sorte quidem Vir meliore bonus.
Vrbis Lubecæ, dum tempora nubila currunt,
Sollicetis Flamen mœnia tuta colit.

ANNO 1332. Helimbertus Episcopus Slesuicensis electus fuit, confirmatus ab Archiepiscopo Lundensi Magno, ea tempestate, qua bellum adhuc ferueret inter Regem Christophorum & Waldemarum Ducem Slesuicensem. Vir pius erga Ecclesiam benè affectus, deque eiusdem salute ac incolumitate præclarè meritus, vt quam ipse miserè afflictam, malisque diuturnis pressam ac exhaustam, pro viribus prouehere & locupletare summoperè studuit ac laborauit. Nam simul atque Episcopus exortus esset, beneficum admodum sese præstitit. Idque ex eo colligere licet, quod Anno Millesimo trecentesimo trigesimo quinto, præsente Duce Waldemaro in arce Gottorpiensi, omnes possessiones & rus, quod in Parochia *Svvantzen* in campo *Rinkenissa* habebat, de quibus quotannis duæ oræ (ortich) annonæ pendebantur, Capitulo Slesuicensi largitus sit, & terra viridi in manum sumpta & proiecta tradiderit, quod *Scotare* vulgò dicitur: quēadmodū Maiores illius, illa liberrimè possediſſent,

pretio integro pro illis recepto, hac cautione adhibita, vt euictio suis impensis fieret. Quæ omnia à Magistro Nicolao, & Timmone Blockio canonicis acceptata sunt. Canonicorum quoque tenuitatem & inopiam miseratus, de illorum prouentibus augendis dispicere ac cogitare cœpit. Quare Ecclesiam *Drelstorpianam*, in qua Helimbertus, ius Patronatus habuit, annexuit præbendæ Slesuicensi, quam olim Rex Daniæ Waldemarus fundauerat, de consilio & consensu Capituli, nullo iure suis successoribus reseruato: ea tamen lege, vt successor illius præbendæ, die sanctæ Elisabethæ, quotannis in *Choro Ecclesiæ Slesuicensis Processionem fieri curet cum Cruce per cœmiterium*, sermone infra summam Missam duntaxat prætermisso, & vt tres marcas Lubecenses ibidem diuidat & distribuat, duas marcas Canonicis, & vnam Vicarijs. Idque, quod æquitatis ratio postulet, vt qui Altari inseruiat, habeat, vnde viuat. Acta sunt hæc anno 1340. pridie Michaelis.

Waldemarus etiam Dux Iutiæ, tot victorijs clarus, atque insignis, erga Ecclesias Dei sese beneficum & liberalem præbuit. Nam Patris sui Erici, qui in Choro Slesuicensi sepultus est, literas, quibus in sui memoriam *Virginibus Sanctimonialibus in Holma Slesuicensi* habitantibus, molendinum in *Solterbeka* situm dederat, cum omnibus iuribus in perpetuum, sine omni impedimento aut iure sibi reseruato confirmauit. Anno à nato Christo 1334. Molendini autem istius hodie nulla vestigia supersunt, neque constat, vbi situm fuerit. Waldemarus quoque Ecclesiæ Slesuicensi, Ecclesiam Beatæ Virginis in *Sodorp*, Præbendæ Canonicali annexuit, eam ob causam, quod in Templo Slesuicensi suorum Progenitorum, nimirum Waldemari Aui, & Erici Patris sui sepultura extaret, (vt

etiam

etiam supra ostendimus,) ea tamen lege: vt qui beneficium possideret, *Anniuersarium Sacrum Domini Ducis VValdemari Aui sui, & Erici Patris sui,* (nam hi duo in Choro humati iacent vt supra demonstrauimus) faciat, quò Progenitorum suorum sepultura & memoria conseruetur & magnificetur, vt ex literis, quæ super ea donatione confectæ sunt, colligere licet, quarum exemplar subijcere visum fuit.

Omnibus præsens scriptum cernentibus VValdemarus Dei Gratia Dux Iutiæ salutem in Domino sempiternam. Cum bona quæcunque temporalia, in Ecclesiastica conuertuntur seruitia, Sanctis, in quibus Sanctus sanctorum colitur, attributa Christianæ Religionis Professoribus, fide firma & spe indubitata certum est commutari in æterna. Quod nos piè considerantes, & dignum reputantes, quod præbendæ Cathedralis Ecclesiæ, in qua nostrorum sepultura est Progenitorum, adeo tenues sint & exiles, quod ex ipsis secundum status sui exigentiam conuenienter sustentari nequeant præbendati. Et ideo vnam dictarum præbendarum, fundatam per Dominum Riconem, quondam Canonicum ibidem, quam nunc tenet Dominus Iuarus Bundessen Canonicus eiusdem Ecclesiæ, meliorare & augere cupientes, de vnanimi consensu & voluntate Consiliariorum nostrorum, volumus, & præsentibus consentimus, vt Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis in Sodorp, *in qua nobis merum competit Ius Patronatus, per Venerabilem Patrem Dominum Episcopum Slesuicensem dictæ Præbendæ annecteretur, & de ipsis vnum & indiuiduum beneficium sit perpetuò permansurum: ita tamen, quod quicunque dictam Præbendam pro tempore habuerit,* Anniuersarium Nostrum *post mortem nostram &* Anniuersaria Dilectorum nostrorum Progenitorum Waldemari quondam Aui nostri, & Erici Patris nostri, *bonæ memoriæ, in eadem Ecclesia Slesuicensi faciat solenniter obseruari, præsentibus dilectis Consiliariis nostris Domino*

Marquardo Rugmor, Abel VValdemari, Iuaro de Reuentlovv, Strimone de Rantzovv, Sifrido de Sestede, Marquardo de Sestede, Marquardo Rorlanth, Marquardo de VVisch, Alberto de VVisch militibus, Svvart Erico, Marquardo VVulf, VVulf Pogvvisch armigeris, & alijs præsentibus fide dignis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Gottorpe Anno M. CCC. XXX. *octauo in crastino Natiuitatis Beatæ Mariæ Glorioſæ Virginis.*

Hanc donationem Episcopus Hellimbertus anno sequenti (anno nimirum 1339.) suo suffragio & authoritate confirmauit. Sed & Magnus, Archiepiscopus Londensis, eam vnionem & donationem sua voce tanquam Metropolitanus roborauit & confirmauit anno 1383. postridie Beatæ Magdalenæ: vt ex formula literarum, quarum exemplar subijcimus, liquet.

Vniuersis præsentes literas inspecturis, Magnus, Diuina miseratione Archiepiscopus Lundensis, Suetiæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, salutem in Domino sempiternam. Cum à nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo rationis exigit, vt illud per officij nostri solicitudinem ad effectum debitum perducatur: sane Dilectus Filius Dominus Ioannes VVynken, Præpositus Ecclesiæ Slesuicensis, literas quasdam patentes, veris sigillis pendentibus Domini Hellemberti quondam Episcopi Slesuicensis, & capituli ibidem, vt prima facie apparebat sigillatas, non rasas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas vel suspectas, nobis personaliter præsentans, confirmationem Contentorum in ijs humiliter postulauit, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Omnibus præsens scriptum cernentibus Hellenbertus Dei Gratia Episcopus Ecclesiæ Slesuicensis in Domino salutem sempiternam. Cum quæcunque bona temporalia in Ecclesiastica conuertuntur seruitia, Sanctis in quibus Sanctus sanctorum

ctorum colitur, attributa Christianæ Religionis Professoribus, fide firma & spe indubitata certum est commutari in æterna. Quod piè considerans Inclytus Princeps VValdemarus, eiusdem Dux Iutiæ, & indignum reputans, quod præbendæ Cathedralis Ecclesiæ Slesuicensis, in qua suorum est sepultura Progenitorum, adeo tenues sunt & exiles, quod ex ipsis secundum status sui exigentiam sustentari nequeant Præbendati, & ideo vnam dictarum Præbendarum, fundatam per Dominum Riconem quondam Canonicum ibidem, quam nunc tenet Dominus Ivvarus Bundessen Canonicus eiusdem Ecclesiæ, meliorare cupiens & augere, nobis supplicauit, vt Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis in Sodorp, in qua sibi merum ius competit Patronatus, dictæ Præbendæ annecteremus. Nos ergo dicti Principis Domini VValdemari pium propositum commendantes, & dictæ Præbendæ exilitatem & tenuitatem considerantes, ipsius iustis precibus inclinati, dictam Ecclesiam dictæ Præbendæ, de consensu suo & Capituli nostri Slesuicensis, annectimus & adunamus, de dictis Præbenda & Ecclesia, vnum & idem indiuiduum beneficium facientes, successoribus nostris super Cathedratico in omnibus saluo iure. Insuper propter beneuolentiam, quam dictum Dominum Ducem ad Ecclesiam habere perpendimus, volumus & mandamus, vt quicunque prædictam Præbendam pro tempore habuerit, Anniuersarium ipsius Domini Ducis, VValdemari quondam Aui sui, & Erici Patris sui bonæ memoriæ, in Ecclesia Slesuicensi prædicta faciat, sub modo & forma, quæ sequitur celebrari, vt per hoc & suorum Progenitorum magnificetur sepultura, videlicet quod vnumquodque Anniuersariorum Prædictorum cum tribus Missis, vna in Choro, & duabus extra Chorum celebretur, & in quolibet Anniuersario octo semisses Sterlingorum inter Dominos Canonicos, & octo solidi Lubecenses inter Vicarios Chori distribuantur, qui personaliter fuerint in Vigilijs & Missa. In cuius rei testimonium sigillum nostrum, vna cum sigillo præ-

gillo prædicti Capituli præsentibus est appensum. Datum Slesvvick, Anno Domini Millesimo trecentesimo octogesimo nono, in ipsa die Purificationis Mariæ. Nos igitur deuotis precibus prædicti Domini Ioannis Præpositi inclinati, prædictarum Præbendæ & Ecclesiæ annectionem & adunionem, ac omnia & singula præmissa, prout ritè & rationabiliter facta sunt, matura deliberatione præhabita, authoritate Metropolitana ratificamus, approbamus, & ex certa scientia confirmamus perpetuis temporibus valituram. In quarum ratificationis, approbationis, & confirmationis euidentiam, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Lundis, Anno Domini Millesimo trecentesimo octogesimo tertio, in crastino Beatæ Mariæ Magdalenæ.

Anno 1338. passim in illis oris, quæ mari alluuntur, & à Frisijs habitantur, pluuiæ & imbres tribus fere annis continuis effluxerunt, quibus segetes propter nimiam humoris abundantiam putrescebant, & ne prouenirent, impediebantur. Quam cœli intemperiem tanta annonæ penuria & caritas subsecuta est, vt passim homines fame & inedia contabescerent & perirent: aristæ quoque, quæ in locis editioribus creuissent, aere puro & loco patulo propter pluuiam continuam siccari non potuerunt. Itaq; necessitas homines coegit noua remedia quærere, segetes demessas vexillo molæ, quæ vento agitatur, alligarunt per dies & noctes quadraginta, vt motu illo velociori siccarentur, & ad solem torrerentur. Sed nec propter pluuiam diuturnam sal confici potuit. Quibus de causis fiebat, vt alimentis destituti homines passim extinguerentur, & in campis & agris mortui reperirentur. Nam multis vermes in ventriculo generabantur, quæ mortuis ex ore crepebant magna copia. Causam huius mali vulgus existimabat esse pœnam Diuinam, quæ ob cultum Dei neglectum hominibus infligeretur.

CA-

CAPVT XVII.

Waldemarus III. *alias dictus Quartus, Rex Daniæ* 89. *Post septem annorum interregnum cum Anseaticis ciuitatibus bella gessit, Terram Sanctam inuisit, in Gottlandiam expeditionem fecit, eamque vastauit. Obijt Anno* 1375 *die Crispini. In cœnobio Soor sepultus.* Liberi *huic fuerunt* Margareta *Daniæ Regina, &c. (de qua postea)* Ingelburg *nupta Hinrico Megaloburgensi Alberti filio Anno* C. 1350. Christopherus *natus Anno* 1344. *ante Patrem in Bello Hanseatico ad Helsingburg occubuit Anno* 1360. *Roschildi sepultus.* Catharina *nata Anno* 1349.

Hinricus Ferreus *Comes Holsatiæ, Gerhardi Magni siue Calui filius, Patris cædem vindicauit. Lubecensibus & Hāburgensibus bella intulit. Contra Finnos Magno Suecorum Regi, & contra Francos Eduardo Angliæ Regi militauit Anno* 1340. *In Anglia leoni sibi occurrenti sertum de Capite suo imposuit. Regnum Sueciæ delatum Alberto Megaloburgensi detulit, Obijt Anno* 1381. *Itzehoæ sepultus*, Filios *reliquit* Albrechtum, Henricum & Gerhardum. (*de quibus postea.*)

ANno 1340. Christophero Rege mortuo, Waldemarus Rex Christophori filius, bellum contra Holsatos à patre cœptum, instaurauit ac renouauit, quamuis infelici marte tristique admodum euentu. Nam Holsati, simul ac id accepissent, exercitu collecto, confestim sese ad defensionem pararunt ac armarunt, & Ducatū Slesuicensem transeuntes in *Iutiam* inuaserunt, vbi nō procul à ciuitate *VViborgensi*, collatis cum Rege signis, prælio acerrimo Regem tandem superarunt, & in

arcem *Segebergensem* deduxerunt. Quo accepto ac intellecto, Imperator Roma legatos Lubecã misit, Comitem Henneburgensem, alioſque viros Nobiles ac Præclaros, & ciuitati mandat, curare atq; efficere velint, vt Waldemarus Christophori filius captiuitate liberetur. Hi Imperatori obsecuti rem summo studio agere ac tractare cœperunt. Sed quod inter Danos & Holsatos non benè conueniebat, re infecta domum redierunt. Non multo post autem Rex certis conditionibus in Regnum restitutus est, quas tamen ipse non seruauit, imo datam fidem fefellit. Qua de re Gerhardus grauiter conqueſtus, odium, & iracundiã, quam inde conceperat, penitus in eum euomuit. Rex his commotus, militem collegit. Quod cum Comes accepisset, & ipse militem ex locis ad Rhenum sibi & Westphalia conscribit, validamq; copiarum manum coegit, quæ vulgari nomine *Gunshovver* appellati, à breuitate vestiũ, quibus amicti erant, nomine petito. Hi in Italiam impetu facto, eam longè lateque ferro & igni vastarunt, quod Rex eis resistere non auderet. Cumque castra deinde *Randershusij* collocasset Comes, vrbisque munitioni fideret, statione militum dispoſita, Nobilis quidam Nicolaus Esbenus Danus, qui grauissimâ se à Comite iniuriâ affectum querebatur, sexaginta viris adscitis, illos, qui ad custodiam & excubias vrbis vno latere collocati erant, interfecit: deinde albescente Cælo, portam Vrbis ingressus, hospitium Comitis sibi notissimum, vt cum quo familiariter vixisset, rectà petit, Comitemque nihil tale expectantem, vna cum viro Nobili ex Iutia oriundo confodit atque trucidat. Hac cæde diuulgata, omnes qui Comitem sequebantur, magno in luctu erant & trepidatione. Corpus *Itzehoam* delatum ibique sepulturæ traditum est. Interim tamen Iuti filios Gerhardi non

di nõ deseruerunt, sed in *Selandiam* traijcientes Nicolaum Ebsenium, qui in arcem *Kallingburgensem* profugerat, insequuntur, arcemq; obsident & expugnant. Ibi ad duo mille Dani occisi, Nicolaus captus & in quatuor partes dissectus, tandemq; rotæ impositus & alligatus fuit. Eodem anno Hellembertus Episcopus Lubecam secesserat, quod ei in Diœcesi Slesuicensi, tutò commorandi copia ac facultas non daretur. Nã Henricus Ferreus ob patrem Gerhardum dolo interfectum, in *Selandia* bellum gerebat, vt & frater eius Nicolaus in *Iutia* ad cædem vindicandam, ita vt omnia armis perstreperent.

Anno 1341. Marchio Brandeburgicus Ludouicus, Henricus, & Iohannes, Comites Holsatiæ Lubecam venerunt. Ibi actum & transactum est, vt Waldemarus Christopheri Regis filius in regnum restitueretur. Principes id, cuius causa conuenerant, effecerunt, negotiumque tandem ad felicem atque optatum finem perduxerunt. Waldemaro Regi creato Waldemarus Dux Slesuicensis sororem suam dedit in vxorem. Nuptiæ in castro *Sunderburgensi* summa pompa ac magnificentia celebratæ fuerunt. Quibus peractis Regem in arcem *VViburgensem* deducunt, vbi à Regni proceribus Rex salutatus & coronatus fuit. Waldemarus autem Dux Slesuicensis, qui Anno 1341. adhuc superstes erat, sorte aduersa multos annos miserè conflictabatur, partim ob vicinum Regem sibi ac suis infensum, partim quod animum suum ab Holsatis, certis rationibus forte ductus, penitus auertisset, quorũ ipse opera ac auxilio antehac prõpto ac fideli vsus esset. Qui cũ eũ alieno à se animo esse cõperissent, Waldemarũ nihil talẽ metuentẽ in cænatione inuaserũt, & captũ *Neuburgi* in custodiam tradiderunt. Vbi cũ biennium asseruatus & detentus fuisset, pro redẽptione

magnam

magnam auri summam exoluere coactus, tandemque custodia liberatus fuit.

Anno à Christo nato 1342. Nicolaus Comes, Gerhardi intemempti filius, cui Fionia pignori opposita erat, arcem *Bamberg* 2000. militibus obsedit, idque hoc consilio, vt si forte præsidiarij, qui illic collocati essent, persuasione Regis defeciissent, tanquam rebelles compescere, atque in ordinem redigere posset. Idque facile factu esse putauit, quod erga subditos ac colonos sese benignum & facilem semper exhibuisset, eosque disciplina vsuque militari probè imbuisset ac exercuisset. Nam inter alia in morem perduxerat, vt villa vel pagus maior Equitem & equũ aleret, duo itidem pagi minores similiter Equitem, alimenta ac pabulum ei præbendo, in vsum & defensionem suæ ditionis nutrirent ac sustentarent. Pro armatura autem vterentur casside, pilo, amiculo ferreo intexto corrigijs latis, chirothecis ferreis, Brachialibus duobus, Clypeo & arcu corneo. Postquam autem Rex in arce obsessis subuenire, eosque, qui illam obsidione cinxissent, oppugnare statuisset, accidit, vt matrona quædam nobilis ac generosa moreretur. Huius funus plerique Nobilissimi Holsati extra castra magna exequiarum solennitate comitabantur. Dani, qui diem sepulturæ diligẽter annotassent, & obseruassent, Holsatos funus deducentes eximprouiso aggressi, multos conciderunt ac obtruncarunt, Nicolao quoque Comiti oculum exsculpserunt. Nicolaus autem saucius dum arma exuit, manu porrecta ei, qui illum detinebat, recepit & promisit, se, vbi vocatus fuerit, iterum reuersurum, sed Deo ita volente, remque Diuino suo consilio ita moderante, incidit in quendam sibi notum, qui illum in suam Ditionem deduxit. *Illo autem die votum Deo fecit* (vt notat Continuator Helmoldi

in

in manuscripta historia.) *Quod si Deus se ab hostibus suis eriperet, quod vnum* Claustrum Monialium *in honorem Beatæ Virginis Mariæ in terra sua fundare ac extruere vellet. Quod etiam perfecit. Nam in* Arensboken *fundauit* Monasterium *ac ditauit: &* Virgines Moniales *de* Itzehoe, Poretze, *& alijs Monasterijs eò conuocauit. Quoniam vero prædictum Monasterium non erat ita copiosè bonis temporalibus ac prouentibus dotatum ac instructum, vt illic Virgines permanere possent, postea quidam Venerabilis Vir* Albertus Rodenborg Canonicus Lubecensis, *ope & subsidio aliorum ciuium Lubecensium, reditus dicti Monasterij auxit ac amplificauit. Tandẽ consensu ac authoritate Primi Gerhardi Ducis Slesuicensis immutatum fuit dictum Monasterium prius Virginum, postquam de loco illo recesserant, vt imposterum* Carthusienses *illic habitarent. Et translatio hæc facta est, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo. Monasterium aũt* Cismar *prius locatũ fuit in* Lubecensi *Ciuitate, & ab ipso Lubecensi Episcopo fundatum ad S. Iohannem, in quo Monasterio* Monachi Nigri Ordinis S. Benedicti *habitabant: sed postmodum per consules Lubecenses consilio & voluntate Iohannis Comitis translatum fuit in locum* Cismar *in terra* Oldenborg, *vbi nunc degunt, & Monasteriumin* Lubeck, *quod dimiserunt Monachi, Virginibus impleuerunt.* &c. Hæc continuatur Helmoldi. Postridie Regi de Victoria & prælio commisso, deq; captiuis diligenter inquirenti, responsum fuit, feliciter pugnatum esse, spolia quoque hostium & præda. quam adepti essent ei exhibita fuit. Inter alia autem Clypeus, lorica, & armatura inaurata Regi allata & exhibita fuit. Quæ vbi Rex aspexisset, quid captiuo illi factum, & quod illi nomen esset, percontatus est. Responsum est, eum sese nominasse Nicolaum Rendesburgensem: Ibi Rex, si eum (inquit) adseruasses, rebus tuis rectè consuluisses: Atque ibi statim palam factũ

est,

est, rumorque percrebuit, quis nam ille fuisset, qui antea captus ex illorum manibus euasisset. Eadem quoque tempestate Comes Nicolaus ciuitatem Flensburgensem possidebat ac obtinebat, quam ciues muro cinxerunt. Non longè autem à ciuitate Comes Nicolaus arcem munire & ædificare cœpit, ad defensionem Vrbis, eamque *Nigehusam* nominauit: quæ nunc diruta est, vbi, quamdiu bellum cum Danis flagrarat, considere solebat, militibus collectis ex præfecturis *VVildermarscha, Hadermarscha, VVesteda, Nortorpia, Bramstede, Koldenkarcke*, & *Kellinghusen*, qui proximè ciuitatem castra locarunt, vt eam ab hostium irruptione tutarentur. Waldemarus interea Rex exercitu collecto arcem *Dorningam* obsidere decreuerat. De quo certiores facti Comites 300. expeditos milites in arce collocant. Arcem Dani obsederunt, binisq; castris eam cingentes, obsidionis grauitate ac diuturnitate, cibariorumq; penuria ac cõmeatus inopia, eos, qui in præsidio erant, ad deditionem compellere studebant. Nicolaus autem obsessis clam significari iussit, vt bono animo essent, breui per Dei gratiam fore, vt omnia ex sententia succederent, melioriq́ue fortuna, quam antea experti essent, vtentur. Cum autem durante obsidione extrema quæque perpessi essent milites ab Hinrico paruo, seu Hennekone Lembekẽ, ad quem iure hęreditario arx spectabat, miles quidam ad Comitem Nicolaum missus fuit, qui ei significaret, se diutius obsidionem sustinere non posse, quod commeatu destitueretur. Comes vbi id accepisset, qualemcunque potuit, breui temporis spatio militem coegit, vt obsessis subueniret, copijsq; auxiliaribus eos subleuaret, idque illis significari iussit. Illi ea de re certiores facti, de die & tessera vel symbolo militari conuenerunt, nimirum, vt qui hac voce *Holsteinland*, Item *Domini-*

minica de cœlo, vterentur & clamarent, intra portam reciperentur. Ita in arcem recepto milite, in castrum vnum, pone pugnantibus militibus D. Comitis, ruût & resistentes cædunt. In quo conflictu Ducenti Dani capti, & spolia ampla ex suppellectili, armis, equis, commeatu relata fuerunt. Qui autem in alijs castris erant, turpiter in fugam se coniecerunt & euaserunt.

CAPVT XVIII.

Dithmaria irata est Niclao cæde suorum
Facta, sed pangunt fœdera firma cito.
Tunc oram pestis percurrit sæua marinam,
Nulli est pars hominum quarta videnda viro.

NIcolaus Brun Anno 1350. Episcopus Slesuicensis exortus est per viam resignationis. Hic autem Episcopus singulari pietate prędictus, Ecclesijs prouehendis & locupletandis totum se dedit. Nam Anno 1352. confirmauit beneficium quoddam *Monialibus* concessum ad instãtiam Nobilium quorundam *Soestedianorum*, reseruato iure Patronatus Capitulo. Quo tempore etiã *Suaueſtedij* Domicilium habuit. Anno quoque 1357 Nicolaus Prædecessorum suorum priuilegia, nempe Episcopi Bartoldi, & Iohannis, senatui & populo Flensburgensi data roborat ac confirmat: quorum summa hæc est. Ne quis Senatorum aut ciuium, qui in ciuitate habitant, extra limites vel territorium eius, vel munitiones, authoritate & mandato Episcopi, aut aliorum Prælatorum citari debeat: iure tamen Episcopali & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Slesuicensis intra mœnia saluo & penitus reseruato. Acta hæc sunt *Suaueſtedij* Anno 1353.

Anno

Anno autem 1360. Nicolaus, qui præbendas etiam Slesuicenses auctiores ac locupletiores reddere cupiebat, annexuit præbendã Altari Beatæ Mariæ Virginis, quam tum Canonicus aliquis possidebat. Atque ita multis argumentis ac operibus Episcopus Nicolaus suam beneuolentiam ac beneficentiam comprobauit ac testatus est. *Rex VValdemarus quoque Ecclesiæ Slesuicensi donauit librum Apocalipseos imagunculis deauratis, & laminis argenteis exornatum, addita hac comminatione, vt si quis eum furtiuè aut potestatiuè subtraxisset, anathema esset: Scyphum etiam auri puri eidem Ecclesiæ largitus est, de quo calix factus.* Hac tempestate bellum de improuiso natũ est, quib. ex causis, certò nõ constat, nisi quod ex parua scintilla maximũ sæpè incendiũ oriatur. Kilonienses duos ex familia Hẽnekonis Lembekeni, cuius paulo ante meminimus, capitis supplicio affecerant, quod prædones essent. Id indignè ferens Heiniko, Kilonienſium hostis factus est, & ciues quosdam *Ekerenuordam* proficiscentes ad riuulum *Gosebekam* inuasit: quosdam etiam abduxit. Hanc iniuriam & petulantiam *Adolphus vltimus VVagriæ* (quæ post huius obitũ ad Comites Holsatiæ, vt veros Dominos redijt) vlciſci & refrenare cupiens, illum vt hostem apertè persequi cœpit. Vidua autẽ Henrici Ducis Slesuicensis, vbi id accepisset, Henniconem in clientelam suam recepit, eumque tanquam subditum fidelem defendere & tutari statuit. Quibus de causis Adolphus commotus Viduæ bellum apertè indixit, in auxilium vocato Comite Nicolao & aliunde militibus accersitis. Adolphus exercitum è vestigio in Dutibus accersitis. Adolphus exercitum è vestigio in Ducatũ Slesuicensem duxit, & arcem *Tunderensem* obsedit: Nicolaus aũt *Hadersleuiã*. Diutina obsidione arcibus tandem potiti sunt, & eas ad aliquod tempus possederunt. Hinc apparet iniustæ causæ patrocinium infelix esse.

Anno

Anno 1350. pestis maxima per totum terrarum orbem grassari cœpit, quæ tandem in Germaniam propagata, latius serpsit, & Bauariam, Sueuiam & Franconiam inuasit, vsq; adeo, vt ea 90000. homines periisse ferant. Nam viginti quatuor horarum spatio, ab vna vespera ad aliam, pridie Laurentij, mille & quingenti homines sublati sunt, & in Ducatu Slesuicensi & locis finitimis ita lues sæuijt: vt vix quinta hominum pars superstes manserit. Ita fiebat, vt domus vacuæ incolis relinquerentur, solis canibus & felibus remanentibus: pecora in agris sine pastore vagarentur. Liberi Parentum insepultorum corpora auersabantur & fugiebant. Nemo funeri obsequium præbebat. Hanc luem signa & prodigia præcesserunt. Nam Anno 1348. ingens vapor è terra exhalauit, ea cæli plaga, quæ septentrionẽ spectat, & magno conspicientium terrore per cœlum dilapsus est, & per totum orbem sese dilatauit. Sed & Anno 1351. circa festum Martini in Eiderstadia, & locis finitimis similiter pestis sæuijt, vsque adeo, vt vix quarta hominum pars superstes manserit. Quo anno & Cometa conspectus est ad Septentrionem. Anno 1356. Iacobus Stralingus sacerdos, prædia & rus, quod in Struckum habebat, Capitulo Slesuicensi largitus est in salutem animæ suæ. Anno 1357. accepit Capitulum Slesuicense, beneficio Archidiaconi Iohannis Hvviting, bona in Grumbuie & Torsnes libera ab omni petitione. Anno 1358. Dithmarsi, qui Londini & Hemmæ habitabant, de cæde cuiusdam Nicolai Rickerat cum Nicolao Episcopo transigunt & paciscuntur, fide data, se ipsius mortem non vlturos, nec in ipsum & successores, familiam eius, aut seruos quicquam tentaturos.

***

CAPVT XIX.

Cœcus vt insolito flatu mouet æquora turbo,
Aggeribus ruptis, Mars aquilone venit.
Pluraq; ter denis Henrico Præsule templa
Merguntur, Volmar tristia bella gerit.

ANno à Christo nato 1362. Henricus Episcopus Slesuicensis electus est. De patria, gente & familia, vnde ipsi origo fuerit, nihil memoriæ proditum est.

Hocanno ruptis alueis, mare inundauit oras illas, quæ aggerum beneficio aquam excludunt, & *Frisiæ* appellatione continentur, hoc est *Eiderstediam, Strandiam* & loca vicina. Factaque est inundatio maxima ea nocte, quæ secuta est Festum Natiuitatis Mariæ, vsque adeò, vt propter multitudinem hominum, qui in vndis perierunt & submersi fuerunt, vulgò inundationem illam: De grote Mandranck nominarunt, quasi dicas hominum submersionem maximam. Et rectè: nam triginta *Parochiæ* & plures vna cum templis illa alluuione interierunt: quarum nomina hæc sunt.

In Præpositura maiore. In Sundergoes-herda submersæ sunt Parochiæ: *VVartinghusen*: *Ham*: & adhuc Vna, cuius nomen in Catalogo ab Episcopo Nicolao confecto legi non potuit, quod situ id obliteratum esset.

In Norgesherda: Parochia: *Vnckenbul*, quæ in proximo *Horne* sita fuit.

In

In Præpositura Eiderstediana. Parochia *Toenflet.* Item *Capella Regis.*

In Præpositura Strandensi: Parochiæ *Tlegruft: Brunocke: Stuntenbul: Halgenis: Nigendam: Rungeholt: Akenbol: Gundermotflot: Vthermorflot: Fedderingman:*

In PylWorm-herda: submersæ Parochiæ. *Hoghe: VValthusum: Heuerdam: Balim: Gotmersbol: Sudevvisck: Nordervvisck: Flendesboll: Siuerds Capelle: Karstine Kerke:*

In Wyrkesherda. Parochiæ. *Iuenbol: Sudermersck: Nordermersck: Langnes:*

In Biltringherda, Parochia *Redimetman* quæ *Capellæ* est: item Parochiæ *VVolt: Hingsteneſſe: Habelde: Groden: Veder Hayens: Ockhom:* & N. situ *obliterata.*

In Præpositura Witha. Bokinherda: Parochiæ *Odmershusen: Spynkebul: Vendal:* submersæ

In Horsbuherde. Parochia *VVyppenbul:*

In Sylta. Parochiæ *Stedum:* & *Lifft.*

Atque hæc sunt nomina Parochiarum, quæ in Catalogo Nicolai Episcopi Slesuicēsis vetusto & situ obducto, vt difficulter legi potuerint, reperi. In quibus recensendis, si alicubi hallucinati sumus, dabit veniam æquus lector scripturæ vetustæ, & situ penè deletæ & obliteratæ. Neque homines tantum illa exundatione interierunt, sed & pecora in pascuis & agris submersa, mare sustulit. Quin & Villarum Strages magna facta est. Inundationes autem illas fuisse præsagia & signa bellorum & calamitatum, quæ postea subsecutæ sunt, testis est historia & Experientia. Ante hæc tempora quoque, Inundationibus, ex Parochijs, quas recensuimus, quasdam perijsse, verisimile est: quæ rudi illo seculo à nemine notatæ, ac literis consignatæ sunt.

Anno 1374. Februarij die 9. VValdemarus Tertius exactionibus omnem oram maritimam prægrauauit, & omnia illis priuilegia ademit.

Anno 1376. *Capellam Flensburgi ædificare cœpit Sunneke Kule.*

Anno 1399. *Templum* Brecklingense *à Danis incensum conflagrauit, omnesq; qui in id tanquam in asylum sese receperant, interfecti. Templum plumbo tectum fuit.*

CAPVT XX.

Margareta nata *Anno* 1353. *Harquino Regi Norvvegiæ, Magni Regis Sueciæ filio nupta Anno* 1363. *Post Patris excessum Regina Daniæ* x C. *per* 37 *Annos, Noruuegiæ post filij Olaui obitum Anno* C. 1387. *& Sueciæ post Albertum captum Anno* C. 1389. *die* B. Matthiæ. *Obijt* 1412. 28. Octob. *in naui. Roschildæ in Choro sepulta.*

Albrecht Comes Holsatiæ, *Henrici Ferrei Comitis Holsatiæ filius, Eiderstadienses ad* 16000. *marcas sibi soluendas adegit Anno* C. 1399. *Anno* 1403. *excursionem fecit in Dithmarsiam magna relata præda, vbi equo calcaribus incitato excussus paulo post expirauit. Itzehoæ sepultus.*

Henricus, *alter Henrici Ferrei Comitis Holsatiæ filius, Episcopus Osnabrugensis Anno* C 1402. *electus fuit (in Catalogo Episcoporum Osnaburgensium præteritur) post mortem Gerhardi, Holsatiam tutorio nomine vi occupauit, frustra resistente Fratria. Re postmodum transacta, fidam operam Fratruelibus præstitit contra Margaretam Reginam Daniæ, Ducatum Slesuicensem affectantem: idcirco cum Danis prope Eggebeck prælium commisit Anno* 1410 12. *Augusti. Molestiarum tandem pertæsus, Monasterium Bordesholm ingressus. Obijt Anno* C. 1421. *Itzehoæ sepultus.*

Ger-

Gerhardus, *Tertius Henrici Ferrei filius, Comes Holsatiæ, ab Olao Rege Daniæ infeudatus Anno* 1386. *Post huius obitum autem à Margareta Regina Daniæ per renouationem feudi confirmatus Dux Slesuicensis Anno* 1388: *fuit in ordine Vndecimus. Cum Dithmarsis plurimas fecit velitationes: tandem insidijs illorum circumuentus, 12. equitibus & alijs quamplurimis desideratis, cæsus oxcubuit Anno C.* 1404. *die B. Dominici. Itzehoæ sepultus. Huic tres liberi fuerunt:* Adolphus *natus Anno C.* 1401. *Comes Holsatiæ huius stirpis vltimus. & Dux Slesuicensis in ordine Duodecimus, à Christophero Palatino Rege Daniæ, post* 30. *annorum continuatum bellum Anno* 1440. *infeudatus: post cuius obitum à Daniæ proceribus ad Regnum postulatus, sororis filium* Christianum *illis commendauit, qui & electus. Lubecæ ἅπαξ mortuus Anno* 1459.

Henricus *alter Gerhardi filius, natus Anno C.* 1397. *ob denegatam infeudationem Ducatus Slesuicensis à seruitijs liberam, qui & ipsi à Sigismundo Imperatore per sententiam Anno C.* 1415. *& Laudum* 1424. *abiudicatus, cum Erico Pomerano Rege Daniæ bella gessit, arcem Flensburgum expugnaturus, cum scalas sepi admoueret, lãcea à milite transfixus, expirauit Anno* 1427. *Ætatis anno* 30.

Gerhardus, *tertius Gerhardi filius posthumus, Hafniam Vitalianorum ope frustra inuasit Anno* 1428. *Vxorem* Agnetem *Gemellos septimo mense enixam, & propterea adulterij insimulatam in patriam deducturus Anno* 1433. *in Itinere obijt Embricæ. Gemelli fuerunt* Henricus & Catharina, *quorum ille ex cymba prolapsus, in flumine Slia non procul à Gottorpio est submersus, hæc autem à patruo ordini Vestalium consecrata in Pretzense Cœnobium tradita fuit. Præter hos prædictos filios, Comes Gerhardus Henrici Ferrei Filius, duas quoque Filias reliquit, quarum prima* Ingelburg *per Reginam Daciæ in* Monasterio Wasten *in Suetia vbi* Sancta Brigitta *dicitur esse sepulta ibidem perpetuo*

ad seruiendum Domino Deo fuit Religiosa facta, ibidemque vitam finiuit (Continuator Helmoldi.) *Altera* Hetvvigis *primùm* Balthasari Megaloburgensi, *deinde eo mortuo*, Theodorico Fortunato Comiti Oldenburgensi *nupta, vnde inter alios natus Christianus Primus Rex Daniæ.*

REGE Waldemaro è viuis sublato, Dilectissimæ eius filiæ *Margaretæ*, vnanimi Procerum consensu, Regnum Daniæ delatum fuit. Verè Nobilis & Preciosa *Margarita*, quæ virtutum decore, rerumque præclarè à se gestarum gloria ac splendore, totum hunc Arctoum Orbem insigniter decorauit ac illustrauit, ac defuncto Patre Waldemaro, propter singularem pietatem, animi moderationem, Clementiam, rerum gerendarum peritiam, cæterasque animi & corporis dotes, quibus egregiè ornata erat, digna habita ac iudicata fuit, cui Regni sceptra & gubernacula committerentur, quod & integros septem & triginta annos summa cum laude, nec minori subditorum commodo ac vtilitate tenuit ac administrauit. Ex tam laudabili Regni Daniæ administratione, Maiestas eius & dignitas indies auctior & illustrior reddita est, adeò, vt Olao filio fatis concedente, sub ann. 1387 Regina Norvvegiæ, ac tádem sub ann. Christi 1389. Alberto Rege Sueciæ à gubernaculis remoto, eiusdem quoque amplissimi & longè patentissimi Regni Imperatrix ac Regina electa ac designata, non vt armorum vi illud occuparet ac subigeret, sed virtutum præstantia amorem ac beneuolentiam procerum ac plebis sibi conciliando, hunc honorem adipisceretur. (Huius quoque Margaretæ Reginæ mentionem facit Continuator Helmoldi in manuscripta historia his verbis: *Margareta Regina Daciæ, quæ trium Regnorum sceptra gerebat, post obitum filij sui Regis Olai non habens in regno suo successorem de*

de domo & stirpe Ducum Pomeraniæ, qui eius cognati fuerant, vnum in Regem Daciæ, Sueciæ, & Norvegiæ, quem Ericum in coronatione nominauit, solenniter assumpsit cum quo dictorum Regnorum iura possidebat: Hæc Regina vltra modum fuit prudens ac astuta, &c.) Trium itaque horum amplissimorum ac potentissimorum Regnorum imperio ac gubernatione potita, ad eorum deinceps prosperitatem & salutem, subditorum quoque incolumitatem, pacem & concordiam alendam & conseruandã, nihil vtilius ac præstabilius esse animum induxit, quã vt in posterum Regna perpetuò ac sempiternùm coniuncta, vnius nutu atque imperio administrarentur. Quod & ipsum quoque, indictis Calmarniam Comitijs, præcipuisque cuiusque Regni proceribus ac primatibus eò accersitis, maturo ac prudenti consilio, obtinuit ac impetrauit; vbi consentientibus omnium animis ac suffragiis concorditer firmiterq́, decretum ac sancitum, vt inposterum ac sempiternũ Tria hæc Daniæ, Norwegiæ, & Sueciæ Regna, perpetuo ac indissolubili Vnionis, Societatis, fœderis, ac pacis vinculo coniuncta, (Saluis tamen cuiusque Regni legibus, statutis, ac consuetudinibus) vnius regimini atq; imperio subessent ac parerent. Cuiusmodi felicitatem nulli antea Danorum Regi contigisse constat. Quamuis & hæc Regnorum vnio & coniunctio, sapientissimo Reginæ Margaretæ consilio instituta, vnanimiq́ue procerum cuiusque Regni consensu ac suffragiis cõprobata, deinceps non semper firma ac perpetua manserit, sed variis animorũ dissidiis, bellorũq́; turbis ac motibus, sæpius dirempta ac dissoluta fuerit. Confecto itaque hoc Calmarniæ negocio, Regnorumq́ue vnione ac pace constituta ac confirmata, Regina Margareta, fragilitatis & inconstantiæ vitæ humanæ memor, de successore summopere sollici-

ta fuit, qui ipsa rebus humanis iam exempta, Regnorũ curam & administrationem susciperet. Qua cura ac sollicitudine cum nihil ei prius ac antiquus esset, tandem è re atque vsu Regnorum ac subditorum fore existimauit, si accedente Procerum ac Summatum consensu, Ericus sororis suæ Ingelburgis ex filia Nepos, iam à se in filium adoptatus (vtpote cuius Heroicum ac Generosum animum, eximiasq; ac præclaras virtutes, animi fortitudinem ac prudentiã, multis iam annis satis cognitam ac perspectam habebat) sibi in Regni administratione ac imperio succederet. Quod & ipsum quoque, vnanimi Procerum ac Senatorum cuiusque Regni consensu & approbatione, obtinuit ac impetrauit, eiusque commendatione idoneus ac dignus habitus iudicatus fuit, cui trium horum Regnorum cura ac gubernatio committeretur. Quamuis & eius quoque Regimen ac Dominium non admodum diuturnum, parumque prosperum ac quietum fuerit, vt tandem pacis ac quietis amans, exorientibus hinc inde in vtroque Daniæ & Sueciæ regno varijs diffidiorum turbis ac rebellionibus, difficilem ac laboriosam horum regnorum administrationem pertæsus, in Patriam Pomeraniam sese reciperet, ibidemq; reliquũ vitæ tempus, remotus à publicis curis & molestijs in pace ac quiete trãsegit.

Prædicta itaque Domina Regina Margareta, vti in Regnorum negotiis, salutem ac incolumitatem publicam spectantibus, diligentem, sedulam, ac industriam se præstitit, ita non minus in vera fide ac Catholica Religione, singularis eius ardor, pietas ac deuotio, rebusque Ecclesiæ procurandis, conseruandis, augendis ac locupletandis, egregium eius studiũ, munificentia ac liberalitas, præclarè eminuit: cum inter cætera pietatis ac beneficentiæ opera

ac

ac testimonia anno 1402. Ecclesiæ nostræ quoque *Slesuicensi*, ad ædificationem & structuram *Summi Templi* siue *Ædis Cathedralis*, amplum ac splendidum quoddam prædium, *Grodersbuie* nominatum, vna cum bonis adiacentibus, arce Regia illic destructa, (quæ in honorem Regis Erici ædificata erat) benignè concesserit ac donauerit. Postea vero an. 1412. mense Octobri paulo ante mortem, *Munitionem* quoque vel castrum *Grodersbuie* Ecclesiæ *Slesuicensi*, cum omnibus iuribus, priuilegijs, immunitatibus, ac annexis, in perpetuum possidendum ac fruendum benignè largita est. Quod etiam Timmo occupauit, ex ordinatione Timmonis Boes Canonici. Vnde vicissim in eius tam Sanctissimæ ac Religiosissimæ *Margaritæ Reginæ* honorem, proq; eius temporali ac æterna salute ac incolumitate, in peculiari quadam Capella, à Canonico quodam, singularis & *solennis quædam Missa*, ante Summam Missam, seorsum celebrari solita fuit, quæ & singulari nomine *Reginæ Missa*, appellabatur.

Cædit Ioannem ferro de nocte coruſca
Pontificem hoſpitio turba inimica trahens,
Emungant auro, captus dat millia multa
Per mala ſic Romam cepit abire celer.

Anno 1372. Ioannes de Schondelef (alias Hes) cognominatus, Episcopus Slesuicensis electus & creatus fuit, à Summo Pontifice, (vt quidam notarunt,) missus ac ablegatus: quo tempore, Magnus, Archiepiscopus Lundensis vixit. Hic quoque Episcopus variam expertus est fortunam, maioresque angustias ac calamitates sensit ac expertus est, quam antecessorum suorum nemo, vt deinceps ostendemus. Subditi quoque Ditionis Slesuicensis, vna cum finitimis, bellis maximis & incursionibus hostium, hac tempestate fatigati & vexati fuerunt. Initio administrationis

suæ confirmauit Statuta *Hadersleuiensium*, turrimque lapideam ædificauit in arce *Suaueſtadiana*. Eius ætate anno 1388. consecrata quoque fuit Ecclesia *Vlseni* à Capitulo. *Inuestituram Episcopus* (vt aiunt Annales) quantum ad animarum curam, fecit. Episcopus autem Ioannes queritur de Comite Henrico Ferreo, quod de manibus Laicorum redemerit illam Ecclesiam, & fœdus inierit cum Comtibus Holsatiæ perpetuò duraturum anno 1389. die 8. Septemb. Quod malè cessit. Nam Comites Holsatiæ contra fœdus initum, arcem *Suaueſtedianam*, quæ ad Ecclesiam *Slesuicensem* spectat, obsederunt & occuparunt, sine vlla belli denunciatione præeunte. Idq; de consilio cuiusdam Henrici de See, Præpositi Ecclesiæ Slesuicensis. Et hac ratione à Ioanne Episcopo, Nuncio Apostolico, duo millia florenorum auri vi extorserunt, & Episcopum argento emunxerunt. Hæc acciderunt anno 1395. mense Maio. Episcopus Ioannes in has angustias redactus, vt & propter continua bella cum finitimis, tandem coactus fuit oppignerare castrum *Suaueſtede*, cum prouentibus Diœcesis & attinentijs per aliquot annos Dominæ Reginæ Margaretæ, pro 300. marcis Lubecensibus quotannis soluendis. Fuit hoc ipso die Petri ad Vincula. Quæ 300. marcæ Lubecenses Episcopo Ioanni ipso die Martini, in Curia suæ habitationis Lubecæ quotannis soluebantur & numerabantur. Regina castrum *Suaueſtedium* cuidam Nicolao Euerseno, Equiti Aurato tradidit & commisit, qui tandem eò licentiæ prorupit, vt *Frisios Eiderstadianos* duriter tractaret, plerosque in carcerem conijceret, magnamq; vim argenti plus quam 400. marcas ab ijs extorqueret. Ministri quoque eius ac domestici, quos in castro alebat, Ducatui *Slesuicensi* maximum damnum intulerunt, quod quotidie excursio-

cursionibus factis, equos, boues, & id genus bestias, ac iumenta auehercnt, latrociniaque exercerent. Quibus causis adducti Holsati, castrum *Suaueſtede* oppugnarunt, tandemque in suam potestatem redactum, multos annos retinuerunt: ita vt castrum illud *Suaueſtede* non redierit ad manus Episcoporum Slesuicensium ante annum Domini 1430. Eo enim anno id redemit Nicolaus Wulf Episcopus ab Henningo Meinstorpio. *Anno 1399. Gerhardus Dux Slesuici, Comes Holsatiæ, Stormariæ, & Schovvenburgensis confirmat Priuilegia Canonicorum Slesuicensium:* Item, *dat Ioanni Episcopo Priuilegia omnium Colonorum.*

Anno 1400. & sequenti, Comes Gerhardus Maritus Elisabethæ, Dithmarsis bellum illaturus, Episcopum precibus sollicitauit, vt sibi opem ac auxilium ferret. Quod & tandem obtinuit ac impetrauit. Episcopus ei subsidio veniens, ad bellum feliciter conficiendum, de proprijs suis bonis & facultatibus quinq; mille florenorum auri impendit. Quam tamen pecuniæ summam bello finito, Gerhardus Dux ei soluere & restituere recusauit, etiamsi sæpè ea de re monitus & interpellatus esset. Gerhardo in Dithmarsia interempto, vxor eius Ducatum possedit, & omnia, quæ ad illum spectant, prædia & bona. Quæ & ipsa sæpius ab Episcopo Ioanne de ære alieno soluendo interpellata & monita: verum hæc omnia nihil quicquam pensi habuit. Quibus de causis Episcopus adductus: Romam tandem proficiscitur, Summoq; Pontifici rem omnem, vt se habeat, exponit, & de Ducis iniuria summoperè conqueritur. Domina quoq; Elisabetha fide data Episcopo receperat, se, quacunque ratione posset, auxilijs & fauoribus ei opem laturam contra omnes & singulos, qui Ecclesiam & Episcopum Slesuicensem oppugnarent & persequerentur. Quibus magni-

magnificis promissis ac pollicitationibus adductus Episcopus, eidem quoque 1200. florenos auri mutuos dederat, postquam munus Collectoriæ recepisset: sed tamen eo animo, vt Dux Elisabetha illam pecuniam anno 1406. redderet. Elisabetha vero contra datam fidem, vbi pecuniam illam accepisset, Ecclesiam *Slesuicensem*, quibus potuit modis, persequi & infectari cœpit. Fuit hoc anno à nato Christo 1407. Anno sequenti hoc est 1409. Henricus Comes Holsatiæ cum suis, & Dominæ Elisabethæ Viris Nobilibus, de pace & securitate inter Comitem, & Elisabetham, & Episcopum Ioannem agere & tractare cœperunt. Quo tempore Episcopus Domino Comiti Henrico mutuo dedit 700. florenos aureos, eo tamen animo, vt illos paulò post redderet Comes: itaque omnia pacata & transacta erant, vsque adeo, vt Episcopus nihil mali suspicaretur. Ibi quinque post menses, durante adhuc officio collectoriæ, Tymmo Ronnovv, Wulfardus Pogvvisch, & Laurentius Hesten, milites & Consiliarij Primarij Dominæ Elisabethæ, consilia inierunt, de Ioanne Episcopo abducendo, & in carcerem detrudendo & compingendo: vt hac techna hominem argento emungerent, & ab eo pecuniæ summam magnam extorquerent, & Episcopum in officio Collectoriæ impedirent, Duce Elisabetha inceptum hoc & facinus cognitum approbante, dum pacis adhuc starent ac durarent conditiones. Itaque vt consilia ad rem perducerent, Anno 1410. die 17. mensis Februarij, durante adhuc officio collectorio, Nobiles illi, quorum meminimus, crepusculo vespertino, (cum Episcopus Ioannes Flensburgi, vbi eodem tempore diuersabatur, cubiculum ingressus, cubitum iturus,) clandestinè hospitij in oppido *Flensburgi* ianuas aperiri curarunt, & hospitium ingressi, magno

arma-

armatorum tumultu, ensibus strictis, balistis, & arcubus tensis, Episcopum nihil tale metuentem, & diurnis vestibus nudatum inuaserunt, & virum Nobilem Henniconem armigerum, Magistrum culinæ Episcopi, in eius conspectu crudeliter trucidarunt: nec his exatiati, Officiales, Ministros, Collectores, Presbyteros & Clericos, qui in hospitio Episcopi reperiebantur, immisericorditer pulsarunt & verberarunt. Episcopum etiam Ioannem ambobus brachijs & cruribus serpere & humi repere coegerunt, ac scrupulosa platea nudis carnibus contra lapidum acutorum scrupulos niti & luctari: vsque adeò, vt vtriusque femoris carnes eius vna cum sanguine, acutis saxis plateæ adhærerent, & illota dictorum femorum profunda vulnera reliquerint: idque nulla alia de causa, nisi vt ab eo immensam pecuniæ summam extorquerent, quam Episcopus apud se reconditam habere & asseruare putabant. Ad hos cruciatus accessit, quod Episcopo septem vulnera grauissima inflixerint, in manibus, cruribus, & pedibus, & præterea digitum minimum manus dextræ mutilarint. Tandem capite & pedibus nudis, & corpore semiamictum Episcopũ in equum sustulerunt strigosum, altero pede claudicantem, & profundè cæspitantem, eumq; ad castellum Ecclesiæ Slesuicensis *Stubben* vulgò nominatum deduxerunt, & castrum ijsdem artibus similique proditione occuparunt & demoliti sunt. Sexto post die cum hæc facta essent, misit Elisabetha Dux Laurentium Hesten ad castrum *Stubben*, qui Marquardo & Ivvano (erant enim illi Episcopi Ministri & Officiales) mandarent, vt Timmoni & Wulfardo castrum *Stubben* traderent, quemadmodum ea de re conuenerat, antequam Episcopus captus esset. Ibi exactione & capitatione extemporali rusticos & miseros colonos,

nos, qui ad caſtrum ſpectabant, mulctauerunt, & ab ijs mille marcas extorſerunt, omnibus deſolatis & ſolo æquatis, vt multis annis reparari & inſtaurari non potuerint. Nec his contenti, anno 1411. primo die menſis Iulij, Tymmo Ronnovv, Ericus Krummedick. Otto Soeſtede, Luder Storm, Otto de Knope, inito conſilio cum præfecto arcis Suaueſtedianæ Sifrido Harmenſen, arcem *Suaueſtede* occuparunt. Præfectus enim arcis aditum eis patefecerat, intromiſſis clam quibuſdam, quouſque tandem numero ac viribus Epiſcopi miniſtros ſuperarent. Anno 1410. Epiſcopum Ioannem vinctum & colligatum per Diœceſin Sleſuicenſem nouem vicibus pro deridiculo & delectamẽto ducunt de loco ad locum, vt omnibus ſpectaculum & ludibrium eſſet. Poſtremò cum libidinem expleuiſſent & petulantiam male feriati, cum Epiſcopo agere & de liberatione tractare cœperunt. Cui rei ſeſe veluti arbitrum interpoſuit Benedictus Pogvviſch. Res ijs conditionibus compoſita eſt, vt Epiſcopus ſeptingentas marcas ſolueret, & ita cuſtodia & captiuitate liberaretur. Quam ſummam cum ab eo extorſiſſent, carcere laxatus fuit. Pro ea ſumma adhuc oppignorata & obligata ſunt, quædam Eccleſiæ Sleſuicenſis bona & poſſeſſiones, & quingentæ marcæ Lubecenſes, quas idem Comes Henricus Epiſcopo debebat, & earum nomine obligatus erat. Ioannes Epiſcopus carcere liberâtus, Romam magnis itineribus contendit, remq; omnem, vt ſe haberet, Pontifici exponit, efficitq; tandem, vt citatio decerneretur contra Eliſabetham Ducẽ Sleſuicenſem, ac Dominum Timmonem Ronnovv, Wulfardum Pogvviſch, Laurentiũ Heſten milites, Marquardum Fratrẽ Timmonis, Ivvanum Fratrem Wulfardi, Witting Henning, familiares ipſius Ivvani: Luderum Peterſen, Sture, Schmid,

Hol-

Holcke, familiares dicti Timmonis, & Emvvaldum Wunfled, Marquardum Stedeke, & Schutteken familiares dicti Wulfardi, Ericũ Krummedick militem, Sifridũ Hermensen, ac Dn. Henricum de Sehe prætensum Præpositũ, Nicolaum Butterfeld Cantorẽ, Ioannem Hovvschild, Timmonẽ Bodt Canonicos Ecclesię Sslesuicensis, Ottonẽ Soestede, Ottonem Knop & Luderum Storm personaliter & contra eorum personas: nec non contra Dn. Henricum Comitem Holsatiæ & complices eorundẽ siue conspiratores, videl. Vice. Rectores, Officiarios, Capellanos, Eleemosynarios per Præpositurã Maiorem & per Archidiaconatũ Ecclesiæ Slesuicensis & quemlibet eorum *&c.* Aduersarij a. Episc. Ioannis hac excusatione & exceptione sese aduersus ipsius accusationes tutati sunt, quod dicerent, Episcopum sibiipsi imputare ac asscribere debere ea, quæ sibi eueniissent, quod tã indignis modis ac inhumaniter exceptus esset: vt quorũ ipse causa ac author extitisset: quod castrum in Regis Danorum potestatẽ redigere & tradere conatus esset, vnde eò commodius deinde in Holsatos impetum facere & excurrere posset. Idque, ab eo tempore, quo bellum inter Daniæ Regem & Ducem Slesuicensem primum exortum esset, eum omni conatu tentasse ac molitum esse: deinde quod fidem, quam Duci Elisabethæ dederat, fefellisset. Nam cum Elisabethæ tanquam Consiliarius fide ac iuramenti religione obstrictus esset, eum velo verso ab ea defeciisse, & contra ipsam Ducem eiusq; Ducatum, suum filiorumq; suorum statum, salutem ac prosperitatem ad partem Regis declinasse, seq; partem constituisse: & in hoc vnicè incubuisse, vt arces & munitiones Ecclesiæ Slesuicensis in vsum & potestatem Domini Regis & gentium suarum, in offensam Ducatus Slesuicensis peruenirent, & vt gentes

Domini

Domini Regis ad eas introducere posset, & maximè ad dominationem castri *Suauestede* &c. Tandem post multas concertationes & lites hinc inde motas, & exortas anno 1411. Gerhardus Comes Holsatiæ, & Albertus frater eius, totam hanc controuersiam placidè ac vnanimiter composuerunt & transegerunt inter D. Ioannem Episcopum ex vna parte, & Illustrem Dominam Elisabetham ex altera, hisce conditionibus, vt Episcopo pecunia, quam tam ipsius coniugi, quam ipsi, Episcopus mutuò dedisset, solueretur, & de iniurijs, spolijs, ac damnis, quæ ab aduocatis & ministris Ducis ipsi illata essent, Episcopo satisfieret: tandem vt Clerici Slesuicenses, cuiusuis essent dignitatis & conditionis, in personis eorum & bonis & iuribus in morte & vita, nec non familia Episcopi Slesuicensis omnibus libertatibus frui deberent, sicut temporibus prædictorum Dominorum Ducum. Eodem quoque anno 1411. Henricus de See Præpositus, Nicolaus de Batterueld, Ericus Krummedick. Otto van Knope arbitri electi & constituti fuerunt, qui de damnis in bello datis statuerent & iudicarent: idque de consensu Capituli & Ducis Elisabethæ, Comitis Holsatiæ, Stormariæ & Schovvenborch, & Henrici Ducis Slesuici, Comitis Holsatiæ & Schovvenburgensis. Placuit arbitris & conuenit, Canonicos Iura sua retinere debere & Priuilegia, quæ à Regibus & Ducibus impetrassent. De damno dato, tam in bonis Capituli quam Vicariorum, in bello & post, restitutionem postulandam, eamque à conuentis ante diem Michaelis faciendam: Sin tergiuersentur & non satisfaciant, contra eos Iure Ecclesiastico experiendum & procedendum: quibus manus auxiliatrices præbebunt Principes Ducatus, & Dux Elisabetha.

Anno

Anno Millesimo quadringentesimo tertio, Comes Holsatiæ Albertus, Henrici Ferrei Filius, equo excussus moritur die Michaelis: sepultus Itzehoe, *postquam* Dithmarienses *grauissima clade afflixisset. Eodem anno* Eiderstadiani *septem Matronas honestas,* Dithmarsas *Natione rapuerunt, easque in Templo* Tonningensi *asseruarunt. Eam rem* Dithmarsi *indignè & grauiter tulerunt, vsque adeò, vt res ad pugnam & motus spectare videretur: quod* Dithmarsi *vim vi repellere decreuerant. Nam mariti, quibus coniuges ereptæ erant, multitudinem querelis incitabant, vt vix manus continere possent. Paulò post,* Dithmarsi *loco solito congregati, mulieribus raptis spem fecerunt, fore, vt breui liberarentur, & inprimis agnati proximi, ad quos illa iniuria maximè pertinebat, qui amicitiæ ac viciniæ fœdus violatum querebantur. Ita quinto post die, domo egressi, in* Eiderstadiam *impetu facto, obuium quemuis inuadunt & cædunt, omnemq; agrum longè lateq; vastant, ædibus & tectis incensis, & ita Matronas illas vi raptas coniugibus incolumes & intactas domum reducunt. Anno Millesimo quadringentesimo sexto, Dux Henricus, & Viri quidam primarij Hamburgenses,* Suauestedium *veniunt, & multis nauigiis appellunt, ibiq; inuenerunt bona mercatorum, quæ in mari à pyratis directa essent. Henricus Dux, & Hamburgenses Præfectum accusant. Præfectus conuictus arcem Duci & Hamburgensibus tradidit: qui postea illam* Meinstorpio *contulit, ex cuius manibus eam Episcopus (vt diximus) Nicolaus redimere coactus fuit. Ad quam rem rustici & coloni contribuere, & magnam argenti summam conferre coacti fuerunt. Anno quoque Millesimo quadringentesimo octauo, mandat Episcopus Ioannes omnibus Parochianis & Ecclesijs, & Sacellorum prouisoribus: vt dimidiam omnium Prouentuum partem erogent, tam ex Decimis, quam ex alijs reditibus ad edificandam Ecclesiam* Slesuicensem, *quæ collapsa & ruinosa*

nosa erat. Id autem in mandatis datum fuit Henrico de Sehe, *qui tunc Præpositus & structuarius erat, vt is tanquam fidelis Architectus omnia colligeret. Eo tempore cœptum fuit ædificari latus australe Templi Slesuicensis. Quod anno* 1450. *fuit absolutum, (vt postea dicetur) Anno* M. CCCC. X. *die* 12. *Augusti infra Ioel & Stldorp confixerunt Dani & Slesuicenses.* Crantz. Danic. libr. 8. *Anno* M. C C C C. X I I. *Inundatio maxima extitit, quæ vulgo* Inundatio Ceciliæ *nominatur, quod illa die ea contigisse dicitur. Anno* M. CCCC. XII. *plus minus arx* Glanbeke, *quæ in* Fimbria *sita est, expugnatur ab Erico, vbi Viri Ecclesiastici fuerunt. Anno Millesimo quadringentesimo decimo sexto, Holsati recuperant* Fimbriam *& arcem* Glanbeke, Konigsburgum *vallatur, &* Stubbe *ab Erico solo æquatur.*

Ioannes Episcopus, (cuius sæpè supra mentio facta est) obijt anno Domini M. CCCC. XXI. postquam quadraginta nouem annos Episcopatui præfuisset. Sepultus ad latus Chori, quod austrum spectat. Lapis sepulchralis nullus extat, quem vidi, sed in pariete depicta est Episcopi effigies in Cathedra sedentis, cum hac inscriptione: quæ multos annos calce oblita, legi non potuit, nunc tandem calce auulso & de muro eraso, apparuit & conspicua facta est. *Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo primo, 8. die sancti Laurentij obijt, Ioannes Scondeleff Episcopus Slesuicensis, Doctor Theologiæ, qui sedit quadraginta nouem annis, hic sepultus.*

* *
*

CA-

CAPVT XXI.

OLAVS Rex Daniæ 91. *Anno Christi* 1376. *& Norvvegiæ post mortem Patris Harquini Anno Christi* 1381. *Natus* 1365. *obijt* 1387. *Soræ sepultus, primùm Norvvegiæ Regnum iure hæreditario ex morte Patris obtinuit.*

OCCASIONE ac recordatione Regis huius Daniæ & Norvvegiæ Olai, intermittere non possum, quin hic simul alterius quoque Olai mentionem faciam Sanctissimi ac Beatissimi Regis Norvvegiæ, quamuis longo ante tempore vixerit, (ætate nimirum Kanuti anno 1028.) cuius memoria ac Festiuitas ab omnibus Septentrionalibus Oceani populis, etiam in mea Patria, Ducatu ac Vrbe Slesuicensi, olim summa solennitate celebrata ac honorata fuit. De eo autem vetustissimus Scriptor *Adamus libr. 2. cap. 40. histor. Eccles.* sic commemorat. *Inter Cnut & Olaph Regem Northmannorum continuum fuit bellum, non cessauit omnibus diebus vitæ eorum: Danis pro imperio certantibus: Northmannis vero repugnantibus pro libertate. In quare, iustior mihi visa est causa Olaph, cui bellum necessarium magis fuit, quam voluntarium. Si quando autem tempus à bellorum motibus quietum erat, idem Olaph iudicio & iustitia Regnum gubernabat. Dicunt enim inter cætera virtutum opera, magnum zelum Dei eum habuisse, vt maleficos de terra disperderet, quorum numero cum tota barbaries exundet, præcipuè vero Norvvegiæ regio talibus monstris plena est. Nam diuini, & augures, & magi, & incantatores, cate-*

riq3 satellites Antichristi habitant ibi, quorum præstigiis & miraculis infelices animæ ludibrio dæmonibus habentur. Hos omnes, & huiusmodi Beatissimus Rex Olaph persequi decreuit, vt sublatis scandalis, firmius in Regno suo clarescerent Christiana Religio. Habuitq3 secum Episcopos multos & Presbyteros ab Anglia, quorum monitis & doctrina, ipse cor suum Deo præparauit, subiectumq3 populum ad regendum commisit, quorum clari doctrina & virtutibus erant Sigfrid Gunichil, Rudolph & Bernhard. Hi etiam iussu Regis, ad Suediam, Gothiam, & ad omnes insulas, quæ trans Northmanniam, accesserunt, Euangelizantes Barbaris verbum Dei & Regnum Iesu Christi. Misit & nuntium ad Archiepiscopum nostrum Vnvannum cum muneribus, petens, vt eius Episcopos benignè reciperet, suosq3 ad eum mitteret, qui rudem populum Northmannorum in Christianitate confortarent.

Subijcit autem his, alterius Olai Regis Suetiæ, priori vt nomine, ita quoque virtute, pietate, & moribus per quam similis, res gestas, Adamus sequentibus verbis.

Simili Religionis amore alter Olaph in Suetia dicitur floruisse. Is subditos sibi populos ad Christianam fidem conuertere volens, magno laborauit studio, vt Templum Idolorum, quod in medio Suconiæ situm est, Opsala, destrueretur. Cuius intentionem Pagani metuentes, placitum cum Rege suo tale constituisse dicuntur, vt, si ipse vellet esse Christianus, optimam Suetiæ Regionem, quam vellet, suo iure teneret, in qua Ecclesiam & Christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi à cultura Deorum inferret, nisi qui sponte cuperet ad Christum conuerti. Huiusmodi Rex placito gauisus, mox in Occidentali Gothia, quæ Danis proxima est vel Northmannis, Ecclesiam Deo, sedemq3 fundauit Episcopalem.

Hæc

Hæc est Ciuitas Scarana *maxima, in qua petente Christianissimo Rege Olaph, primus ab* Vnvvano *Archiepiscopo,* Thrugot *ordinatus est. Ille Vir strenuè legationam suam perfecit in Gentibus, duos Nobiles populos* Gothorum *suo labore Christo lucratus, perq; illum Episcopum Rex Olaph ingentia Metrapolitæ Vnvvanno direxit munera,* &c.

Sequitur porro in Adamo historico, Glorioſissimi Olaph Regis Norvvegiæ siue Nortmanniæ Martyrij descriptio hisce verbis.

Olaph igitur Clarissimus Northmannorum Rex, contra Cnut Regem Danorum, qui Regnum suum impugnauerat, perpetuo decertabat prælio, tandemq; ferunt: Beatissimum Regem Olaph, seditione Principum, quorum mulieres ipse propter malefitia sustulit, è Regno depulsum Norvvegiæ, & regnauit Cnut in Northmannia simul & Dania, & (quod nulli Regum prius contingere potuit) in Anglia. Olaph vero totam suam spem in Deo ponens, ad comprimendos Idololatras denuo bellum instaurat. Olaph auxilio habuit Regem Rutzlorum *& Sueonum, cuius filiam habuit, & de populis Insularum infinitam congregans multitudinem, patrium Regnum vi & armis cepit. Rex igitur Christianissimus, Fortitudine in hostes, & iustitia in suos celebris, ad hoc in Regnum se credidit à Deo restitutum, vt iam tunc nemini parcere deberet, qui vel magnus permanere vellet, aut Christianus fieri nollet. Et cum magna ex parte votum impleuit, pauci qui permanserant ex Magis in vltionem eorum, quos Rex damnauit, & ipsum obtruncare non dubitarunt. Alij dicunt, eum in bello peremptum: quidam vero in medio populi circo ad ludibrium magis expositum. Scribunt alij, eum in gratiam Cnut Regis latenter occisum, quod & verum esse non diffidimus, eò, quod Regnum eius inuasit. Igitur Olaph Rex & Martyr (vt credimus) tali fine consumma-*

tus est. Corpus eius in Ciuitate magna Regni sui, Throndemis, *cum decenti honore tumulatum, vbi hodieq; plurimis miraculis & sanctitatibus, quæ per eum fiunt*, Dominus *ostendere dignatus est, quanti meriti sit in cœlis, qui sic glorificatur in terris. Agitur festiuitas passionis eius* 4. *Kalendas Augusti, omnibus Septentrionalibus Oceani populis, Northmannorum, Sueonum, Gothorum, Sembrorum, Danorum, atque Slauorum, æterno cultu memorabilis.*

In sempiternam Sanctissimi huius Regis ac Glorioſissimi Martyris Olai memoriam, verba ex Breuiario noſtro Sleſuicenſi itidem hic aſſcribere placet. Vbi conſueto more præmittitur primum Oratio.

Deus, qui Beatum Olaum Regem & Martyrem, magna virtute & mirabili scientia ditasti, & hodierna die ad ineffabilem gloriam sublimasti, concede nobis famulis tuis, eius intercedentibus meritis, antiqui hostis machinamenta superare, & ad societatem supernorum Ciuium feliciter peruenire. Per Dominum &c.

Sequitur Sanctiſſimæ eius vitæ, rerumq; præclarè geſtarum & Glorioſiſſimi tandem Martyrij breuis deſcriptio.

Glorioſus Rex Olaus, ad fidem Christi in Anglia est conuersus: sed Rothomagi Baptismum susceptt. Qui statim feruore fidei Apostolicum sumens officium, fidem Christi in diuersis partibus prædicauit, innumerabilemq; multitudinem Domino acquisiuit. Sed è conuerso in Regno Norvvegiæ à quibusdam malis, multas pertulit tribulationes: donec eorum multitudini resistere non valens, secessit in Iuciam: *vbi à Rege illius Prouinciæ honorificè est receptus, & per tempus aliquod ibi mansit. Deinde Diuino instinctu per Sueciæ fines rediens, obiecit se sponte periculis, paratus subire Martyrium propter Christum. Erat*

namque eius doctrina operibus eorum valde contraria. Nam quidam, cuiusdam Kanuti aduersarij eius, muneribus corrupti, quidam propria malitia accensi, nouam legem paternis legibus contrariam recusantes, ordinato exercitu in loco qui nunc dicitur Stickelstede Regem bello exceperunt. Quibus ille cum paucis occurrens occubuit, pro temporali Regno accipiens æternum 4. Kalendas Augusti Anno Incarnationis Dominicæ M. XXVIII. Nocte vero præcedente diem obitus sui, apparuit ei Dominus dicens. Veni electe mi, vt laborum tuorum fructum accipias in lætitia sempiterna. Qua visione, inæstimabili gaudio repletus, intellexit iam Diuinitus, quid significat Scala, quam prius in somnis viderat erectam in cœlis. Per quam vtique, ad cœlestem gloriam erat ascensurus. Post mortem autem ipsius, multis eum Dominus miraculis illustrauit; de quibus hic aliqua subnectuntur. Cum in domo quadam, Sanctissimum corpus eius vulneratum, ministri lauassent, eiecta est ante hospitium aqua mixta sanguine, qui defluxerat de plagis eius. Accidit autem, vt quidam cœcus ante domum transiens caderet in eodem loco. Cumq; digitos madefactos cum dicta aqua ad oculos suos reduceret, continuò clarum visum recepit. Contigit etiam sancto Viro adhuc viuenti, in quadam die Dominica, virgulam forte vbi residebat inuentam, cultello, quem manu tenebat inscindere, immemor quod dies Dominica esset. Vnus autem de astantibus indirectè eum admonuit dicens, Domine mi Rex, cras est secunda feria. Qua commonitione Rex ad se reuersus, doluit, & omnes dolaturas virgæ colligens, super nudam manum suam totaliter combussit. Quibus combustis manus eius illæsa remansit. Erat in Dacia quidam Præpositus valde peruersus, qui Beato Olao & eius miraculis frequenter derogabat. Hic habebat ancillam Natione Norvvegensem B. Olao valde deuotam. Dum autem quadam vice adueniret eius Festiuitas, dictus Præpositus

coegit eandem ancillam ex sola malitia temerare Festum eius, coquendo panes. Ipsa autem inuita & coacta Imperium adimpleuit, cum gemitu inuocans sanctum Martyrem: vt cum aliquo signo peruersitatem Præpositi refrænaret. Mira res: vno eodemque momento Præpositus cœcitate percutitur, & panes in clibano in lapides conuertuntur. *Hæc Breuiar.*

Huius Sanctissimi ac Religiosissimi Regis Olai ætate, vixit ac floruit quoque Vir Pius ac Deuotus *Theodogarus Regis Capellanus*, cuius quoque memoriam, ac vitam sanctissimam hic silentio præterire, indignum omnino foret: de quo insuper *Breuiarium* nostrum *Slesuicense* ab Episcopo Godscalco de Alevelde editum ita habet. Oratio.

Deus, qui populo tuo salutis æternæ Beatum Theodogarum Professorem, Sacerdotemq; tuum, Ministrum tribuisti, præsta quæsumus, vt quem Doctorem habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

Vitæ rerumq; eius gestarum descriptio ex eodem Breuiario.

Cum in diuersis locis, Sanctorum Patrum Origine ac Religione, polleret Ecclesia, Beatus Theodogarus ex honestis originem ducens parentibus, in terra Thuringia *nouum sydus apparuit. In terra incognita Deo cognitus extitit. Et inter Gentes barbaras ac rudes, tanquam lilium inter spinas pungentes, feliciter floruit. Sanè, nec sine quodam cœlesti præsagio tam Festiui Nominis titulo insignitus est.* Theodogarus *namque, quasi* Deo charus *dicitur. Si vtique & interpretatio Nominis digno intellectu consideretur. Verè etenim se Deo charum exhibuit, dum piè & iustè viuendo in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Hic à primo flore pueritiæ suæ literis traditus, literarum scientia claruit,*

ruit. Quodque precioſius eſt. Quicquid in Sanctis Codicibus legebat, Sanctis operibus depingebat. Ad virilem vero ætatẽ accedens, viriliter ſe agens, memor Domini dicẽtis. Qui reliquit Patrem aut Matrem aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet. Relicta igitur Patria & cognatione ſua, tanquam alter Abraham de terra & cognatione ſua exiuit, & ſic Deo ordinãte terram Anglicam expetiuit. Ibi autem breui tempore commoratus, & non Anglicè ſed Angelicè conuerſatus, ad hoc aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, vt iret de Virtute in Virtutem, donec videretur Deus Deorum in Syon. De bonis itaque ad meliora volens procedere, nauem ingreſſus fauente Deo, flante vento ſecundo, Norvvegiam peruenit. Hac in terra Vir Dei honeſta conuerſatione percelebris, ſacerdotij dignitate meruit inſigniri. Vndè & Olaus Rex, audita eius fama, eum ad ſe accerſiri præcepit, ſuumque Capellanum effecit. Et quia Dominus amauit illum, magnificauit eum in conſpectu Regis illius. Nam & Homo Dei Horas Canonicas, & Miſſas, cæteraq; diuina Officia deuotè celebrando, pro Rege cœleſti, Regi ſeruiebat terreno. Verbum Dei etiam prædicando in timore & iuſtitia cor Regis confirmabat. At Rex gratiſſimè verba prædicantis ſuſcipiebat. Factum eſt autem poſt Inclyti Regis obitum, Sanctus contriſtatus & conturbatus valdè, pro ipſo lachrymas & preces frequenter fudit ad Dominum, ipſamq; terram relinquens ad patres Daciæ ſe tranſtulit, vt arida corda Barbarorum Fluuijs ſalutaris doctrinæ irrigaret, populos incredulos ad fidem Chriſti conuerteret. Conuerſa autem multitudine non pauca, oppidum quod appellatur Weſtervvick ingreſſus, Verbum Dei conſidenter prædicauit: ibidemq; innumeras animas Diabolo ſubtraxit & Deo acquiſiuit. Sed quoniam in eodem loco, nulla adhuc conſtructa fuerat Eccleſia, ipſe tanquam pauper Chriſti, virgis & viminibus dato pretio acquiſitis, paucam ibidem in honorem Dei erexit Baſilicam: in qua Sancta Miſſarum ſolennia celebra-

bat & pro populo Dei frequenter orabat. Hæc Breuiarium.

Anno 1380. *Prior Olaus, (de quo initio dictum) Danorum, Slauorum, Gothorumq; Rex, & verus hæres Suetiæ, immunitatem à Maioribus concessam, Capitulo Slesuicensi, eiusque Colonis confirmauit, vt nec à quoquam mulctari, nec alibi, quam coram Capitulo conueniri debeant.*

Ericus IX. *à Margareta adoptatus Anno C.* 1336. *Rex Daniæ* 92. *Norvvegiæ & Sueciæ Anno C* 1411. *electus ac consecratus fuit: post diuturna & difficilia bella cum Ducibus Slesuicensibus & Anzæ ciuitatibus gesta, tandem Regni gubernationem deserens Anno C.*1439. *inque Pomeraniam rediens, in quiete & ocio consenuit. Obijt Anno* 1459. *Cuius* Coniux Philippa *Henrici Quarti Herfordiæ & Essexiæ Comitis filia Anno* 1406 *nupta. Obijt* 1430.

Henricus turpi conatur fraude nefandus
Flaminis expulsi contemerare fidem.
Fœdere cum Ducibus pacto, sit Præsul iniquus
Dignaq; sed meritis Præmia ritè tulit.

Henricus van dem See Nobilis, Episcopus Slesuicensis electus est. Fuit is Cancellarius Nicolai Comitis Holsatiæ, Stormariæ, & Schovvenburg, & Gerhardi Ducis Slesuicensis, Comitis Holsatiæ, Stormariæ & Schovvenburg, quorum præsidio & authoritate ad Episcopatum euectus fuit. Nam & eorum partes secutus fuerat, cum adhuc Præpositus esset, & in persequendo Iohanne Episcopo sese administrum præbuerat. Qui primò consilium dedisse fertur Comitibus, vt arcem *Suavestede* reciperent anno quinto, postquam eam Iohannes Episcopus Reginæ Margaretæ oppignorasset, & pro omnibus prouentibus quotannis 300. marcas Lubecæ soluendas, vt supra notauimus, pactus esset. Qua de causa apud Comites gratiosus, Danis autem exosus fuit, vsque adeò, vt Petrus Archiepiscopus Lundensis in illã electionem

nem consentire, & illam voce & authoritate comprobare & confirmare recusauerit: imo interdicto promulgato prohibuerit, ne bona & prouentus Episcopales Henrico de See traderẽtur, quod Electio ritè ac legitimè facta nõ esset, certis de causis, donec litis pẽdentia super Diœcesi *Slesuicensi* in curia Romana mota, per sententiam definitiuam sopita ac determinata esset: fructus quoque in sequestro positi fuerunt sub manibus Honorabilium Virorum, Nicolai Wulfardi Canonici Hadersleuiensis, & Petri Figolphi Presbyteri Flensburgensis, pro Episcopo Slesuicensi, litis pendentis victoriam in curia Romana obtinenti, vt & illi post deductionem onerum integrè reseruarentur. Fuit hoc anno 1425. Quæ tamen inhibitiones reuocatæ fuerunt coram Capitulo Londensi in præsentia virorum Nobilium anno sequenti: idque ostendunt verba eius Decreti. *Sic nunc cassamus reputantes pro Episcopo vero, &c.* Anno 1426. Quo anno primum Henricus vam See, pro Episcopo Slesuicensi, à Lundensi Archiepiscopo agnoscitur & habetur. Episcopi autem huius administratio & imperium diuturnum non fuit. Nam biennio post, Episcopatum libere resignauit Episcopo Nicolao. Hic Episcopus cum Comitibus Holsatiæ, Hinrico & Nicolao, postquam arcem *Suauestede* occupassent, transegit, idque de consensu Capituli, fidemque ac iusiurandum dedit, quoad viueret, nunquã se in posterum commissurũ aut passurum, vt ex eo castro Duces Sesuicenses detrimẽto aliquo afficiantur: neq; Duces castro Suauestediano damnum vnquam illaturos esse. Qua de causa & ciues Hamburgenses Anno 1427. Iohannem Kletzken, Consulem captum in ædibus Bedelli detinuerunt & asseruarunt, quod in expeditione contra Castrum Suauestede cum alijs & ipse repertus esset.

Hac

Hac tempestate Anno 1423. antiqua ac grauissima illa controuersia, de Feudo *Ducatus Slesuicensis*, multis retro annis inter Reges Daniæ & Duces Slesuicenses acerrimè agitata, quæque plurimas turbas & contentiones excitauerat, iterum mota ac redintegrata fuit: Erico Rege non quidem nudè ac simpliciter prędictum Ducatus *Slesuicensis* Feudum Ducibus Slesuicensibus abnuente & conferre detrectante, sed vt illud purè ac simpliciter Regi ac Regno Daniæ resignarent, summoperè annitente ac postulante. De qua controuersia, cum inter illos conuenire non poterat, tandem post multas disceptationes ad Sigismundum Imperatorem Constantiæ tunc temporis Comitia celebrantem, à Rege Erico delata fuit, eiusque hac dere consilium & iudicium summoperè petitum & exquisitum fuit. Qui causa cognita, non multo post Henricum Glogouiæ Ducem, Budissinæ, Gorlitij, & Sittauiæ præfectum ablegauit, vt si vllo pacto fieri posset, dissidium hoc amicè & placidè inter partes dissidentes componeret. Hic tentatis omnibus amicæ & pacificæ transactionis vijs ac remedijs, postquam omni suo studio ac conatu, necquicquam se promouere cerneret, tandem eò rem deduxit, vt vtrinq; Sigismundum Imperatorem, supremum huius Controuersiæ iudicem ac arbitrum eligerent, ab eiusque sententia ac decisione se firmiter staturos esse, vtrinque compromitterent ac pollicerentur. Qui re deliberata, & vtraque litigantium parte Budam vocata, hanc sententiam tulit, non definitiuam, sed interlocutoriam tantùm, donec vtrimque ius & actionem suam persequerentur. *Nos Sigismundus Rex præfatus arbiter, per dictas partes electus, vigore compromißi in nos facti, dicimus, decernimus, laudamus, & arbitramur, & hiscriptis pronunciamus*: *Totam* Iutiam Australem, *in qua*

situa-

situata sunt, Slesvvick & Gottorp, *& alia loca ad ipsam* Iutiam *pertinentia, vna cum sylua* Danica, *&* Insula Alsen, Prouincia *&* Frisiæ *vulgariter* Heerden *nominata, cum omnibus iuribus & pertinentijs, pertinuisse & pertinere debere iure directi ac vtilis Dominij, ad Regem ac Regnum Daciæ: ipsumq; inducendum fore & induci debere in possessionem Ducatus supradicti, & terrarum cum suis pertinentijs, vt supra, prænarratarum: & dictis Henrico, Adolpho, & Gerhardo, Comitibus præfatis, in & super dicto Ducatu & terris suis cum pertinentijs, vt supra, nullum ius ratione Feudi competisse, & adhuc competere. Et ita per hanc nostram arbitralem sententiam, secundum allegata & probata, in his scriptis definimus & arbitramur pro iure, dictis partibus super alijs hinc inde petitis ex causis animum nostrum mouentibus, vtrique parti actionem reseruantes. In quorum omnium & singulorum præscriptorum fidem, præsentes nostras literas fieri fecimus, sigillisq; nostræ Maiestatis appensione muniri. Data, lecta, & exhibita est præsens sententia & arbitrium Budæ Anno* 1624. 28. *Iunij.* Qua sententia promulgata Rex Ericus postea pietatis ac deuotionis studio in Terrã Sanctam iter suscepit, &c. *Comes Hinricus vna dierum existens in Monasterio* Bordesholm, *fuerat ipsi relatum de quadam voce Angelica, quæ ibidem inter psallentes in choro sæpius ab aliquibus admodum dulciter audiebatur, quam vocem vt etiam audire posset, ingenti desiderio se ad Ecclesiam duci curauit, & vouit, si Deus sibi cœlestem ac Angelicam hanc vocem audire permiserit, quod tunc dona sua Monasterio in sui & Parentum suorum memoriam donare ac elargiri vellet. Et cum vocem hanc audierat, reddit vota sua,* Iudicium Villæ in Loop *pro perpetua sua & parentum suorum memoria, omni anno singulariter cum Vigilijs & Missis solenniter peragenda, memorato Monasterio tradidit ac cõcessit ad vsum. Dictusq; Henricus post plurima sua bona opera, non solum Patriæ & lucri*

tem-

temporalis sed spiritualium personarum Atletha fortis circa Annum Domini 1421. (alij 27.) obijt in pace & sepultus est in Itzehoe sepulchro Parentum suorum. Hæc Continuator Helmoldi.

Anno 1406. ædificata fuit à Rege Erico arx in Suantzen Konigsborch, hoc est, arx Regia nominata: sed & aliam non longe à villa VVelspang arcem struxit, & Tertiã ad fluuiũ Treia ex latere Ducatus. Arcibus hisce exædificatis, Exercitum collegit, & castra in Iurgensburg posuit. Noctu autem Holsati Equites Sliam, vbi minima erat fluminis altitudo, vado transeunt & impetu in Danos facto, omnes ad vnum cædunt, & vna cum nauibus spoliant: Paulo post arcem Welspang demoliuntur & solo æquant. Item arcem Fresenburgum, arcem Konigsbergum dereliquerunt. Holsati etiam eo tempore arcem Tunderensem recuperarunt.

Anno 1422. Fimbria à Danis vastata fuit, multis interfectis, & Virginibus Stupratis, & plurimis in Daniam abductis Henricus Dux Slesuici arcem Dorningam commeatu subleuat, quæ ab Erico Rege obsessa erat.

Circa idem tempus Ericus Rex Daciæ, qui longo tempore fuit inimicus Holsatiæ, circa prædictum tempus colligi fecit Exercitum, ad destruendam terram Altzen, sicut Fimbriã, & Capitaneum constituit, dictum Ivven Bruseken magnum Tyrannum. Et quando applicare volebant terræ, dictus Ivven subitò expirauit, & ventus validus naues hincinde dispersit. Et sæpius Dani congregati fuerant ad hanc terram desolandam, sed semper Dominus Deus pugnauit pro eis. Nam inhabitantes terram Altzen, vouerunt omni anno ad Sanctum Cruorem in Wilsnack munera sua mittere, semelq; eò transmiserunt Calicem vnum pendentem sexginta marcis, ibidemq; in terra sua erexernnt vnam Capellam in honorem Sacrosancti Corporis Christi & Sanguinis Christi: ad cuius cultum peragendum quilibet in terra illa omni anno sua dona ac munera liberaliter conferebat. Hæc Continuator Helmoldi.

Anno

Anno 1423. Episcopus Henricus vendidit Prædium Satropholm 1500. marcis Lubecensibus Henrico ab Alefeld, vt ex literis super ea emptione confectis, quæ Suavestedij sunt, colligitur. Anno 1423. Ea fuit hyemis asperitas & frigus, vt mercatores mari gelu indurato & concreto equitarent in glacie Lubeca in Borussiam vsque.

Anno 1425. Petrus Archiepiscopus Londensis, Suetiæ Primas cum fratribus suis, & Domino VViburgensi, Lagone Burglanensi, Petro Iohanne Roskildensi, Namane Ottonensi, Christierno Ripensi, Vlrico Arhusiensi, ex parte Henrici Slesuicensis Hermanno Denen Canonico, & Vicario Iohanne Sello innouat & corrigit articulos quamplurimos, qui ante id tempus à suo prædecessore erant statuti & approbati in Concilio Helsinburgi. Anno 1426. Holsati Fimbriam receperunt.

Anno 1426. Ericus Rex Danorum obsedit castrum Gottorp: & ciuitatem Slesuicensem. Quod ciuitates Hansiaticæ omnes agrè ferentes, congregatione facta die vna & hora Regi per literas mandant de pace facienda. Quibus lectis omnes qui castrum obsederant, vallo quod fecerat, relicto, obsidionem solueruut.

Anno 1427. Henricus vam See contulit Thesaurariam cuidam Canonico Nicolao. Idem pecuniolam aliquam dedit pro memoria sua in Hackstede viginti nimirum marcas.

Anno 1428. VVilhelmus Dux ope & præsidio Holsatorum vicit oppidum Apenrade & castrum Burlund cœpit.

***

CA-

CAPVT XXII.

Christopherus Tertius *Bauarus & Palatinus Rheni, Iohannis Filius, Ruberti Imperatoris N. Erici Regis de Sophia Sororius, Rex Daniæ 93. Anno C. 1439. Norvvegiæ Anno 1442. & Suecia Anno 1441. à multis annis collectos Thesauros ex Suecia in Daniam exportaturus, tempestate exorta in mari amisit, in ipso belli apparatu contra Lubecenses, obijt absque liberis & hæredibus Helsingburgi. Anno C. 1440 Roschildæ sepultus.*

Vulgus iners docuit Niclaus cognomine Vulfus
Postea tecta parem non habuere sacra.
Largitur templis & egenis plurima dona
Vt pius inde habeat, quo sua damna leuet.

ANno 1429. Nicolaus Wulfius Episcop. Slesuicensis exortus est. Rendesburgi natus. Patrem habuit Hennikonem Wulfium, & Matrem Grethain ex ciuium ordine procreatos. Dominica Quasimodogeniti Romæ consecratus fuit, sedente Martino Pontifice Maximo. In profesto Corporis Christi in oppidum *Slesuicum* introductus, ab Illustrissimis Principibus Adolpho & Gerhardo magnificè & splendidè receptus fuit. Episcopatui quadraginta quinque annos præfuit. Quibus elapsis, successori suo Helrico cessit, postq; illam cessionem ac resignationem annos adhuc septem superstes vixit. Nicolaus, etsi parentibus tenuioris sortis ac fortunæ natus esset, nihilominus tamē de Ecclesia *Slesuicensi* optimè meritus est, vt quam ipse insigniter locupletauit & auxit. Episcopus autem per liberam resigna-

resignationem Henrici vam See factus est. Anno 1430 Episcopatum Slesuicensem ab Hēningo Meinstorpio, cui is à Ducibus Slesuicensibus pignori oppositus erat, redemit nongentis octoginta marcis Lubecensibus: (*vide de hac re quæ folio 65. in libro Suaueſtadiano reperiuntur*) ipse quoq; quamplurimos colonos & emphyteutas emit, & Episcopatui adiunxit. Ecclesiæ bona & possessiones acerrimè defendit, & pro priuilegijs Ecclesiæ apud Reges Daniæ, & Duces Slesuicenses, tanquam pro aris ac focis strenuè pugnauit, eorumq; patrocinium suscepit. Mille marcas Viuens legauit & distribuit. 300. Lectori Theologiæ Ecclesiæ Hadersleuiensis: Centum Lectoribus Euangeliorum & Epistolarum eiusdem Ecclesiæ: Centum Scholasticis ad panes, qui Summæ Missæ interſunt: Centum marcas panibus Canonicorum: Centū *Hospitali Beatæ Gertrudis Hadersleuiæ*: Centum panibus Vicariorum Slesuici: Centum Iuuenibus, qui in ambitu templi canerent Psalmum Dauidis, cuius initium est: *De profundis*: Centum Marcas Pauperibus Slesuicensibus: Triginta Balneis Pauperum: Centum Hospitali vel Xenodochio Pauperum *Ekerenuorde*, quod Nicolaus Episcopus fundauit, & postquam conflagrasset, denuò à fundamentis erexit, noua domo extructa: quinquaginta insuper Marcas legauit ad celebrationem *Festi Diui Anſvveri*, cuius vitam supra descripsimus. Lecturam præterea Slesuicensem fundauit Nicolaus, vt ex literis super ea re confectis colligitur: Curiam quoque Episcopalem magnificentissimam & splendidissimam Slesuici ædificauit, quæ ad Exitum quoq; perducta fuit, vt ex inscriptione constat. Quin & *Hadersleuij* curiam ædificauit Episcopalem & Xenodochia *Rendesburgi* & *Ekerenuordæ*, vt Paulo ante notauimus. Anno 1434 Nicolaus permutat bona & rus

in *Ramstede*, possessionibus in *Popholdt*, & alijs colonis cum Duce Adolpho. Nicolaus quoque Episcopus anno 1469. dedit ex Bulla Pontificis quibusdam attentè & accuratè legentibus, Primam, Tertiam, Sextam & Nonam debitè & orantibus pro qualibet hora eiusmodi, centum dies Indulgentiarum. Vnde colligitur, Pontificem detestatum esse modum horas recitandi cursoriè & sine deuotione & attentione. Frater quoque Nicolai Episcopi, non minus liberalem ac munificum erga Ecclesiam & pauperes se præstitit atque exhibuit, donaque multa largitus est Xenodochio Slesuicensi: de quibus extant literæ in archiuis pauperum: quorum summa hic inserenda, & in quos vsus conuersa sint, explicandum. Conradus Conradi dedit 500. marcas Choralibus, & 50. marcas fratris sui filio Timmoni Cordes, & filio sororis suæ Teden Gripes: Hic Nicolaus Episcopus interfuit quoque Inaugurationi & Vnctioni Regis Christophori, quæ *Ripis* facta est, Anno 1443. die Circumcisionis: vt ex literis sequentibus, quarum exemplum subijcimus, colligitur.

In nomine Domini Amen. Anno à natiuitate Domini, Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo tertio, indictione Secunda, ipso die Circumcisionis Domini, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Nostri, Domini Felicis Papæ, Quinti, anno eius tertio, in nostrorum Notariorum Publicorum, testiumque infra scriptorum præsentia personaliter constitutus, Reuendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Nicolaus Episcopus Slesuicensis nos Notarios tempore, quoad statim in Choro Ecclesiæ *Ripensis* per Reuerendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum Iohannem Archiepisco-

piscopum Lundensem & Episcopos Prouinciæ Lundensis ibidem congregatos inungi & coronari deberet, Sereniſſimus Princeps & Dominus, Dominus Christophorus, Daciæ, Suediæ, & Norvvegiæ, &c. Rex, ac Bauariæ Dux, Comesque Palatinus Rheni, instanter requisiuit, vt super Iuramento per dictum Dominum Christophorum Regem statim eo tempore præstando, ad cautelam futurorum, sibi vnum vel plura conficeremus vel conficere faceremus publicum vel publica instrumentum vel instrumenta. Paulo post descendit dictus Dominus Iohannes Archiepiscopus, cum suis suffraganeis præsentibus, in Archiuario Ecclesiæ Ripensis, in qua dicta deposito facta extitit, & eundem Dominum Christophorum in Archiregem Regni Daniæ consecrauit & inunxit, eodem Rege in Cathedra Regali in ostio occidentali eiusdem Chori præparata, regaliq; Corona ornato, Dalmatica ac Chorali Cappa induto, ac Magnificis Principibus ac Dominis, Wilhelmo Brunsvvicensi, Adolpho Slesuicensi, Waltmaro Slesiense, ac Friderico Bauariæ Ducibus, alijsque officialibus ac militibus suis sibi solenniter astantibus, accessit ad eum memoratus Reuerendissimus Dominus Iohannes Archiepiscopus, suique suffraganei infra scripti sibi associati, omnes Pontificalibus solenniter induti. Idem Dominus Iohannes Archiepiscopus, quandam papiri cedulam iuramentum infra scripti tenoris in se continentem, prædicto Domino Christophoro Regi ad manus tradidit: qui Dominus Rex ad statim Iuramentum in cedula contentum præstitit, ipsam cedulam de verbo ad verbum legens. Qua lecta manum dextram ad librum, quem præfatus Dominus Archiepiscopus in manibus suis ante

dictum Regem apertum tenuit, manus suas præfatum iuramentum solenniter, vt apparuit, iurando posuit. Quo facto Chorus Te Deum Laudamus, alta & solenni voce intonauit. Tenor iuramenti cedulæ, de qua supra fit mentio, de verbo ad verbum sequitur, & est talis. *Christophorus profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, deinceps legem & Iustitiam, Pacemq; Sanctæ Ecclesiæ, populoq; mihi subiecto pro posse & nosse, facere & seruare, saluo condigno nude Dei respectu, sicut cum concilio fidelium meorum melius potero inuenire. Pontificibus quoq; Ecclesiarum Domini, condignum & Canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesijs collata & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare. Abbatibus, Comitibus, & Vasallis meis congruum honorem secundum Concilium fidelium meorum præstare. Atque hæc omnia super hæc sacrosancta Euangelia tacta, me veraciter obseruaturum iuro.* In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsens publicum instrumentum, vt præmittitur, requisiti per me Iacobum Peternellen Notarium publicum infra scriptum, exinde confecimus. Datum & actum, anno, die, hora, locis, & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Honorabilibus Dominis, Ludero Lundt Canonico Slesuicensi: & Ottone Dracken Canonico Hadersleuiensi, ad præmissa rogati & requisiti, ac Reuerendissimis ac Reuerendis in Christo patribus ac Dominis, Domino Iohanne Archiepiscopo prædicto, ac Christierno, Ripensis, Arusiensis, Ottoniensis, Weiburgensis, Burglanensis Ecclesiarum Episcopis ac dictis Principibus, Prælatis, militibus, alijsque plurimis ad hunc tamen actum non requisitis. Subscripserunt Notarij duo Iacobus Peternelle Lubecensis, & Theodoricus Hastede Clericus Werdensis.

Anno

Anno 1431. Adolphus & Gerhardus Vrbem Flensburgensem ceperunt Vespera Palmarum: arcem autem die AEgidij expugnarunt. Anno 1435. Adolphus Dux Slesuici & Comes Holsatiæ & Stormariæ, &c. Priuilegia Canonicorum confirmant. Anno 1436. Mare rursus inundauit oras illas Frisonicas exundatione maxima quæ die omnium Sanctorum extitit. In Tentembulla 280. homines in vndis perierunt. Consul Tonningensis Authe Detleff vir admodum pius ac deuotus, dum mulierem in aquis natantem extrahere conatur, & in vas vel vannum maximum sese immisisset, impetu aquarum in mare abripitur, & inter natandum manibus in cœlum erectis omnibus valedicit. Tandem singulari ac admirando Diuini Numinis auxilio, maxima ac turbulenta tempestate, fluctibus ac vndis sæui ac procellosi maris diu iactatus ac agitatus, in Insulã Dithmarsiæ Busen tandẽ defertur saluusq; ac incolumis euadit, & multis post annis superstes fuit.

Anno 1440. Dominica post Pascha, Homagium præstitit Adolphus Dux Slesuicensis & Comes Holsatiæ Christophero Regi Daniæ, cum Ducatum Slesuicensem ab eo in feudum reciperet. Christophorus omnia, quæ ad Ducatum pertinebant, & à Regina Margareta olim ipsi & fratribus adempta & auulsa erant, restituit, vt vsque ad Pontem Koldingensem Ducatui imperaret. Dux autem Adolphus vt erga egenos & pauperes se liberalem ac beneficum ostenderet, emit Villam Rauenholt, eamque legauit ac donauit pauperibus in Xenodochio Spiritus sancti degentibus Anno C. 1448.

Anno 1441. Concilium Basilienſe imperat & concedit indulgentias omnibus, qui structuræ Slesuicensi subuenirent, quod Templum Diui Petri conflagrasset, igne fortuito funditus quoad tectum, ita vt muri ruinam minarentur & collaberentur. Anno 1447. Tota penitus Ciuitas Slesuicensis conflagrauit.

Anno 1450. Absolutum fuit & completum latus australe Templi Slesuicensis. Nam etsi ante id tempus, Templum in

formam Crucis ædificatum fuit, tamen latus vtrumq; non habuit, sed fuit vnus tantummodo transitus vel testudo, vbi nunc tres sunt. Et hæc vera esse, indicio sunt fenestræ, quæ adhuc conspiciuntur ad Aquilonem, non longè ab Organo vetusto iam destructo, & in plaga Australi adhuc reliquiæ extant: vnde colligitur, fenestras etiam ibi affixas fuisse: Summa. Templum initio eiusmodi fuit, quale id est, quod Kotzenbullæ & Lusappel extat, hoc est, in formam Crucis extructum, ita & templum Corbeiense forma Crucis ædificatum est. Hinc constat. ante annos 140. plus minus, latus illud quod Austrum spectat, absolutum fuisse. Anno 1450. Dominus Siuerdus Seestede interemit Nicolaum Schinkel & alium quendam, cuius nomen obliteratum est in Templo, capella vulgò dicto. Cuius cædis expiandæ ac luendæ causa 400. marcarum prouentus annuos legauit & contulit, ad celebrandam Diuæ Virginis Mariæ memoriam: sacerdotes qui prouentibus illis fruebantur, qui quotidie preces sacras recitarent, & cantilenas psalmosq; canerent Mariani dicti fuerunt: adhuc iuuenis memini, me horis matutinis illos cantantes audiuisse. Anno 1455 Calixtus Papa mandauit, vt campanæ meridie pulsarentur, vt ijs homines excitarentur ad precandum & orandum contra Turcam. Dux Adolphus vt erga egenos se liberalem ac beneficium ostenderet, emit Villam Rauenholtum, eamque legauit & donauit pauperibus in Xenodochio sancti Spiritus degentibus Anno 1448.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HISTO-

HISTORIÆ SLESVIcensis LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

CHRISTIANVS I. *Cognomine Diues Rex Daniæ* 94. *An. Christi* 1449. *Norvvegiæ Anno Christi* 1450. *& Sueciæ post Carolum profugum cum ærario regni Anno Christi* 1457 *: quæ tamen paulò post Anno Christi* 1469. *ab ipso desciuit. Dux Slesuici & Holsatiæ, &c. Natus anno Christi* 1426. *Holsatiæ Comitatum per pactum & liberam cessionem ad se delatum Anno* 1460. *in Ducatum transmutari, vt & Dithmarsiæ Feudum in peregrinatione Romana à Friderico Tertio Imperatore obtinuit Anno Christi* 1474: *nec non Ducatus Slesuicensis in Adolpho expirans Feudum, cum Regno Daniæ consolidauit. Academiam Hafnienſem fundauit Anno Christi* 1478. Viduam *Christophori Regis Daniæ* Dorotheam, *Marchionis Brandeburgici Hans (cuius frater Albertus Achilles Germanicus cognominatus) filiam in vxorem duxit Anno Christi* 1450. *quæ obijt Anno Christi* 1495. *Ille autem rebus humanis excessit Anno Christi* 1481. 21. *Maij. Roschildiæ sepultus.* Liberi *huic fuerunt* Fridericus *Rex Daniæ &c. (de quo postea)* Margareta *Iacobo Tertio Regi Scotiæ nupta Anno Christi* 1469. Olaus *natus Anno Christi* 1449. *qui mox expirauit, Roschildiæ sepultus, &* Iohannes *Rex Daniæ. &c. (de quo postea)*

ERIC'o Danorum Rege vitæ huius munere perfuncto, cum absque liberis ac hæredibus discessisset, Proceres ac Senatores Regni Daniæ, Adolpho Duci Slesuicensi, Regni Daniæ Vasallo, vnanimi consensu, Regni imperium ac administrationem deferunt. Qui ex vna parte, Regni onera ac molestias, ex altera parte virium suarum imbecillitatem, ingraueſcentisque iam ætatis tædium ac difficultatem secum expendens, sceptrum imperij delatum honestè & modestè deprecatur ac abnuit. Vt autem nihilominus honestæ eorum petitioni ac desiderio aliquo modo satisfaceret, ac Regno Daniæ, Capite ac Gubernatore iam destituto ac orbato, optimũ Regẽ prouideret ac circumspiceret, sororis suæ Hedvvigis, ac Theodori Comitis Oldenburgensis filium à se educatum, Christianum, cuius ingenium ac indolem, eximiasque ac præclaras virtutes iamdudum satis cognitas ac perspectas habebat, de meliori nota illis commendauit & prædicauit. Huius itaque Adolphi commendatione, nec non Heroicarum ac præstantissimarum Christiani virtutum, Animi celsitudinis, rerum gerendarum peritiæ ac experientiæ, seueritatis morum ac disciplinæ, cum summa animi moderatione ac clementia coniunctæ consideratione ac intuitu commoti, præfatum *Christianum Oldenburgensem & Delmenhorstæ Comitem*, vnanimi suffragiorum consensu Regem crearunt & elegerunt. Qui simul ac Regni honore ac munere est potitus, initio statim suæ dominationis talem se præstitit, vt & Adolphi commendationi, & omnium spei & expectationi abundè satisfaceret ac responderet. Nam insignem se esse CHRISTIANVM & Nomine & reipsa clarissimè demonstrauit.

Chri-

Christum enim, cui primum Nomen in Baptismo dedit, toto corde & anima dilexit, eiusque in his terris Vicarium, Romanum Pontificem, cui animarum salus & Ecclesiarum gubernatio à Christo commissa, nec non Episcopos Regni debito honore ac veneratione est prosecutus: Ecclesiæ multa benè fecit, vitamque vero Christiano dignam, ac tanta Maiestate decoram in his terris transegit. Cumq; vita Christianorum ita comparatum sit, vt quamdiu in his terris militemus, cuiusuis generis cruci, calamitatibus, aduersitatibus, bello ac turbis obnoxij simus, eandem quoque sortem ac fortunam Rex Christianus abundè expertus est. Coronam Sueciæ, fœdere ac pacto Reginæ Margaretæ ætate sancito ac confirmato, sibi debitam, cum summo labore ac difficultate est adeptus, multis ex Suecis Exterorum Dominationem ac Principatum iampridem pertęsis, eam ipsi summoperè inuidentibus, dubiamq; ac ambiguam facientibus, Carolo quoq; Canuti filio eã affectante ac ambiente. Varijs ac multiplicibus huiusmodi impedimentis ac difficultatibus interuenientibus, summo opere ac labore Coronam adeptus est. Qua tandem obtenta, ægrius adhuc longeq; difficilius illi fuit, eandem retinere ac conseruare, Suecis subindè rebellantibus, quos bello subigere ac compescere, necessitate, inuita quamuis voluntate, coactus fuit. Ita Christiani huius Regnum ac imperium maxima ex parte valdè turbulentum ac inquietum fuit. Quas tamen molestias ac turbas quetus admodum, tranquillus, & optatus exitus tandem excepit ac consecutus est: ita vt tandem bellorum pertæsus, totum se pietatis studio deuouerit & consecrauerit, cuius amore ac desiderio Christianus Rex tantoperè flagrauit: vt anno 1474. longum ac difficile iter Romam versus, Summi Pon-

tificis Romani, Sixti IV. Vicarij Christi & Capitis Ecclesiæ, ante suum ex hac vita discessum visendi ac colloquendi gratia, læto ac hilari animo susceperit ac confecerit. Quò cum ventum, à prædicto D. Pontifice honorificentissimè exceptus & habitus, rosaq; aurea donatus ac decoratus fuit. Roma vlterius in Terram Sanctam pietatis ac deuotionis studio proficisci decreuerat, sed consilium certis ac vrgentibus de causis postea mutauit, & Romæ hospitale vel Xenodochium sancti Spiritus in Saxonia non procul à Palatio & Ecclesia Diui Petri ædificauit. In itinere autem Romam versus, Christianus Primus simul quoq; Fridericum tertium Imperatorem, Rotenburgi tunc temporis commorantem, insalutatum præterire noluit, à quo summo honore perquam honorificentissimè exceptus, nouaq; insuper Dignitate, ac Priuilegiorum donatione, auctus ac ornatus fuit. Dithmarsicam enim Gentem, hactenus rebellem, seditiosam, libertate gaudentem, nulliusque ferè Imperium ac Iurisdictionem agnoscentem, eius imperio ac potestati omnimodò ac plenariè subiecit, Holsatiæ quoq; nec non Stormariæ & Dithmarsiæ Comitatum, nouo Ducatus titulo ac honore donauit ac decorauit: literisq; solennibus hanc donationem sanciuit & confirmauit. Atque ita Rex Christianus vtroque Capite Ecclesiæ & Mundi, peramanter ac honorificè in itinere ac peregrinatione sua Romam versus, inuiso ac salutato, saluus ac incolumis domum reuertitur.

De his Reuerendus Pater, Abrahamus Bzouius in Continuatione Annal. Ecclesiast. Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Cæsaris Baronij. S. R. E. Cardinalis *&c.* in Ann. 1474. sic inquit: *Venit eodem anno ad Festa Paschatis Romam Christiernus Rex Dacarum. Eum summis honoribus Cardinales exceperunt. Turba omnis*

Curia-

Curialis egressa est ei obuiam: Patres ad portam congressi medium illum per Vrbem ad Basilicam S. Petri, inde ad Pontificem perduxerunt, iuri dicundo tunc publicè præsidentem. Religio summa in summo Rege enituit. Procubuit in genua ante illius pedes, nec ante se eleuari est passus, quam sermonibus suis esset responsum. Redunti in cubiculum Sixto, exeuntiq; ad Diuina sacræ Hebdomadæ dierum, gremialia eius semper portauit. Lauanti manus peluim sustinuit. Inter duos primos Cardinales sessum receptus, non prius sedere, nec prius tegi voluit, quam vtrumque ab vtroq; factum esset &c. Papiensem alterum ex duobus illi assidentem rogari per Interpretem fecit, vt paterentur post omnes Cardinales ad osculum crucis eum ascendere. Erat enim hæc dies Parasceue: cum ille rogaret cur ita deposceret. Vt habeatur inquit iustus honos summo Senatui. Plura huiusmodi illo solo triduo sacrosancto ab eo præstita Apostolicæ sedi, in quibus Trium Magnorum Regnorum Rex, à Septentrionibus veniens, Italis & reliquis, quo animo esse in summum Sacerdotium debeant, exemplo suo edocuit. Papiens. epist. 556. Hæc ibi.

Huius quoq; Christiani primi Regis Daniæ tempore, Ducatus Holsatiæ, sine vlla contentione, bellicis motibus, ac sanguinis profusione Anno 1460. Regno Daniæ annexus & subiectus fuit. Idque longè antè, cura Adolphi adhuc in viuis existentis, ac de hoc negocio cum Nobilitate, cæterisque Holsatiæ ordinibus agitantis ac transigentis, ita decretum ac constitutum erat, qui suo consilio author fuit, vt se è viuis sublato, Christianum Daniæ Regem, cui (vt nonnullis placet,) Ducatus Slesuicensis veluti directo Domino, ex iure Feudi competeret, pro Holsatiæ etiã Domino reciperent ac cognoscerent, suamq; hac de re voluntatem ac consensum literis publicis ac solennibus firmarent ac profiterentur. Peperit hæc res

initio

initio nonnihil dissidij, animorumq; diuortij, præcipuè inter Nobiles Holsatiæ: quibusdam Comitum Schovvenburgensium partibus studentibus: nonnullis è contrario Regi fauentibus ac patrocinantibus. Ex parte Schovvenburgensium, qui interceſſerunt electioni Regis, fuit imprimis Henricus Pogvvisch cum suis consortibus: qui tam iure agnationis, quam fœderum ac pactorum inter illos initorum ratione ac firmitate, Ducatum Holsatiæ ad Comites Schovvenburgenses, tanquam proximos masculæ ac virilis stirpis agnatos, ac sexto gradu à communi stipite distantes, iure meritoque pertinere existimabant. Vrgebant præterea transactiones & pacta, olim vtrinque inita, sancita, ac confirmata, quibus, post Adolphi Wagriæ Domini postremi beatum ex hac vita discessum, inter agnatos Nicolaum Comitem Holsatiæ, & ex Fratre Nepotes, Gerhardum Ducem Slesuicensem, Albertum & Henricum Fratres, Henrici Ferrei filios ab vna, & Ottonem Comitem Schovvenburgensem, & Adolphum, ac Wilhelmum, ab altera parte ita conuentum & transactum: vt Ottoni & ipsius filijs, non solum omnia sua prædia, ædificia, ac possessiones, quæ in & circa vrbem Schovvburgensem haberent ac possiderent, ac Insulas Albi adiacentes, & Billæ pratum, & Nilandiam ad Albim, & Curiam Adolphi Wagriæ ex aduersum cœmiterij D. Nicolai, in vrbe Hamburgensi sitam, & 8000. marcas Holsati legant ac relinquunt, verum insuper se inuicem ad mutuam vnionem, defensionem, suiac hæredum successionem, in suis Ditionibus, ac bonis Feudalibus non alienandis, firmiter obligant ac deuinciunt.

Contra vero Nobilissima & Vetustissima Rantzouianorum familia, *è qua tunc temporis vixit Dethleuus*

Ran-

Rantzovv Dominus in Neuersdorp, Ecclesiæ Lubecensis Canonicus, qui Kalend. Febr. anno 1465. obiens, cum Patre suo Henrico milite anno 1464. 5. Martij defuncto, Lubecæ in summa æde sepultus est, è qua Generosissima ac Antiquissima familia adhuc præter alios nobilissimos Viros eiusdem familiæ superest Dethleuus Rantzovv Eques, propter Generis Nobilitatem, personæ grauitatem, officij Authoritatem, rerumq; gerendarum vsum & experientiam totius Nobilitatis Holsaticæ illustre Decus ac Patriæ ornamentum, Regis Daniæ Christiani IV. Consiliarius, & Præfectus in Steinborg, &c.) in publicum consulentes, Regis partes defendendas suscipiunt, secumq; expendunt, quod nimirum hæc intima ac arctissima vtriusque Ducatus Slesuicensis & Holsatiæ cum potentissimo Regno Daniæ Vnio & coniunctio, & Regno & Ducatibus firmam ac constantem pacem & concordiam, clientibus quoque & subditis maxima commoda summamq; vtilitatem allatura esset: ex aduersum autem magno cum periculo ac detrimento vnius ab altero auulsionem ac separationem coniunctam esse: simulque sibi in memoriam reuocant, quam grauissimorum ac acerrimorum bellorum, hæc diuulsio ac separatio, olim causa ac fomes extiterit. Quibus incommodis hac vna via præueniri posse existimabant, vt Regnum Daniæ ac Ducatus Holsatiæ, quæ hactenus diuulsa ac separata fuerant, amicè consociarentur atque vnirentur: atque vnius Imperio subiecta, vnius capite, consilio, ac iudicio gubernarentur ac administrarentur. His rebus itaq; diu multumq; vtrinque agitatis, tandem interuenientе arbitrio ac moderatione Arnolphi Episcopi Lubecensis, requisitis simul & adhibitis vicinarum Vrbium Lubecæ & Hamburgi legatis, *Oldesloi* conuentus instituitur, ibidemque post longam ac diutinam deliberationem totum hoc negotium inter partes dissi-

dissidentes ita placidè & amicè compositum ac transactum fuit: vt Otto Comes Schovvenburgensis, quoniam ita saluti & incolumitati Regni ac Ducatuum expedire videret, spontè ac voluntariè omni iure suo, quod in Ducatu Holsatiæ sese habere existimaret, omninò cederet, ac Regi traderet ac concederet: Rex vicissim pro huiusmodi liberrima ac spontanea iuris ac Priuilegiorum cessione, syngraphum de 41500. aureis Rhenensibus certis terminis persoluendis manu sua subscriptum, sigilloque Regio munitum ac confirmatum iterum traderet. Id quod vtrinque factum: Cessionisque literas Solennes, ac renunciationis omnis Iuris ac Priuilegiorum in Ducatu Holsatiæ super hoc negocio confectas, Otto Comes Schovvenburgensis cum filijs subscribunt, Sigillorumq; appensione confirmant.

Rebus hisce ita compositis, tandem Anno 1460. post mortem Adolphi, Dani & Holsati Fidem ac Iusiurandum Christiano Primo Regi Danorum dederunt, quibus vicissim Christianus Primus, antiqua Iura, Priuilegia, Statuta ac Consuetudines literis solennibus confirmat, & inter cætera sanctè promittit. *Nunquam se inscijs ac inconsultis vtriusq; Prouinciæ proceribus ac statibus arma capturum, aut expeditionem quòquam susceptarum esse: singulis quoque annis, stato tempore, adhibitis in consilium Proceribus, ac constitutis Consiliariis se comitia habiturum ac indicturum esse, in Holsatia* Bornhouedæ, *in Ducatu vero Slesuicensi* Vrnehouedæ: *vbi causæ Nobilium, reliquaq; negocia, salutem ac incolumitatem harum regionum spectantia, cognosci ac tractari debeant: Feuda, officiaq; publica tam Ecclesiastica quam Politica Nulli Exterorum aut Alienigenarum, sed eorum Præfecturam ac administrationem solis Incolis ac Indigenis se daturum ac commissurum esse, solo tamen Cancellario & scribi-*

bis exceptis: nullos Præfectos ac Satrapas se arcibus suis præfecturum aut dimissurum esse, nisi Procerum & Consiliariorum Prouincialium consilio ac consensu. Regem peregrè abeuntem Episcopo Slesuicensi ac Lubecensi, & quinis ex Ducatu Slesuicensi & Holsatia delectis, publicam omnium rerum curam ac administrationem commissurum esse, qui eius vicem obeant. Neque coniugi suæ, nec vllis exteris aut incolis, nisi consentiente ac approbante Senatorum consilio, vlla prædia, bona, ac facultates daturum aut concessurum: Nullam monetam aut monetæ pretium statuturum aliud, quam Lubecæ ac Hamburgi vsurparetur aut reciperetur: si Regi, illiusue posteris vnus tantummodo filius superstes fuerit, qui Rex Daniæ futurus: tunc Holsatiæ ac Slesuicensibus Proceribus ac incolis integrum ac liberum permitti, illum Ducem Slesuicensem & Comitem Holsatiæ eligere. Electus omnes hosce articulos & Priuilegia à Christiano concessa sancita & confirmata, ipse etiam de integro confirmare, augere, & Iurisiurandi Religione se illa integra ac inuiolata conseruaturum, spondebit ac sancte pollicebitur, idq; policeri tenebitur. Quod si facere recusauerit, liberum illis erit & permissum, alium ex proximis illius Agnatis Dominum eligere & creare. Hos articulos ita literis consignatos Rex Christianus pro se ac successoribus Kiloniæ obsignauit.

Hic Christianus primus confirmauit quoque Priuilegia Episcopis Slesuicensibus data Anno 1460. vt ex literis super ea re confectis patet.

Placet hic subijcere Epitaphium Dethleui Rantzovv, quod vetustate corruptum Henricus Rantzovv Regius in Holsatia Legatus instaurauit. Anno Domini 1575. ætatis 50.

Ordinis est sacri Dethleuus adeptus honorem,
Qui sua de Canonum nomina iure tenet.
Quà colitur pulcra templum Cathedrale Lubecæ,
Quaq; frequens largas ara ministrat opes.

Hic

Hic sua tranquillæ traduxerat ocia vitæ,
Consilio præstans, ingenijq; bonis.
Sæua trucis genitor tractauerat arma Gradiui,
Henricus celebri nomine vectus Eques.
Cum Patre iam dormit socia Dethleuus in vrna,
Qua sacra Baptismi sacra replentur aqua.

CAPVT II.

A sene Niclao fasces deposcere cœpit
Cum mitra Helricus, flamen vt esse queat.
Omnia huic æqua spondens se lance daturum,
Fluxa senem cogit postea flere fides.

HAc tempestate Anno 1477. Vir Nobilissimus Helricus von der Wisch / Episcopus Slesuicensis creatus ac designatus est, (*ex qua Nobilißima ac Antiquißima in Holsatia Familia* von der Wisch / *præter alios strenuos ac insignes Viros eiusdem Generis ac Familiæ adhuc in viuis supereſt, Georgius* von der Wisch *Vir magni Consilij, ac rerum gerendarum peritißimus : Illustrißimi Principis Slesuici & Holsatiæ, &c. Domini Friderici, Domini mei Clementißimi Consiliarius summus atque intimus, Præfectus Aulæ ac Diœcesis Gottorpiensis, vnus ex reliquis meis olim Parœcis Viris Nobiliſsimis ac Strenuis, Aulæ Officialibus ac Ministris, mei ante hac, & vt spero de hinc amantißimus, & me meisq; præclarè meritus : cui vicißim, vt & omnibus conterraneis meis dilectißimis, exemplo popularis nostri Episcopi huius Slesuicensis Helrici* von der Wisch / *hominis Antiqua Religione ac Holsatica Fide, itidem antiquæ ac auitæ Religionis ardens studium ac desiderium, Spiritus*

sancti

sancti illuminationem, ac eiusdem gratia ac auxilio veram ac synceram Diuinæ veritatis cognitionem, rectam fidem, & per eam æternam beatitudinem ex animo precor atque exopto,) idq; ex libera resignatione Domini Nicolai Wulfij, qui propter senectutem eo se munere abdicarat: certis tamen conditionibus: inter quas vna hæc erat, vt quotannis Nicolao pensionis nomine certam pecuniæ summam solueret, vnde se alere ac sustentare posset, quam integram etiam septennium fideliter dependit ac persoluit. Nam totidem annos Nicolaus à cessione Episcopatus, adhuc in viuis fuit. Hic Episcopus Helricus von der Wisch aliquot annos inseruierat Christiano Primo, & Regi Ioanni, quorum præsidio ac patrocinio Episcopatum Slesuicensem adeptus erat. Postquam autem Episcopus factus, septem mille marcas fœnori accepit, & Episcopatum oppignorauit & obærauit, quem paulo ante Nicolaus, omni ære alieno, quo obstrictus erat, liberasset, omnia nomina quæ Ecclesia debebat, soluẽdo. Inter alia autem bona, etiam Decimæ in præfectura Tunderensi, pignori oppositæ fuerunt. Etsi autem Helricus eo nomine culpandus esse videatur: interim tamen de Capitulo benè meritus est, vt cuius consilio ac opera, Capitulum prædia, villas, ac rura in Hesel consecutum est & adeptum. Nam hoc negotium vnicè ipsi cordi fuit, ipsoq; Authore feliciter confectum. Qua de causa & eius memoria nobis sancta & consecrata esse debet.

Anno 1474. Sixtus Pontifex, literis datis ad Helricum Episcopum, seuerè mandat, vt à duobus vel tribus Episcopis accersitis, munus consecrationis recipiat, & iuramentum Fidelitatis præstet ea forma, quam illi Pontifex præscribit. Exemplum literarum subijcimus. *Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto*

filio Elrico, electo Slesuicensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nos pridem Ecclesiæ Slesuicensis, Pastoris regimine destitutæ, de Persona tua nobis & Fratribus nostris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio, authoritate Apostolica duxerimus prouidendum, præficiendo te illi in Episcopum & Pastorem, prout in nostris indè confectis literis plenius continetur. Nos igitur ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, fauorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, vt quocunque malueris Catholico Antistite, Gratiam & communionem Apostolicæ sedis habente, accitis, & in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis, similem gratiam & communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, vt recepto prius per eum nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine à te fidelitatis debitæ solito iuramento, iuxta formam præsentibus annotatam, munus prædictum impendere liberè tibi possit, plenam authoritatem concedimus, earundem præsentium tenore facultatem. Volumus autem, & authoritate prædicta statuimus, & decernimus, quod si non recepto à te per ipsum Episcopum dicto iuramento, idem Episcopus munus ipsum tibi iniurare, & in illud suscipere præsumpserit, dictus Antistes à Pontificali officij exercitio, & tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum nostrarum suspensi sitis eo ipso. Præterea volumus ad formam huiusmodi à te nunc præstiti iuramenti nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes literas tuo sigillo obsignatas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Quodq; per hoc Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Lundensi, cui præfata Ecclesia Metropolico iure subesse dignoscitur, nullum imposterum præiudicium generetur. Forma autem iuramenti, quod præstabis, hæc est. Ego Clericus Electus Slesuicensis ab hac hora in antea fide-

fidelis & obediens ero B. Petro, Sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro, Domino Sixto Papæ IV. suisq; successoribus Canonicè intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant aut membrũ, seu capiantur, aut in eos violẽtæ manus quomodolibet ingerantur, seu iniuriæ aliquæ inferantur, quouis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sint per se, aut nuncios, seu literas, ad eorum damnũ me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & Regalia S. Petri adiutor ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem. Legatũ Sedis Apostolicæ in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo: Iura, Honores, & Priuilegia, & Authoritatẽ Romanæ Ecclesiæ Domini nostri Papæ & Successorum prædictorũ conseruare, defendere, amare & promouere curabo. Nec ero in consilio, vel in facto, seu in tractatu, in quibus contra ipsum Dominũ nostrũ, vel eandem Roman. Ecclesiam aliqua sinistra vel præiudicialia, Personarũ, Iuris, Honoris, Status & Potestatis eorum machinentur: & si talia à quibuscunq; tractari nouero vel procurari, impediã hoc pro posse, & quantòcius potero commodè significabo eidem Domino nostro vel alteri, ad quẽ possit ad ipsius notitiam peruenire. Romanorũ S. Patrum Decreta, Ordinationes, Sentẽtias, Dispositiones, Reseruationes, Prouisiones, & Mandata Apostolica totis viribus obseruabo, & faciã ab alijs obseruari. Hæreticos, Schismaticos, & Rebelles Dn. nostro vel successorib. pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniã, nisi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Apostolorũ limina, Romana curia existente, circa singulis annis, vltra vero montes singulis biennijs per meipsum visitabo. Et si post primam visitationem personaliter factã,

aliquo legitimo impedimento præpeditus, personaliter venire non potero, per aliquem fidum nuncium de gremio meæ Ecclesiæ, aut alium in dignitate constitutum, seu alias personatum habentem, & de statu Ecclesiæ bene instructum, qui vice mea, Apostolico conspectui se præsentare, & de legitimo impedimento huiusmodi saltem per iuramentum legitimum, fidem facere teneatur. Id autem implebo. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes, non vendam, neque donabo, neque impignorabo, vel de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Pontifice Romano. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Tertiodecimo Maij. Pontificatus nostri anno Tertio.

Ex his colligitur primò, Pontificem Ecclesiæ Slesuicensi Episcopum prouidisse, & Helricum huic muneri destinasse: idque, vt fertur, de consilio Regis & Ducis vt paulò ante notauimus. Deinde Slesuicensem Episcopum Romano Pontifici, fidem & iusiurandum dedisse, eiq; obstrictum fuisse. Iuramenti capita multa sunt, sed vnum memorabile & notatu dignum, quod Episcopus iuratus promittit, se nihil quicquam de bonis, aut prædijs Ecclesiasticis alienaturum, ne quidem consentiente Capitulo, sine Pontificis ratihabitione & consensu. Quod si semper obseruatum fuisset, minus laboraremus, & Episcopatum auctiorem haberemus.

Hic itaque Helricus Episcopus pensionarius sedit annos septem (nam totidem Nicolaus vixit postquam cessisset Episcopatu) & annis septem liber, vt pensionem nullam solueret. Tandem autem Lubecæ

è viuis-

è viuis excessit Anno 1488. Decimo nono Aprilis, die Sabbati. Slesuici sepultus die S. Georgij. Quamuis sepulchrum aut lapis nullus, quod sciam, extet, eius nomine insignitus. In choro tamen Cathedra Episcopalis ex calce conflata, eius insignia continet, lupis nimirum insignita, vt verisimile sit, eam eius iussu confectam & adornatam esse; sed & fenestræ quædam in Choro extant, quas ille conficiendas curauit.

Anno 1461. *Hamburgenses Homagium Regi Christiano præstare recusabant: quamuis obedientiam & submissionem promitterent. Anno* 1471. *die Trium Regum mare inundauit maximè Frisiam & Dithmarsiam ruptis aggeribus. In Dithmarsia ad Aquilonem damnum maximum datum est. Anno* 1476. *emit Capitulum Slesuicense prædium Hacksted ense, vna cum rure à Metta Soesteden de Buckhauen. Bona illa maioris & carius æstimata & empta fuerunt, quam prouentus annui ferre, & coloni soluere possent. Qua de causa multum de annuis pensionibus Capitulo remissum fuit. Anno* 1480. *Christianus cum Dithmarsis agere & tractare cœpit, vt sese dederent, quod eos Imperator Fridericus Regi Daniæ subiecisset.*

CAPVT III.

IOANNES *Christiani primi filius Rex Daniæ* 95. *Norvvegiæ Anno Christi* 1483. *& Sueciæ Anno Christi* 1497. *Natus Anno C.* 1455. *Licet Meldorpium in Dithmarsia expugnauerit, postea tamen superatus multis desideratis, vtpote duobus Comitibus Oldenburgensibus, Ottone & Adolpho, 67. Nobilibus & aliis, vix vitam ipsemet seruauit Anno Christi* 1500. 17. *Februarij. Vxor* CHRISTINA, *filia Ernesti Electoris Saxonici, nupta Anno Christi* 1478.

nata Anno 1461. *mortua Anno* 1521. *à Suecis deficientibus, Vrbe Stockholm occupata, retenta post biennium tandem liberatur Anno* 1503. *quam iniuriam vlturus Rex, varia prælia contra eosdem instituit: sed negocio infecto. Obyt Alburgæ in Iutia Anno Christi* 1513. *Ætatis* 58. *sepultus Ottoniæ.* Liberi *huic fuerunt* ELISABETHA *nata Anno Christi* 1483. *Ioachimo Secundo Brandeburgensi, Annæ Friderici Primi coniugis Fratri nupta Anno Christi* 1501. FRANCISCVS *natus Anno Christi* 1497. *in adolescentia mortuus.* CHRISTIERNVS *Rex Daniæ* 96. &c. *(de quo postea.)*

DEfuncto Regi CHRISTIANO, Filius eius Ioannes in Regni Daniæ administratione ac Imperio succedit, indole, ingenio, moribus, veræ pietatis, Catholicæq; Fidei ac Religionis propagandæ ac defendendæ amore ac desiderio, nec non animi fortitudine, iustitia ac clementia, parenti non multum dissimilis. Qui in ipso Regni sui auspicio, nihil hac cura sibi prius ac antiquius habuit, quam vt insignem, verèq; auream ac Regiam Coronam, ex ternis Amplissimorum ac Potentissimorum Regnorum Daniæ, Norvvegiæ, & Sueciæ foliis ac floribus præclarè splendideque contextam, eiusdemque fœderis, societatis, pacis ac concordiæ, firmissimo vinculo vnitam ac colligatam, integram, saluam, virentem ac florentem retineret & ad posteritatem transmitteret. Obtentis ex animi sui sententia Regnorum Daniæ ac Norvvegiæ fascibus regalibus, Regia Sueciæ quoque insignia, publicis Calmarniæ indictis Comitijs, post longam deliberationem vnanimi Procerum consensu fuit consecutus. Tam insigni ac ampla honoris ac dignitatis Corona ornatus ac decoratus, simul quoq; nouorum

uorum ac recentium onerum ac laborum quasi thalassia in summo illo Celsitudinis fastigio, vndiq; circundatus fuit: Suecis ab vna parte iterum rebellantibus, Imperijq; Coronam antea impositam vicissim capiti eius detrahere annitentibus: ex altera parte Dithmarsis præfractè ac contumaciter iterum resistentibus, debitamque obedientiam ac obsequium præstare recusantibus ac detrectantibus. Harum itaque duarum rerum quam maximè cura ac sollicitudine afficiebatur, vt & Suecos inobedientes ac factiosos in ordinem cogeret, Coronæq; iterum subijceret, & Dithmarsos contumaces ac refractarios compesceret, atq; sub iugum mitteret. Vtrumq; bello experiri necessitate coactus fuit. Quanquam rei euentus, belliq; exitus laudabili eius conatui ac proposito non omninò ex voto responderit. Nam Suecos oppugnaturus, dum copias vndique cogeret ac conscriberet, infelici admodum fato contigit, vt vrbs Regni Sueciæ primaria ac amplissima *Stockholmum* à *Stenone* obsidione cingeretur, cui etiam post durissimam biennij obsidionem inopia rei frumentariæ sese dedere coacta fuit. Qua deditione facta, simul infeliciter admodum atque inauspicatò contigit, vt Regina quoque Dorothea, Regis Ioannis coniux, quæ tunc temporis grauida partuique vicina, Rege marito absente, in ista vrbe commoraretur, à *Stenone* simul capta, & biennium captiua illic detenta fuerit. Quamuis postea Raimundi Legati Summi Pontificis, & Lubecensium interuentu ac transactione, consentientibus ac hortantibus quoque ipsis Suecis, iterum in Daniam missa, ac Regi coniugi suo, à cuius complexu ac consuetudine tanto temporis spatio cum summo mœrore ac animi ægritudine auulsa fuisset, iterum reddita ac restituta fuerit. Quæ

postquam in Daniam reuersa, atque è grauissima illa captiuitate in libertatem restituta esset, peculiare quoddam votum piè susceptit ac præstitit pro tam insigni beneficio ac liberatione Deo gratias actura: ac duo magnifica ac splendida Monasteriâ in Dei gloriam ac sui memoriam, vnum *Hafniæ*, alterum *Ottoniæ*, in vsum Sacrarum Virginum ac Monialium *Sanctæ Claræ* consecrata, magnis sumptibus ac impensis extrui & ædificari curauit.

Exantlato hoc periculo, non minora quoque mala ac incommoda in Expeditione contra Dithmarsos Rex expertus est: dum optimis ac iustissimis belli causis confisus, insignem stragem edere: subditosq; rebelles, ac contumaces vi ac armis ad obsequium cogere animum induxisset, præter omnem spem & expectationem contigit, vt commissis inter se præliis, summa clade fuerit affectus, magnamq; ac ingentem copiarum tam Equitum quam peditum fecerit iacturam ac detrimentum, vt quos ipse vicere ac subigere decreuisset, isto prælio victores ac superiores euaderent. Quæ tamen inopinata ac insperata Dithmarsiorum victoria, non tam eorum virtuti, animiq; magnitudini, ac rerum bellicarum ac militarium peritiæ, quam terræ ac regioni eorum natura loci admodum munitæ, (quippe quæ in solo palustri ac lacunoso sita & propter viarum angustias ac fossarum multitudinem difficilem vndique habet accessum) accepta ferenda est.

Atq; ita pius ac optimus hic Rex Ioannes, æquam ac parem ferè, vitæ ac fortunæ sortem cum parente suo Christiano, Augustissimæ ac Laudatissimæ Memoriæ in his terris subijt, exemploque sui parentis, summam felicitatem maxima cum aduersitate coniunctam, summum honorem maximo labore ac

onere

onere temperatum sustinuit ac expertus est. Quæ tamen omnia, prout sese res dederunt, fortiter ac patienter tulit. Victus sæpius fuit corpore, non animo, atque ita Victus, vt etiam ipsi aduersi casus illi maiori fuerint honori, quã hostibus ac perduellibus Victoria: Tandem assiduis bellorum turbis ac molestijs fractus ac debilitatus, ad pietatis studia ac opera animum omnino appulit, atque ad Dei gloriam, suæque pietatis ac deuotionis memoriam æterno ac perẽni quodam monumento posteritati prodendam ac consecrandam, tria *Monasteria Franciscanorum* Ordini dicata ac consecrata, Vnum *Coagij*, Alterum *Malmogiæ*, Tertium *Helmstadij* in Dania erigi ac ædificari iussit: Academiam quoque *Hafnienſem* à Parente fundatam ac institutam, nouis subinde muneribus, beneficijs, annuisque reditibus ac prouentibus Regia munificentia ac liberalitate magnificè ac liberaliter auxit & locupletauit, Viros vnidiquè locorum Doctissimos ac celeberrimos ampliſſimis stipendijs euocauit atque accersiuit: in Pauperum quoque ac egenorum alimẽta ac sustentationem, multa benignè contulit ac erogauit. Quę insignia ac laudabilia pietatis ac misericordiæ opera, benigniſſimus Deus præter alia, felici & exoptato ex hac vita discessu, cuius horam ac momentum animus antea illi præsagiuit, oculisque quasi præuidit ac prædixit, largiter ac abundè compensauit ac remuneratus est. Corpus eius mortuum *Fioniã* translatum, illicque *Ottoniæ* in Cœnobio *Franciscanorum sepultum fuit. Anno* 1484 *Iohannes Rex Daniæ, Suetiæ, Norvvegiæ, & Fridericus eius frater Dux Slesuici & Holsatiæ confirmant priuilegia Canonicorum Slesuicensium.*

Aduena Egerdus erat, sed clarus Episcopus olim,
Cogitur idcirco plurima ferre mala.

Dum Romam repetit, Vidua est Ecclesia longo
Tempore, tunc hostis tristia damna dedit.

Mortuo Helrico Episcopo, Innocentius Octauus Pontifex Romanus Episcopatum Slesuicensem Eggerdo confert. Hic Sacellanus Pontificis & auditor in Iudicio Rotæ, Romæ fuerat aliquot annos. Nam ita more antiquo & laudabili consuetudine in Ecclesia receptum erat, vt Pontifices pro ea, quam in omnes Christiani nominis Ecclesias, diuinitus sibi concessam obtinebant, authoritate ac potestate, in Episcoporum defunctorum locum, pro suo arbitrio alios surrogarent etiam non electos, idque ratione sui muneris ac vigilantiæ: ne Ecclesiæ viduatæ Episcopis & Pastoribus detrimenti aliquid acciperent. Canonici autem Slesuicenses Nicolaus Iunge, Leuo Leuonis, Theodoricus Engelen, & Iacobus Semmelbecker, Emvvaldum Souenbroderum Episcopum suis suffragijs elegerant, eiq; Castrum *Suauestedianum* cum omni iurisdictione, villis ac colonis tradiderant. Quibus cognitis Alexander Pontifex, Innocentio mortuo, cum electoribus Canonicis expostulat, & excommunicationis pœnam denunciat, ni pareant, & Episcopo Eggardo castrum vnà cum omnibus bonis in manus tradant, eique de omnibus damnis & iniuriis satisfaciant. Hæc inciderunt in Annum Domini 1492. Cuius summi Pontificis authoritati ac imperio prædictus Emvvaldus Souenbroder humilitet cessit, seque morigerum & obsequentem præbuit: atque ita abdicato à se Episcopatus munere ac officio, Egardo eius administrationem ac dignitatem concessit ac resignauit.

Sententia autem Excommunicationis ab Alexandro Pontifice lata, his verbis conceptá fuit.

Cum quidam perditionis filij, Emvvaldus Souenbroder Præpo-

Præpositus eiusdem Ecclesiæ pro electo Slesuuicensi, & qui præfatum Emvvaldum in Episcopum Slesuuicensem quanquam de facto elegerunt, quique & Emvvaldus præfatus, quoddam Castrum Suaueſtede *nuncupatum, cum omnibus iuribus, colonis &c. temeritate sua propria sibi vsurpauerunt, & ad manus Laicorum alienauerunt, Nicolaus Iunge, Leuo Leuonis. Theodoricus Engelen. Iacobus Semmelbecker pro Canonicis dictæ Ecclesiæ se gerentes, præfatum Eggardum Episcopum ad possessionem regiminis & administrationis ac bonorum eiusdem Ecclesiæ admittere, & sibi vt Episcopo Slesuuicensi obedire recusarent, ipseque Emvvaldus se pro electo Slesuuicensi gerere, & electores præfati etiam post prædictam eiusdem prædecessoris prouisionem, eidem Emvvaldo tanquam electo & adhærere & obedire, &c. Mandamus itaque, ac castrum cum iuribus, iurisdictionibus illaque nunc recuperare, & præfatum Eggardum pro Episcopo admittere, & nequaquam impedire aut molestare. Nisi fecerint, Magistro Felino de Sanders huic suo Capellano Innocentius mandauit, vt feriat omnes Excommunicationis pœna, interdictum Ecclesiasticum ponat, & inuocet brachium seculare, ac omnes alios Philippum* van dem Broke/ *qui etiam dictæ electioni interfuerunt. &c.*

Eggardus itaque cognomento Durkoep, ab Innocentio Octauo Romano Pontifice Episcopus Slesuicensis Electus ac constitutus, (vt supra indicatum) Slesvici introductus fuit Anno 1493. die Sancti Matthiæ, sed quod Exterus & à summo Pontifice contra Canonicorum præcipuorum voluntatem Episcopus designatus esset, in multorum odium ac inuidiam incurrit. Vbi autem Emvvaldus Souenbroder Episcopatu cedere coactus esset, Rex Daniæ Iohannes, & Dux Slesuicensis ad Alexandrum Sextum Pontificem Romanum literas dederunt, quibus ipsi priora sua beneficia ac priuilegia à Romana

mana Ecclesia sibi benignè concessa in memoriam reuocarunt, nimirum nominationem personæ idoneæ ad Ecclesiam Slesuicensem, quo tempore vacat, esse suam, nec non dilecti filij Capituli dictæ Ecclesiæ, ad quos etiam electio futuri Episcopi de iure & antiqua consuetudine, singulariqúe priuilegio Apostolico spectare dicatur. Ideoque se iniuria affectos, vt quibus inconsultis ac inscijs, Episcopus in demortui locum suffectus sit, & à Pontificis prouisione designatus. Sed quia Eggerdus ex auditoribus causarum sacri Palatij esset, & à Pontifice summopere commendatus, ei hac in parte refragari noluerunt, sed placidè acquieuerunt, eiusque voluntati ac imperio morem gesserunt. Tandem verò Summus Pontifex Alexander negotiũ hoc ita sapienter temperauit ac moderatus est, vt priuilegio à Principibus allegato locum daret, & decerneret, per prouisionem & præfectionem prædictam Iohanni Regi & pro tempore existenti Duci, nec non Capitulo præfatis, iuriqúe seu consuetudini nominãdi per Ducem, & eligendi per Capitulum, huiusmodi occurrente vacatione, etiam apud sedem Apostolicam præiudicari non debere. Facta hæc sunt Anno Domini 1494. Vbi Alexander Papa, propter instructionem factam apud se & Cardinales consensit, vt inposterum denominatio Episcopi sit apud Regem & Ducem Slesuicensem, Electio autem Capituli.

Eggerdus itaque, postquam Episcopatum adeptus esset, statuta Synodalia & Prouincialia Clericis & Sacerdotibus tulit & dedit, & inter alia, matrimonia clandestina prohibuit, eaque palam contrahi voluit. Focarias ac concubinas, ne alerent Sacerdotes, vetuit. Cum primum rem diuinam faceret Eggerdus, tantus vndique hominum concursus factus est ex omnibus locis propinquis ac finitimis, vt Templum licet ampliſſi-

plissimum ac latissimum omnes non caperet. Tandē vero cum Episcopus Eggerdus pacis ac quietis amantissimus, multis se exosum ac inuisum esse videret, & vndequaq; oppugnaretur, Romam demum, vbi annum vnum in Diœcesi Slesuicensi commoratus erat, redijt. Quo tempore Episcopatus Pastore, qui illic sederet, possessionemque ac domicilium Slesuici haberet, totum quinquennium orbatus ac destitutus fuit. Hisce turbis & tumultibus causam dedisse vidētur & feruntur Canonici, qui Emvvaldum Sovenbroder elegerant, & arcem vel castrum *Suavestedianum* Iohanni Rantzouio de Nienhusen, (vt inde vsuras eius pecuniæ, quā ipse fœnori Episcopo dederat, quotannis caperet) tradiderant, fortem ac acerrimum hac ratione ei aduersarium concitantes, cum quo perpetuò litigaret ac contenderet. Iohannes autem Rantzouius arci *Suauestedio* quinque, vel vt alij existimant, septem annos præfuit, eamque pro vsuris 2000 tantùm marcarum quotannis inde percipiendis, tenuit. Ad solutionem quoque vsurarum & arcis sustentationem, omnes ei decimas concesserant dicti Canonici, quas & quotannis percipiebat. Vnde eum 10000 marcas lucratum ferunt: sunt, qui narrant, se ex ipsius ore audiuisse, quod pro insigni lucro ac emolumento, quod inde retulisset, Episcopatui multum se debere, atque eo nomine ingentes illi gratias agere, dixerit ac apertè professus fuerit. Eggerdus, quò castrū *Suauestedianum* in suam potestatem redigeret, ea de re apud Regem Iohannem grauiter questus est. Rex Anno 1494 *Nienburgo* literas ad Iohannem Rantzouium dedit, seuereque mandauit, vt de omnibus prouentibus annuisque reditibus Episcopo rationes redderet. Quod & Iohannes se facturum recepit, literis ea de re ad Regem datis. Anno 1495. Interim tamen

res

res ad exitum perduci non potuit. Nam tantùm abest, vt rationes redditæ sint, vt Episcopus ea re maiores adhuc sibi inimicitias conflaret. Quibus de causis Eggerdus, qui satius putaret Romam redire, quam in perpetuis rixis & contentionibus, magno cum vitæ discrimine viuere, Romam sese recepit. In itinere ad alia incommoda hoc accessit, quod quidam Nobilis Bockhold. qui illi semper inimicissimus & aduersatus fuisset, non procul ab vrbe Roma Episcopum supplantaret, hoc est, obiecto pede ad casum impelleret, & pro delectamento & deridiculo haberet. Cuius rei indignitate commotus, & bili suffusus Eggerdus, ei, qui illum obiecto pede ad casum impulisset, vulnus inflixit, quo Bockholdus extinctus fuit. Post id factũ Episcopus Romæ mansit, neque vnquam in Ducatum reuersus est. Testamentum condidit Eggerdus, quo inter alia testatur, Iohannem Rantzouium possediss Castrum Suauestedianum sex annos & prouẽtus annuos fructusque omnes percepisse, eoq; nomine Episcopatui debere 12000 marcas. Eggerdus quod Castro Suauestediano eiusque fructibus & prouentibus careret, fœnori accepit 700. marcas à quodam Henrico van der Lucht. Cumq; videret sibi tuto commorandi locum in Diœcesi nullum reliquum esse, Romæ manere decreuit, vbi & tandem Anno 1499. die 6. Nouemb. ex hac vita migrauit & ibidem sepultus est. *Eodem anno Egardus Emit Molendinum soldorpiense per officialem Diœcesis Slesuicensis, Henricum Mindensem. Literæ emptionis extant in libro Suavestadiano fol. 67.*

***

CA-

CAPVT IV.

EGGERDO Episcopo mortuo, Alexander Pontifex Episcopatum Slesuicensem confert Iohanni de Castro, Episcopo Agrigentino Titulo Sanctæ Priscæ, Presbytero, Cardinali, consentientibus fratribus eius. De Electione facta Cardinales Canonicos Slesuicenses, per literas certiores fecerunt, quarum exemplum hic sequitur.

Miseratione diuina, Episcopi, Presbyteri, Diaconi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Venerabilibus Viris, Capitulo Ecclesiæ Slesuicensis, sinceram in Christo charitatem. Nuper Ecclesiæ Slesuicensi prædictæ, & certis aliis beneficijs per obitum bonæ memoriæ Egardi Episcopi apud sedem Apostolicam S.N. de optime meritâ persona Reuerendissimi in Christo Patris Domini Iohannis Titulo Sanctæ Priscæ, Presbyteri Cardinalis Agrigentini confratris nostri prouidit. Qui ob summam eius virtutem & singularem bonitatem euectus ad dignitatem Cardinalatus in hac curia, & gratia & authoritate apud omnes plurimum valet. Propterea vos lætari magnoperè debetis, quod pietas Apostolica talem vobis Pastorem deputauerit, vt conseruationi Ecclesiæ & commoditatibus vestris benè consultum esse videatur: Itaque hortamur vos atque etiam rogamus, vt pro communi vtilitate & honore vestro curam adhibeatis, ne fructus, reditus, prouentus & bona Ecclesia prædicta distrahantur, sed ea omnia vestra fide & diligentia, cum possessione ipsius Ecclesiæ procuratori Reuerendissimi Domini Cardinalis confratris nostri, cum isthuc venerit, liberè assignetis. In quo & obedientiam Sanctæ Sedi Apostolicæ & Romano etiam Episcopo vestro (sicut decet) cum laude vestra præstabitis. Collegio autem nostro rem admodum gratam efficietis, Datum Romæ die 8. Nouemb. M. CCCC. LXXXVIII. *Sub signetis nostrorum trium in ordine piorum.*

Vene-

Venerabilibus Viris Canonicis ac Capitulo Ecclesiæ Slesuicensis, amicis nostris charissimis.

Episcopi
Presbyteri } *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.*
Diaconi

Huic à sancta sede Apostolica electo & constituto Ecclesiæ Slesuicensis Episcopo, Cardinali, postea per liberam resignationem, & Episcopatus cessionem ac transactionem, accedente Summi Pontificis Consensu ac Authoritate, successit Detleuus Pogvvisch, hac tamen conditione ac pacto, vt Detleuus prædecessori suo 300. Ducatos quotannis solueret ac penderet. Quam pecuniæ summã etiam Episcopus Detleuus prædicto Cardinali, quoad in viuis fuit, persoluit ac dependit: vt ex literis Leandri de Perusia de hoc negocio 30. Augusti Anno 1502. ad Episcopum Roma datis, perspicuè apparet; idque etiam inde colligitur, quod eodem, quo Detleuus è vita excessit, nimirum anno 1507. die 15. Ianuarij, Episcopus Gotscalcus Detleui successor, pecuniæ summam aliquam, quam adhuc Detleuus eo nomine Romę debebat, exoluit: vt ex apocha, quam subijcimus, liquet. *Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Vniuersitati vestræ notum facimus per præsentes, quod Reuerendus Pater Dominus Gotscalcus Electus Ecclesiæ Slesuicensis, pro totali & integra solutione æris, & trium seruitiorum in quibusdam certis sententijs & pœnis, ratione cessationis, pensionis trecentorum Ducatorum auri de Camera, quam olim Reuerendus Pater Dominus Detleuus ipsius Ecclesiæ Slesuicensis Episcopus, eius prædecessori bonæ memoriæ Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino Iohanni Titulo Sanctæ Priscæ, presbytero Cardinali Agrigentino, super fructibus*

ctibus dictæ Ecclesiæ soluere tenebatur, & extiterat efficaciter obligatus, Cameræ dicti Collegij, nec non familiaribus & Officialibus dictorum Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium florenos auri de camera 50. nobis pro ipsis collegio & familiaribus & officialibus recipientibus, per manus Venerabilis viri Domini Michaelis, Petri die datum, præsentium solui fecerit realiter & cum effectu. De quibus florenis, ita sicut præmittitur, solutis, præfatum Dominum Gotscalcum electum, successores suos, & eorum bona quæcunque, præfati collegij nomine absoluimus, quietamus & liberamus per præsentes In quorum fidem & testimoniū præsentes fieri, & sigilli nostri Camerariatus officij fecimus appensione muniri. Datum Romæ die vltima Iulij Anno à natiuitate Domini M. D. VII. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Iulij. Diuina prouidentia Papæ 2. An. quarto.

Sed vt ad Dethleuum reuertamur. Fuit autem ipse Detleuus electus Anno 1499. die 20. Decemb. Hic ad æs alienum, quod Helricus (nam ante id tempus Episcopatus nullo ære alieno oneratus fuit) contraxerat & fœnori acceperat, accessionem fecit. Nam ad emendum pallium, quod pro more & consuetudine antiqua in Ecclesia recepta, à summo Pontifice redimendum ac comparandum erat, 3000 aureos Rhenenses fœnori accepit. Quemadmodum id testantur literæ in Capitulo Slesuicensi. Huic autem Episcopo Dethleuo Iulius Papa Secundus indulsit, vt dimidium vnius anni redituum, fructuum, & prouentuum darent sacerdotes omnes, pro sua quisque conditione ac facultatibus, quibus æs alienum, quo Episcopus obæratus esset, persolueretur & creditoribus satisfieret.

Hac ætate Anno 1501. Alexander Sextus misit Räimundum Cardinalem, qui omnes oras Aquilonares obiuit, & vltra Iubileum, indulgentias, gratias ac facul-

tates concessit. Idem Raimundus ex mandato Pontificis, super matrimonijs dispensauit, tertio & quarto gradu consanguinitatis & affinitatis contractis, quẽadmodum ostendit exemplar eius dispẽsationis, quod sequitur. *Raimundus miseratione Diuina Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sanctæ Mariæ nouæ Presbyter, Cardinalis Guicensis, ad Vniuersam Germaniam, Daniam, Suetiã, Norvvegiam, Frisiam, Prusiam, omnesq; & singulas illarum prouincias, ciuitates, terras, & loca, etiam sacro Romano imperio in ipsa Germania subiecta ac eis adiacentia, Apostolicæ sedis de latere Legatus Reuerendo in Christo Patri Episcopo Slesuicensi salutem in Domino. Exhibita nobis nuper pro parte petitio continebat, quod nonnullæ pauperes personæ in Diœcesi vestra consistentes, aliquæ scientes, aliquæ verò ignorantes, aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent inuicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de præsenti contraxerunt, inter nonnullos carnali copula & prole, quoad alios autem his minimè subsecutis. Cum vero nunc ad ipsorum dimanauerit notitiam, quod tertio & quarto consanguinitatis & affinitatis gradibus disiunctiuè aut copulatiuè respectiuè se attineant, quodq; inter eos diuortium perpetuum sine grauibus scandalis fieri non possit, dispensatione Apostolica desuper non obtenta. Quare humiliter nobis supplicari feciſtis, quatenus eisdem pauperibus super præmissis de opportuna dispensationis gratia nunc prouidere dignaremur. Nos igitur, qui inter cunctos Christi fideles pacem quærimus, & scandalis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obuiamus, huiusmodi supplicationi inclinati, circumspectioni vestræ, authoritate legationis nostræ & Apostolica, qua per literas specialis facultatis Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Alexandri diuina prouidentia Sexti fungimur, hac in parte committimus & mandamus, quatenus quinquaginta personis, quæ vt perfertur, in tertio & quarto consanguinitatis & affinitatis gradibus*

dibus coniunctiuè vel disiunctiuè contraxerunt, qui pauperes sint, nec ad Romanam curiam vel nos pro dispensatione nuncios mittere possunt: quod impedimentis illis non obstantibus, in contractis matrimonijs remanere, liberè & licitè possint & valeant, eadem Apostolica authoritate dispensans absolutionem his, qui similiter contraxerunt, præuia aliqua separatione cum iuramento solito impenso: dummodo prædictæ mulieres propter hoc ab aliquo non fuerint raptæ, prolem susceptam vel suscipiendam legitimam decernentes. In quarum fidem præsentes literas fieri, sigilliq; nostri iussimus appensione communiri. Datum Lubeck. Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, Tertio Kalend. Maij. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Alexandri diuina prouidentia Papæ anno vndecimo.

Anno 1500. Bellum & Prælium Dithmarsicum vltimo die Mercurij ante Valentini festum commissum est. Eodem an. diebus 14. post Paschæ festum demoliti sunt Dithmarsi & solo æquarunt arcem Tylen, pagūq; igne cremarunt. An. 1501 Latus templi Slesuicensis, quod Aquilonem spectat, absolutū & completum fuit. Fenestræ eius lateris factæ & affixæ fuerunt Anno 1503 vt inscriptio testatur. Anno 1502 Dominica, quam Misericordias Domini vulgò nominant, nuptiæ Ducis Friderici, qui postea Christierno pulso, Rex Daniæ exortus est, in ciuitate Stendelen celebratæ sunt. Episcopus Detleuus Ducem comitatus, ad nuptias profectus est viginti quatuor equis & equitibus. Ministros & pueros amanuenses Damascenis vestibus exornarat & vestierat. Ex eorum numero nobiles octo insignia vel signa gestabant in manicis, Lubecæ confecta, quorum vnumquodq; 50. marcis Lubecensibus constabat. Nam ex auro & gemmis conflata & compacta erant insignia. Sed & Nobiles omnes Vittam auream gestabant, prout moris erat. Omnes autem ministri duplicatis pallijs amicti erant. Tandē Episcopus Detleuus Flēsburgi mortuus est An. 1507 die Veneris, qui fuit decimus quintus Iunij, & Slesuici sepultus.

CAPVT V.

CHRISTIERNVS II. *Iohannis Regis Daniæ filius, Rex Daniæ 96. Norvvegiæ Anno C. 1514. & Sueciæ Anno C.1518 Natus Niburg 2. Iulij Anno 1481. 2. Iulij. Regnis Suetiæ anno 1521. Daniæ, & Norvvegiæ Anno 1523. pulsus, & post decem Exilij annos captus Anno 1532. Sunderburgi custodiæ mancipatus, tandem Kallenburgum translatus Anno 1549. Post diuturna 27. annorum vincula expirauit Anno 1559. Ottoniæ sepultus. Anno 1515* Sororem Caroli Quinti Isabellam vxorem dixit, *quæ defuncta Anno 1525 Gandaui.* Liberi. Maximilianus & Philippus *qui in pueritia obierunt.* Iohannes *qui Steinbruchij apud Carolum Quintum fuit Imperatorem: obijt Anno C.1532:* Dorothea *Friderico Palatino,* & Christina *primum Francisco Sfortiæ, deinde Francisco Lotharingiæ Duci, nuptæ. Obijt hæc Anno C.1580.*

REGE Iohanne vitæ huius munere perfuncto, eius filius Christiernus Rex Daniæ electus ac designatus fuit. Rex, quod ad Catholicam Religionem ac fidem verè Christianissimus, Catholicæque Ecclesiæ filius vnicè dilectissimus & obsequentissimus. Regnis Daniæ & Norvvegiæ Anno 1514. inauguratus, nihil magis sibi curæ habuit, quam vt Suecos sæpius rebellantes, Regnoque Daniæ fasces submittere detrectantes, iterũ subiugare, atque in fide & obsequio firmiter retinere posset. Ad hoc autem tam arduum ac difficile opus conficiendum, cum aliorum quoque auxilio ac præsidio sibi summoperè opus esse videret, è re sua, atq; vsu regni fore arbitratus est, si Maximis ac Potentissimis totius orbis Monarchis ac Dominis Societate ac fœdere coniungeretur: cumque amoris ac beneuolen-

uolentiæ Potentissimorum horum Orbis Dominorũ amicè sibi conciliandæ, firmiterq; retinendæ, nullam cõmodiorem viam ac rationem esse perspiceret, quã Affinitatis vinculo ac coniunctione cum ijs firmiter vniri ac deuinciri: ideo de *Isabella Philippi Archiducis & Hispaniarum Regis filia, Caroli Quinti postea Imperatoris sorore*, in vxorem ducenda, animum inducere cœpit. Cuius voti tandem compos factus, Illustrissimæ huic Reginæ Anno 1515. matrimonio vnitus ac coniunctus fuit. Tantæ itaque, tamque Potentissimæ ac Augustissimæ Familiæ, affinitatis, fœderis, ac Societatis vinculo coniunctus, tamque firmissimis præsidijs ac auxilijs vndiquè munitus ac suffultus, Suecos tandem domare ac coronæ subijcere, consilium cepit. Cumq; fermè omnes Regni Proceres ac subditi, *Stenonis* Regni ac dominationis cupidi ac sitientis impulsu, inter se coniurassent, Regemque Christiernum nunquam pro suo Domino ac Rege sese recepturos ac agnituros esse, vnanimiter constituissent ac decreuissent, solus *Gustauus Regni Sueciæ Archiepiscopus*, syncerus ac integerrimus Præsul, vi conscientiæ ac Religionis adductus, proceribus relictis, contra Christiernum nequaquam conspirare voluit nec potuit. Cumque ob hunc animi sui candorem ac constantiam, quodà Christierni Regis partibus fortiter ac animosè staret, passim Suecorum odium ac inuidiam sibi concitasset, tandem Procerũ furori violenter ac hostiliter ipsum vsquequaque persequententium cedere, atque in arcem quandam Sueciæ firmissimam ac munitissimam, *Stegam* nomine, vitæ ac salutis seruandæ causa, tanquã in asylum quoddam fugere ac se recipere fuit coactus. Eius rei fama cum primum ad Christiernum Daniæ Regem allata esset, non cunctandum sibi ratus, verũ quam potuit ocijssimè classem centũ & viginti nauiũ

instruxit ac armauit, ac in Suecia *Archiepiscopo Gustauo* tam grauiter periclitanti, inq; tantas angustias redacto, subsidio misit. Classe hac eximia, secundis ventis, optimaque tempestate, salua ac incolumi in Sueciam delata, arcem illam munitissimã, Suecorum obsidione cinctam, *Stegam*, tandem per suos cepit: qui *Archiepiscopũ Gustauum* violentis ac sanguinarijs illorũ manibus ereptum, saluum ac illæsum in Daniam secum deduxerunt. Postquam *Stega* discessserunt Sueci, malè feriati, indicto *Stockholmium* conuentu, frequẽter cõueniunt, vniuersique regni Proceres ac Ordines grauissimum edictum confestim condunt ac promulgãt, quo firmiter statuunt ac decernunt, se posthac & in perpetuum præfatum *Archiepiscopum Gustauum* pro hoste, perduelli, ac inimico habituros esse, nunquam se ipsum iterum in gratiam recepturos, neque, quod *Christierni* partibus fauisset, vnqam se illum in pristinũ honoris ac dignitatis gradũ restituturos esse. Præterea quoque vnanimi consensu statutum ac decretum fuit, vt firmissima ac munitissima illa arx *Stega*, quò Archiepiscopus vitæ seruandæ causa confugisset, à fundamentis diruta solo æquaretur, neque vllo vnquam post hac tempore iterum extrueretur ac conderetur. Tandem illud ausi, vt pertinaci ac obfirmato animo firmiter statuerent: etiamsi summus Pontifex Romanus se huic negocio interponeret, ac sua prudentia ac authoritate quicquam statueret ac decerneret, eius quoq; authoritatem, statuta ac decreta nequicquam ponderis ac momenti apud se habitura esse: neq; se eius consilio ac imperio hac in re vlla ratione obsecuturos ac parituros, sed firmiter in suo proposito ac decreto perseueraturos, neq; vllo vitæ ac fortunarũ periculo ac discrimine, sententiam suã mutaturos esse. Deniq; cuiuscunq; etiã criminis ac facinoris

noris, siue violatæ Ecclesiæ obedientiæ, siue læsæ Maiestatis Regni ac imperij, imposterũ rei agerentur, huiusmodi culpã ac pœnam, qualiscunq; illa fuerit, omnibus & singulis ex æquo communẽ fore. Hoc edicto promulgato, Rex *Christiernus Archiepiscopo Suetiæ Gustauo*, tunc tẽporis Exuli ac prõfugo author fuit, consiliumq; dedit, vt negocium hoc ad tribunal superemi Pontificis Romani deferret, eiusq; consiliũ ac iudiciũ in hac causa exquireret ac imploraret. Qui confestim indicto Cardinaliũ Concilio, req; diligenter considerata ac expensa, hanc sententiã tulit. Quandoquidem Sueci malitiosa ac perfida hac sua cõiuratione ab Ecclesiæ vnione ac obediẽtia sese segregauerint, propter hostilẽ ac violentã summi sui præsulis ac Archiepiscopi Gustaui persecutionẽ, nefando ac detestãdo Schismatis crimine se fœdè contaminauerint, iustissima quoque huiusmodi Schismaticis debita ac constituta pœna plectendos ac animaduertendos esse, & primũ capitis supplicio afficiendos, deinde rogo imponẽdos ac comburendos esse. Hac sententia promulgata, Romanus Põtifex, datis ad Christiernũ Regẽ literis, eius executionẽ quã seueriſſimè ei imperauit ac præcepit. Quod & tandẽ efficere coactus fuit. Suecis itaq; tandem à Rege Chrierno bello deuictis ac superatis, vrbeq; *Stockholmio*, cum se diutius aduersus tam validam manũ sustinere ac defendere non posset, dedita ac occupata, tandẽ Suecos in Fidem ac clientelã, prẽstito solenni fidelitatis iuramento, recepit. Sueciæ Rex à prædicto Gustauo Sueciæ Archiepiscopo solennibus ceremonijs, Caroli V. Imperatoris legatis præsentibus, atque solennem hunc actum honorifica donatione ac oblatione aurei Velleris decorantibus, regio suo muneri ac officio consecratus ac inauguratus, post aliquot dies summa festiuitate ac lætitia transactos,

tandem summi Pontificis Romani sententiam ac decretum Executioni mandare, iustitiæ amor & obedientiæ studium ipsum mouit: cõdonataq; promiscuæ plebi ac multitudini iniuriarum ac delictorum offensa, in præcipuos seditionum authores ac turbarum Principes, merita ac condigna, Romani Pontificis decreto cõstituta ac ordinata pœna, seuerè animadvertit. Supplicio hoc de factiosis subditis sumpto, vt omnem iniustitiæ ac tyrannidis suspicionem & culpam Pontifex summus à Rege Christierno remoueret, peculiarem quendam Legatum Iohannem de Potentia Romanæ Sedis Cardinalem in Sueciam ablegauit, qui diligentissimo & accuratissimo omnium eorum, quæ in hoc negocio gesta erant, examine instituto, rebusque omnibus quam curiosissimè ac diligentissimè inquisitis ac perueſtigatis, nihil à Rege quicquam præter ius ac fas in hac causa actum apertissimè pronunciauit. Turbis in Suecia compositis, regno pacato, ac præcipuis seditionum authoribus è medio sublatis, Rex in Daniam iterum reuersus est. Quò cum ventum, non multò post ad Imperatorem Carolũ Quintum affinem, profectionem suscipit, à quo summa pompa, splendore, ac magnificentia quam honorificentissimè exceptus, nouoq; insuper honore ac dignitate auctus ac ornatus fuit, collato nimirum ipsi pleno dominio, iure, ac potestate super *Feudum Holsatiæ*, quod ipse nimirũ imposterũ tanq̃ legitimus Dominus illud conferre, & à se vnicè peti ac impetrari debeat. Dũ itaq; Rex Christiernus peregrè abesset, atq; apud Imperatorẽ degeret, noui subinde tumultus in Regno Sueciæ moti & excitati fuerũt. Quibus imprimis ansã & occasionem præbuit, Gustauus Erici Filius, qui Patre mortuo, ac cum relquis rebellibus capitis supplicio affecto, à Rege Christierno cum alijs nõnullis capti-

captiuis in Daniam abductus, & Erico Equiti Dano, sub denunciatione certæ ac maximæ mulctæ, diligenter ac fideliter custodiæ traditus ac commissus fuit: à quo, cum propter cognationem aliquantò lenius ac indulgentius haberetur, laxioriq; custodia detineretur, tandem nimia libertate ac licentia ipsi permissa, de fuga consilium inire cœpit, nouoq; peregrino ac insolenti bubulci alicuius habitu assumpto, clam è Dania secessit, & Lubecam summis itineribus contendit. Quò cum saluus ac incolumis peruenisset, illisque statum ac conditionem suam aperuisset, confestim, vt in Regem Christiernum animo erant inimicissimo ac infensissimo, eius saluti & incolumitati quam maximè consultum esse cupientes, naui continuo instructa, ipsum in Suetiam transuehendum curant. Vbi cum diu obscurus latuisset, ægerrimeque ac ærumnosè vitam toleraſſet, instar mercenarij cuiusdam, manuum opere ac labore, victum ac amictum sibi comparans, tandem *Darlecarlorum* (hominum generi in Suecia omnium audaciſſimo ac ferociſſimo) societati ac consortio sese adiungit, in quorum notitiam ac consuetudinem cum veniſſet, eorumque amorem ac beneuolentiam sibi conciliasset, tandem coniuratione inter se facta, consilium ceperunt, omnes Regis *Christierni* Præfectos ac Satrapas armata ac violata manu adoriri & impugnare: quibus partim miserè ac crudeliter trucidatis: partim Regno Sueciæ expulsis ac deturbatis, ipsi solùm rerum potiuntur, arma capiunt, exercitumq; colligunt, cui Ericum Ducem ac Imperatorem constituunt. Tandem violentis ac sanguinolentis suis manibus, nec non callidis suis consilijs, ac machinationibus, eò rem perducunt, vt omnes fere proceres ac incolas totius regni in suas partes ac sententiam pertrahant, perfidaq; à Legiti-

mo suo Rege Christierno discessione facta, Gustaui partes sequerentur. In huiusmodi itaque angustijs ac periculo Rex Christiernus constitutus, de copijs vndique cogendis, quibus huiusmodi turbas ac seditiones in Suecia motas ac concitatas iterum sedare ac compescere posset, dispicere ac consultare cœpit, statimque in Holsatiam ad Fridericum Patruum genere ac cognatione sibi proximum summis itineribus contendit, eius opem, consilium, & auxilium petiturus. Quem, cum aliquibus de causis nonnihil alieno à se animo esse perspiceret, auxiliaresque ipsi copias mittere tergiuersaretur, consultum fore existimauit, priusquam aperto Marte Suecos oppugnaret, cum Friderico Patruo suo in gratiam redire, deq; omnibus negocijs ac controuersijs, quæ ipsis intercederent, amicè ac pacificè transigere: vt ita sublatis omnis odij & simultatis causis, firma, constans, ac perpetua pax, animorumq; concordia inter se inuicem iniretur ac confirmaretur. Ad hoc negocium conficiendum, vtriusq; consensu ac arbitrio *Bordesholmij* (quod Monasterium est in Holsatia famosissimum ac celeberrimum,) Anno 1522. conuentus indicitur, vbi adhibitis arbitris ab vtraq; parte delectis ac approbatis, nempe Ioachimo Electore Brandeburgensi Regis sororio, & vxoris Friderici fratre, nec non Alberto Megapolitano, & Henrico Episcopo Raceburgensi, totum hoc negocium transactum, & quicquid inter illos antea litis, controuersiæ, ac dissensionis erat, amicè compositum ac transactum fuit. Dum hæc ita *Bordesholmij* aguntur, omniaque amicè ac pacificè transacta esse Christiernus existimaret, Lubecis aduersantibus, bellumque mouentibus, nouæ quoque in Dania præter omnem spem & expectationem turbæ, ac factiones exortæ sunt, quam tamen omnino tranquillam ac

paca-

pacatam esse Rex Christiernus existimabat: Proceribus Regni ægrè ferentibus & nequaquam permittere volentibus, vt exteri ac peregrini milites, quibus Rex Christiernus Suecos debellaturus esset, in Regnum deducerentur. Hoc enim summum Regno eiusque incolis detrimentum ac incommodum allaturum esse, sibique tandem exitio ac ruinæ fore, animum inducebant. Hisce autem incommodis vt maturè obuiam procederetur, multisque alijs causis ac rationibus adducti, (quas postea publico scripto memoriæ prodiderunt Proceres Iutiæ) de Christierno Rege abdicando, & in eius locum Ducem Fridericum eligendo, consilia ineunt. Quod cum Christiernus comperisset, seque iam in extremas angustias redactum, vndiquè tam externis hostibus, quam proprijs subditis infestari ac oppugnari videret, omni tandem consilio & auxilio desperato, cum nusquam tutum ac tranquillum locum se reperturum existimaret, Iutiaque omnium optima ac ampliſſima Daniæ parte à se auersa, reliquas quoque partes quam facillimè ad defectionem impelli ac commoueri posse sibi persuaderet, nihil quicquam amplius remedij ac consilij superesse vidit, quam vt maturè fugam adornaret, ne postea turbis ac motibus indies ingraueſcentibus, abitu ac discessu prohiberetur. Itaque conuasatis omnibus, classe viginti nauium instructa, regiaque suppellectili illis imposita, cum Fidissima ac Dilectissima sua Coniuge *Isabella* (quæ postea omnium ærumnarum ac miseriarum, nec non durissimi ac grauissimi exilij perpetua ac indiuidua comes ac socia, ei firmiter ac constanter adhæsit, & à Proceribus Regni in Daniam reuocata apertè pronunciauit *Malle se cum viro exulare, quam sine maruto regnare*,) & charissimis liberis

Regnc

Regno exulatum abijt : ac primum nauigatione in Germaniam susceptа, Electorem Brandeburgensem socerum suum conuenit, inde ad Fridericum Saxoniæ Electorem auunculum suum se contulit, tandem *Lyram* Brabantiæ concessit, vbi alimenta ac hospitium Imperator Carolus V. illi benignè præbuit, ac concessit, vbi aliquandiu commoratus copias paulatim collegit, classemque viginti nauium ab Hollandis sibi comparauit, quibus postea in Daniam ad recuperanda sua regna iterum expeditionem suscepit. Vbi primum cum classe *VVarburgum Hollandiæ* appulit, indeq; magna ac turbulenta coorta tempestate, ventorumque vehementia classe dissipata, nonnullisq; nauibus depressis ac submersis, tandem ad *Norvvegiæ* littora delatus est, vbi postea omnibus ripis ac littoribus frigore congelatis, idoneam nactus stationem hyemare decreuit. Quò cum ventum, quam plurimos tam Nobilium quam plebeorum sibi admodum fauentes ac gratiosos reperit, plerique omnes Regni Proceres & Episcopi, opera ac studio *Olai Archiepiscopi Nidrosiensis*, illum iterum pro Rege ac Domino suo receperunt, præstitoq; fidelitatis iuramento, debitum honorem, cultum, & obsequium illi iterum promiserunt. Quibus in fidem receptis, tandem quoque cum præfecto arcis *Aggerhusiæ Magno Guldenstern Equite Dano* de deditione arcis agere & tractare cœpit. Quam rem cum summoperè vrgeret, & de deditione arcis præfatum *Magnum Guldenstern* vehementer ac indesinenter sollicitaret, tandem humili ac demisso animo respondit: se quidem non diffiteri, neque vlla ratione inficias ire posse, ipsum horum trium Regnorum, Daniæ, Suetiæ, & Norvvegiæ Regem legitimè natum, electum ac coronatum esse, neque se satis firmum ac validum esse, vt hyberno hoc tempore arcem

hanc

hanc, si villam oppugnare velit, valida ac armāta manu tueri ac defendere possit: cum autem famæ, vitæ, ac nobilissimæ suæ familiæ summoperè interſit, ne ita temerè ac leuiter, insscio ac inconsulto suo Rege ac Domino, arcem hanc fidei suæ commissam dedat, ideoq; humiliter se rogare & obsecrare, vt hoc negotium tantisper suspendat, dum Regi ac Domino suo Friderico præsentem arcis statum & conditionem literis significet, à quo, nisi ante Kalendas Martij commeatus & auxilia mittantur, quod tamen tam exiguo temporis spatio præstari posse, vix possibile videatur, se vltrò deditionem arcis facturum esse. Quo responso Christiernus contentus, arcis illius obsidione aliquandiu abstinet, & minora interea quædam oppida, *Norvvegiæq;* Prouincias, & munitissimam arcem *Bohus* occupat, sibiq́ue subijcit. Interea *Magnus Gyldenstern*, datis ad Regem literis, rem omnem, vt se habet, exponit, eiusq́ue opem & auxilium summoperè implorat, seq́; non tam annonæ & munitionum penuria, quam exercitatissimorum & veteranorum militum inopia summoperè labotare, literis suis indicat, horum igitur quam ocijssimè copiam sibi fieri, obnixè rogat. Literis hisce per ministrum Francum, Iohanni Rantzouio arcis *Helseburgi* tunc temporis præfecto, traditis ac porrectis, militum aliquot copias quam potest celerrimè ex vicinis & finitimis locis colligit, eosq́ue nauigijs impositos quam velocissimè in *Norvvegiam* transuehi curat. Qui ad *Norvvegiæ* littora delati, nauigijs frigore constrictis egrediuntur, & per occultas quasdam semitas ac viarum anfractus, duce & comite *Franco* in arcem deducuntur. Horum itaque aduentu ac præsidio cum arx bene munita ac firmata esset, magnum quoque commeatus ac frumenti numerum ex vicinis ac finitimis locis, ad

horum

horum alimenta ac sustentationem, Præfectus *Guldenstern* in arcem comportari curat. Rex Christiernus, cum hac spe se frustratum esse videret, arcem illam continuò obsidione cingi iussit, ne quid amplius in illam transferri ac importari possit. Interea Rex Fridericus, imminente æstate, glacieq; soluta, ingentem ac validam nauium classem, quam tam ex suis, quam alijs vicinis ac confœderatis ciuitatibus ac regionibus sibi comparauerat, in *Norvvegiam* transmisit, cui *Canutum Guldenstern* præfecerat. Quæ cum ventis secundis, salua ac incolumis in Suetiam appulisset, primùm arcem illam munitissimam *Stegam* obsidione soluerunt, victoriaque potiti, ipsum *Christiernum* Regem tandem viuum ceperunt atque in *Daniam* secum deduxerunt. Inde continuò *Sunderburgum* translatus ac custodiæ traditus fuit. Ibidemq; postquam integros 27. vixisset, tandem miserrima ac durissima hac seruitute solutus ad cœlestem Patriam commigrauit.

Vt sacra Lutherus temerat Mysteria Christi.
Atque errore, Dei taminat ipse Gregem.
Vltimus his sacrum Godscalcus Præsul in oris
Sustinuit veræ Relligionis opus.

A. C. 1517.

Huius *Christierni* Regis ætate, Episcopus Slesuicensis fuit *Gotscalcus de Aleuelde* Decretorum Doctor, qui ex Præposito & Canonico Slesuicensi Episcopus vnanimi Canonicorum consensu electus est Anno 1507. & à Summo Pontifice confirmatus. Anno vero sequenti hoc est 1508. Lubecæ à Reuerendissimis Patribus D. Ioanne Ratzeburgensi, Wilhelmo Slesuicensi & Petro Suerinensi Episcopis, Episcopus est consecratus de mandato Summi Pontificis. Vir tam Natalium splendore, Nobilitate Generis, quam Pietatis

tatis ac virtutum decore illustris ac conspicuus, Proceræ ac elegantissimæ staturæ, summi Consilij, ac acerrimi iudicij, Popularis noster honorandus, Patriæ nostræ Holsatiæ singulare Decus, & Cancellarius Ducalis, in Iure Ciuili & Canonico multum versatus, quod adhuc eius libri, qui ad manus meas venerunt, testantur. In quibus manum eius singulis penè paginis adscriptam cernere licet. Vnde de insigni eius eruditione summaq; diligentia iudicium fieri potest, atq; existimandi copia datur. Sed & spartam, quam nactus erat, ornauit concionando, rem diuinam faciendo, Ecclesias visitando, librosque sacros & Ecclesiasticos scribendo. Nam *Ritualem Librum*, (quem *Agendam* vulgus nuncupat,) ipse edidit in vsum Ecclesiæ Slesuicensis, simul quoque *Breuiarium* euulgauit, hoc est, librum, in quo lectiones, Psalmi & preces continentur, quibus eo tempore in his oris vtebantur, eumque Parisijs imprimendum curauit typis elegantissimis. Episcopatum opæratum nactus est nempe 24550. marcis, vel vt ipse sua manu testatus est 20000. florenis Rhenensibus. Ad cuius æris dissolutionem, quo quotidie premebatur, prædia & bona in Stubbe vendidit, & alia quædam annotanda. Cui venditioni interceslerunt Canonici, quod illis inscijs & inconsultis ea peracta esset, deq; ea re publicè protestati sunt, postea vero vrgente necessitate, accedente Regis consensu & ratihabitione, firmata fuit & probata, vt ex literis, quæ de ea confectæ sunt & in domo Capitulari, extant colligere licet. Apud omnes quoq; ordines gratiosus fuit Episcopus Gotscalcus, & imprimis apud Regem Daniæ, idq; ex eo colligere licet, quod Anno Millesimo quingentesimo decimo quinto, à Rege Christierno in Belgium Gotscalcus missus fuit, vt ei *Isabellam Sororem Caroli Quinti* in vxorem

rem peteret. Quam & impetrauit. Extatque ea de re oratio Latina, satis elegans & concinna, quam *Gotscalcus* coram Cæsare, alijsque Principibus habuit, quam *D. Arnoldo VVithfeldio* Regni Daniæ Cancellario vtendam ac perlegendam concessi, à cuius hæredibus illa reposcenda erit. Leges quoque sumptuarias tulit Gotscalcus, quibus nuptijs faciendis, sumptibusque, qui ibi fieri solebant nimij ac immodici, conuiuijs item natalitijs, quæ nimis lautè ac magnificè agitari solent, quoties infantes baptismati admouentur, & sacris Christianorum initiantur, regulam ac modum præscribit. (*Anno* 1517. *Episcopus Gotscalcus Monasterium quoque* Reinefelde *à Pontifice impetrat, consentiente Christierno* II. *Rege Daniæ, & Papa confirmante. Episcopo Lubecensi insuper habito & neglecto. Quo anno & Martinus Lutherus indulgentias taxare atque exagitare cœpit.*)

Hic itaque Gotscalcus de Aleuelde fuit vltimus ab Ecclesia Romana & Sede Apostolica Electus & confirmatus Episcopus Slesuicensis, qui quamdiu vixit, Catholicam Religionem ac fidem toto corde ac animo est amplexus, eamque contra omnes hostes ac aduersarios ad extremum vsque Spiritum, fortiter ac animosè defendit, in cuius tandem constanti confessione ac professione piè ac placidè in Christo indormiuit. Cuius pij ac Religiosi Episcopi ætate, insignis ac memorabilis in vtroque Regimine rerum vicissitudo ac mutatio contigit. Nam & eius Rex ac Dominus Clementissimus Christiernus II. Regnorum solio ac imperio pulsus ac deturbatus fuit, & simul cum eo quoq; Christiana & Catholica Religio, à tot Sanctissimis ac Religiosissimis Patribus, primùm introducta ac seminata, tot Summorum Pontificum, Gloriosissimorum Imperatorum, nec non Sereniſsimorum ac

rum ac Illustrissimorum Regum Daniæ, Ducum Holsatiæ ac Slesuicensium, authoritate, summaq; cura ac diligentia, consilio ac præsidio firmiter munita, custodita, ac propagata, tot insignibus miraculis confirmata, capite ac Patrono destituta, ac Rege Christierno exulante ac abdicato, simul quoq; his Regnis ac Nationibus exulare ac abrogari cœpit. Qua nutante ac ruinam minante, noua subito Hæreticorum ac Schismaticorum turba ac colluuies exorta est, qui falsa doctrina ac peruersis dogmatibus, veram & Catholicam Christi in his locis Ecclesiam miserè turbarunt ac afflixerunt, donec tandem omnino extincta ac deleta fuerit. Nam statim Anno 1526. Monachus quidam nomine Fridericus in medium prodijt, qui iam pridem ordinem suum deseruerat, ac cucullam exuerat. Hic postquam ex carcere & vinculis, in quæ ob facinora ac maleficia sua coniectus erat, euasisset, Slesuicum sese recepit: vbi annum commoratus, primùm in summo Templo seu æde Cathedrali Slesuicensi; deinde in ambitu templi conciones ad populum habuit. Quotidie Canonicos & Pontificios calumnijs ac conuitijs virulenta ac petulantissima sua lingua insectabatur, acerrimè in eos inuehendo ac debachando, vt eos plebi omnino exosos redderet. Ei rude ac imperitum vulgus adhæsit tanquam ad saxum, vsque adeò, vt eum sibi pastorem Ecclesiæ omnibus votis deposcerent. Sed quod esset audaculus impudentior, & seditiosus, Regis odium atque offensam incurrit. Idque ex eo datur cognoscere: quod cum Ciues Slesuicenses in arcem ascenderent, Regemque humillimè ac demississimo animo orarent, vt sibi eum pastorem Rex permittere ac concedere vellet, Rex subiratus hisce verbis respondit. Quis Fridericum vobis inuidet ac adimit? Habetote vobis

illum. Attamen quia Rex perspiciebat, è re atque vsu Ciuium non fore, si hominem hunc seditiosum, mendaciloquum, obtrectatorem, nulliusq; pretij ac valoris, pastorem nanciscerentur, ideoq; vt eorum petitioni aliquo pacto satisfaceret, paulo post Slesuicum misit Marquardum Sculdorpium Kiloniensem, qui Conciones ad populum haberet, & Pastoris munia obiret. Hic præfatum Fridericum per semestre secum retinuit, & pro Sacellano vsus est. Sed, quod vsquequaq; sui similis permaneret, & conuiciandi finẽ nullum faceret, tandem abdicatus ac dimissus fuit. Idq; ea imprimis de causa, vt ferunt, quod in Cancellarium Regis Wulfgangum acerrimè inuectus esset, eumque publicè mendacij arguisset. De qua illata iniuria cum Regi questus esset, Fridericus in villa Noui monasterij comprehensus, & sub dio numellis vel lignis detentus fuit. Postea iussu Regis dimissus, Holsatiæ fines egreditur, & paulo post moritur. Is initio concionatus erat, & docuerat, pastorem ostiatim victum quærere debere ad exemplum Apostolorũ, vilissima veste esse amictum, qualẽ ipse gerebat cœrulei panni Lubensis, neq; quicquam præterea desiderare, expetere ac possidere debere. Hæc quidem ore ille exterius proferebat, sed vix anno elapso meliorem sortem ac cõditionem nactus, vestibus sericis sese magnificè ac splendidè exornare cœpit vxoremq; duxit. Ita sibimetipsi nõ constãs, aliud docebat aliudq; factitabat, propterea q; breui in omnium odium ac despectum incurrebat. Deducebatur in summum Templum D. Petri à Ciuibus, Ciuiumq; ministris ipsum comitantibus. Dumq; Sacerdotes & Canonici in Choro cantarent, ipse extra Chorum in Templo Psalmos Germanicos occinit, ita vt vox Canonicorum horas suas Canonicas celebrantium præ magno ac contentissimo clamore

ac

ac vociferatione vix exaudiri potuerit. In templo D. Petri plusculum temporis concionatus est. Sed cum eò audaciæ ac temeritatis prorupisset, vt prædicantem quendã Marquadum Bulovv consulis Slesuicensis filiũ, de suggestu publicè interpellaret, & in cõspectu populi acriter reprehenderet, verbis contumeliosis in illum inuectus, *Mentiris* inquiens ac *Nugaris*; in summum odium apud plerosq; adductus est, ita vt aliquandiu concionandi causa suggestum in templo præ metu ascendere non auderet. Interea non intermittebat data occasione in ambitu templi sermones habere. Vbi cum inter alia subinde has voces inculcaret. *Principi populum obedire debere, sed in rebus ad Religionem spectantibus minimè*; eaque res cum ad seditionem spectare videretur, tandem munere concionandi ipsi interdicto, Marquardus à Principe accersitus & Prædicans designatus fuit.

Anno 1528. Alius quidam exortus est nomine *Melchior Hofman* pellio, quem ipsius Sectatores singularem quendam Prophetam nominabant, à Deo missum ad Occidentalem hanc mundi plagam, vt veritatem Euangelij in illis oris publicaret ac diuulgaret. Is Romam Babylonem appellabat, Argentinam autem Hierosolymam spiritualem. In Holsatiam tandem venit, illicque biennium Kiloniæ commoratus, cœpit publicè ac priuatim, prout occasio tulit, docere, & prædicare, libros etiam edere ac diuulgare. Præcipuè autem de Sacramento certamina & disputationes mouit, statuendo Eucharistiæ Sacramentum nudum tantum esse signum Corporis ac Sanguinis Christi: adiunctis sibi hac in parte duobus collegis ac suffraganeis, *Ioanne de Campen*, & *Iacobo Haggen Dantiscano*. Colloquium tandem *Flensburgi* de consilio ac mandato Regis Friderici, in cuius sese fauorem

& gratiam haud pridem insinuauerat prædictus Hoffmannus, habitum ac institutum fuit. Disputari cœptum est Flensburgi, Anno 1529. die Iouis post Quasimodogeniti, præsente Regis Friderici filio Christiano, alijsque Generosis ac Nobilibus viris, Doctore Reuentlouio, Detleuo Pogvvisch præposito in Reinebeck, Ioanne Rantzouio & alijs proceribus. Ad colloquium autem imprimis accersiti fuerunt Lutherani, Doctor Pomeranus, Dominus Stephanus Pastor Hamburgi ad Diuam Catharinam, & M. Theophilus ludi moderator, Doctor Æpinus & Nicolaus Boen, ex Dithmarsia, vt & alij, quos omnes præfatus Hoffmannus falsos Prophetas nominabat, qui docerent, Christum pani incantationibus includi, ideoque ab ijs cauendum. Collocutores fuerunt Melchior Hoffman, Hermannns Tastius Husensis, & alij Lutherani, qui cum eo in Palestram descenderant, & Hoffmannum oppugnarunt asserentem, Eucharistiæ Sacramentum tantum esse Spiritualem Manducationem, eoq; argumentis & demonstrationibus hominem adegerunt, vt se quidem rationibus ac argumentis conuictum esse non negaret: à concepta tamen opinione nequicquam declinabat. Qua de causa Holsatiæ ditione relegatus, solum vertere coactus fuit, de mandato Regis, ne alios suis erroribus inficeret. Collegæ autem ipsius illa disputatione aliam mentem ac sententiam edocti, ad alteram partem transierunt, & Melchiorem dereliquerunt. Ioannes de Campis, iam intelligo inquit, verba Christi, vt sonant, accipienda & intelligenda esse. Iacobus Hegge; Ego quoque inquit hac collocutione motus iam dubitare desino. Publicè quidem de hoc articulo nunquam sum professus, sed cum fratribus placide conferens, scrupulum mihi mouit, quod Iudas accepisse dicatur Corpus Domi-

ni, cum

ni, cum impij gratiæ Dei minimè ſint participes: non intelligens, aliud eſſe Sacramentum corporis Chriſti accipere, & aliud eius effectum, quæ eſt gratia, conſequi: cum hic effectus per hominis peccatum & obicē poſſit impediri. Quæ ſubtilius ex ſanctis Patribus explicant Theologi. Cum iam cœpta diſputatio finita eſſe videbatur, ecce alius quidā nomine Ioannes Burſe ingreſſus, queritur, quod colloquio non interfuerit: habere ſe quoq; nonnullos dubitationum ſcrupulos, quos libenter ſibi exiuni velit de verbis S. cœnæ. Hoc eſt corpus meum. Witebergenſes aſſerere ac fingere nouas locutiones ac articulos, ſe vero cum Auguſtino ſentire, qui in Homilia quadam, Edite Hoc eſt corpus meum, idem eſſe ac credere explicet: ideoq; ſe non tantum tribuere ac fidere Pomerano quā Auguſtino. Verum ſilentium illi à Principe indictū fuit, & Stephanus Lutheranus reſpondit. Nos quoq; concedimus ac approbamus eſum ſpiritualem: attamen, ſi ſecundum normam Scripturæ, & S. Patrum explicationem ſana mente ac ratione hoc myſterium dignè conſideremus, alia quoque eſt Manducatio corporis Chriſti Sacramentalis: qua Chriſti corpus verè & realiter manducatur, non tamē vt intellexerunt Capharnaitæ, dentibus diſcerpitur, cum Chriſtus indiuiſibiliter ſecundum totā ſuam ſubſtantiā verè ac realiter ſit præſens, vt inquit Auguſt. in ſerm. ad Neophytos. *Hoc accipite in pane, quod pependit in Cruce, Hoc accipite in calice, quod manauit de Chriſti latere.* Atqui verè & realiter Chriſti corpus pependit in cruce, & verus Chriſti ſanguis dimanauit à Chriſti corpore. Ergo verū Chriſti corpus, verusq; eius ſanguis accipitur. Et, vt excludat omnem tropicum loquendi modum S. Auguſt. in Pſ. 33. in illa verba Pſalmi (ferebatur in manibus ſuis) ita inquit: *Quomodo hoc intelligatur in ipſo Dauid ſecundum*

literam, non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipse corpus suum ait. Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. At si Christi corpus sub specie panis non fuisset verè & realiter præsens, non potuisset dicere Christus. Hoc est corpus meum, nec S. August. quod tulisset se suis manibus. Neq; vllibi S. Augustin. dicit, quod, Hoc est corpus meum idem sit, quod credere: sed Serm. 25. in Ioan. dicit. Quid paras dentem aut ventrem, crede & manducasti: vbi vel loquitur de alia manducatione merè spirituali & non Sacramentali, vel etiamsi de Sacramentali agat, ad eam requirit Fidem, qua quis credat, se Christum verè ac indiuisibiliter in Sacramento præsentem comedere; non tamen dentibus conuellere, aut membratim discerpere, vt Capharnaitæ homines Carnales & non Spirituales intelligebant. Finis tandem huic disputationi & colloquio impositus fuit. Adhibiti autem fuerunt huic conuentui, qui singula exciperent, Franciscus Strienius Regiæ Maiestatis Diaconus, Theodoricus Briller Husia vocatus, Ioachimus Franck Vilstrienſis, Ioannes Slauus, Tesmarus Hulebeke, & Ioannes Bennekendorpff Kilonienſis. Carolstadius quoque ab Hoffmanno in Holsatiam vocatus erat, vt sua authoritate ac eruditione aduersarijs metum incuteret, suumq; dogma tueret ac defenderet. Abiturus autem Hoffmannus dixit, propter articulum de Sacramento multum sanguinis humani effusum iri. Argentoratum tandem profectus, scripta, suppresso impressoris nomine, edi ac publicari curauit, in quibus gloriatur, se palmam in Holsatia disputando obtinuisse vbi imprimis in Marquardum Sculdorpium Lutheranum acerrimè inuehitur, qui eum hæreseos insimulauerat, eiusq; opinionem tanquam impiam ac erroneam omnino damnauerat. An-

Anno 1526. dedit Gotscalcus de Aleuelde Episcopus Slesuicensis literas ad Iudicem, Assessoresq; Cameræ, quibus obtendit, quamuis superioribus temporibus ætate Henrici Aucupis & Ottonis terminus Romani Imperij vltra Eidoram fuerit prorogatus ac ampliatus, vt &ex hac historia pag.40.colligitur, mutato tamen iam imperij statu, & antiquato Marchionatu, Episcopatum Slesuicensem non esse subiectum Imperio Romano, sed Regno Daniæ. Quarum exemplum subijcimus.

Amicabile obsequium nostrum, plurimamq; salutem. *Illustres ac Egregij Domini ac amici, licet penitus incogniti, tamen vt spero, præcipui. Deuenit alias saltem incerto autore ad auditū meum, qualiter nuper valuis Ecclesiæ nostræ Cathedralis fuerit affixa quædam litera, Sacratioris Cæsareæ Maiestatis sigillo, vt apparuisset, sigillata, putabaturq; fuisse priuatio Regalium contra nos, ob non solutionem nescio quam. Verum Excellentijs vestris constare petimus, me certè & Ecclesiam meam (heu dolor) nulla prorsus à Sacro Romano imperio tenere Regalia. Vtinam aliqua, quantulacunq; saltem exigua, pro loco refugij à præfato imperio haberemus. Vellemus profecto obuijs (vt aiunt) manibus admodumq; libenter comparere, & firma spe impetrandi absolutionem seu restitutionem sollicitare. Et quod hic Episcopatus sit extra limites Sacri Imperij, & sub Regno Daniæ constitutus, euidens existit. Namq; totaliter & in omnibus & per omnia ab hac parte fluuij Eidoræ, qui fluuius discernit Germaniam à Dacia, teste non modo* Saxone Grammatico in prologo seu præfatione librorum historiarum suarum fol.2.*Verum etiam* Alberto Krantz natione Saxone, in sua Saxonia li.1.c.1. *Taceo* Chronicam Hamburgensem *seu* Bremensem *ibidem attestantem* l.1.c.12. *&c.* Eidora seiungit Diœcesin Bremens.& Slesuicens. *Nã etiam in* Speculo Saxonico libr.3.artic.54. *nominantur*

duo Archiepiscopatus, & quindecim suffraganei Saxoniæ: sed Slesuicensis inter eos non nominatur. Nam à plerisq; centenis annis antea suffuit Archiepiscopo Lundensi in Dacia, & ius, Regalia, à Regno Datiæ dependebant. Præterea Dux Slesuicẽsis, vt à plerisq; accepi, nõ impetitur (petitur) ab Imperio ratione illius Ducatus, sed duntaxat ratione Ducatus Holsatiæ. Et licet inclytus ille Hẽricus de domo Saxonica, Romanus Rex & Cæsar Holsatiam tanquam terram Imperio subiectam defendere volens: qua recuperata progressus in Daniam constitueret Slesuici Marchionem, tamen in morte ipsius Henrici Marchionatus Danorum Slesuici interijt, teste præfato Alberto Crantz. libr. 2. cap. 9. & eiusdem inclyti Hinrici Cæsaris Glorioßimus filius, scilicet Magnus ille Otto Imperator, ad laudabilem propagandam fidem Catholicam etiam fuit ingressus Daniam, prout & pleraque alia Regna, hodie tamen libera: & optimus Princeps zelo Christianitatis passus est Marchionatum antiquari, vt Dani paterentur ibidem erigi Episcopatum, similiter & in Ripen, teste sæpè dicto Crantz. libr. 3. cap. 25. & 26. Et inter ea Slesuicum semper subfuit superioritati Daniæ tam in temporalibus quam spiritualibus, palam & publicè, seruanturq; per laicos in omnibus iudicijs secularibus leges Danicæ, à tanto tempore, citra cuius contrarium non est in memoria hominum. Quod etiam, prout credo, Serenißimus Princeps & Dominus, Dominus Fridericus Rex Daniæ, iam aliàs scripserit Excellentiis vestris, vti vobis promissum fuit. Et quia sunt à non suo iudice latæ, prout mihi in hoc casu videtur, quod bona vestra gratia dixisse cupio, sunt ipso ipso iure nullæ. Attamen licet Episcopatus meus sit in solo Danico constitutus: quia tamen nullius me à parentibus, quam Alemanici sanguinis originem traxisse opinor, ideoq; non libenter certè vellem Imperialibus me diuulgari censuris. Nam quemadmodum tam in Franconia, quam Hispania, & alibi, per vniuersum

orbem

orbem, plerique Almani Epiſcopatibus, ſeu alijs Dominijs & præfecturis funguntur, ſaluis tamen eorundem Epiſcopatuũ, Dominiorum, ſeu præfecturarum, quoad eadem Regna, exceptionibus & libertatibus: Ideoque Excellentiæ veſtræ, rem tanquam abominandam mihi imputarent, ſi contra decentiam, quod procul abſit, Epiſcopatum meum indebitè ſubmitterem. Hinc Excellentias veſtras amicabiliter oratas cupio, quatenus velint præmiſſa maſticari, & à me perſequendo amicabiliter deſiſtere. Regiſtro veſtro vbi forſan Sleſuuigia (Epiſcopatus) annotatus eſt non obſtabo. Vbi enim Excellentijs veſtris inſeruire & complacere poterimus, adhoc amicabiliter offerimus nos, & ſumus ſedulò volentes. Et cupimus nos amicabilibus reſponſum literis veſtris remunerari. Datum Sleſuuigij ex reſidentia noſtra, die Dominica infra dicta, à Natiuitate Beatæ Mariæ ſemper Virginis anno 1526.

Gotſcalcus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Sleſuicenſis.

Inſcriptio literarum hæc eſt.

Generoſis, Nobilibus, & Extellentiſsimis, Domino Adam Comiti, & Domino in Beichling Romanæ Cæſareæ Maieſtatis Cameræ Imperialis Iudici cæteriſq; Dominis præſentibus & aſſeſſoribus, ac Domino procuratori Fiſcali eiuſdem Imperialis Cameræ iudicij Dominis & amicis noſtris præcipuis, &c. An. 1525 Rex Fridericus omnibus mandauit, literis patẽtibus ſuo ſigillo firmatis, vt Decimas ſoluerent Canonicis. Anno 1526 Comitia Kiloniæ habita fuerunt, vbi Canonici Sleſuicenſes 12000 pendere ac ſoluere promiſerunt, ne Religio à Luthero inuenta introduceretur, ſed vt in Veteri Catholica & Apoſtolica Religione ac fide firmiter ac conſtanter permanerent. Anno 1526 Marquardus Sculdorp ſororis ſuæ filiam in vxorem duxit. Quod factum cum Catholici meritò ſummopere deteſtarentur, Lutherus contra Eccleſiæ ſenſum edito

scripto excusauit vt ex Ambsdorfius, Postea vero Anno 1529. Marquardus sudore anglico correptus vitam cum morte commutauit. Anno 1531. Cometa apud Austrum visus est mense Augusto. Anno 1532 Campanæ omnes ex ædibus sacris & templis auferuntur, vna tantummodo relicta & quidem minima. Sed & suppellex omnis aurea & argentea aufertur, vno tantummodo calice relicto: altaria tamen remanent, quod ex lateribus, non auro constarent. Canonici aliquot mille marcas pendere coacti fuerunt, sed & de bonis Capituli diuidendis à Principe mandatum promulgabatur, vt post obitum eorum, qui viuerent, ea in fiscum redigerentur & in arcem referrentur. Cui mandato interceſſerunt Canonici & parêre recusarunt, tandem regia ordinatione his malis mederi cœptum est. Anno 1532 Cometa visus est mense Iulio in illa cœli plaga quæ septentionem spectat. Quo anno Dux Fridericus in fata concessit. Anno 1532. die Lunæ post Festum omnium Sanctorum, mare inundauit oras illas maritimas, quæ sub aggeribus sitæ sunt, exundatione maxima. In Strandia perierunt ad 1600. homines. In Eiderstadia 600. plus minus. Domus vna cum pecoribus diuulsæ & vndis maritimis abreptæ fuerunt. Sed & Romæ eodem anno aquæ maximæ fuerunt, Tyberi agros inundante cum maxima hominum strage ac interitu. Id infortunium Cometa præcessit & denunciauit. Item feræ syluestres, cerui & ceruæ quæ insolito more mare traijcientes In Strandiam appulerunt: indicia mali impendentis.

Episcopus Gotscalcus de Aleuelde, postquam Episcopatum Slesuicensem triginta tres annos administrasset, obijt Bollingstediæ in prædio hæreditario anno 1541. die 27 Ianuarij, in medio Choro sepultus, vt ex lapide eius sepulchro impositio liquet, cuius hæc inscriptio est. Anno 1541. die 25 Ianuarij obijt Reuerendus in Christo Pater & Dominus Gotscalcus de Aleuelde Episcopus Slesuicensis.

CA-

CAPVT VI.

FRIDERICVS I. *Dux Slesuicensis decimus tertius, & Holsatiæ, post Ducatuum factam diuisionem cum fratre Iohanne Rege Daniæ contra Patris testamentum. Natus Anno Christi* 1456. *Post Christiernum reiectum Rex Daniæ* 97. *& Noruuegiæ à Regni Ordinibus electus Anno Christi* 1524. *cuius ætate, abrogata ac antiquata Veteri Catholica Religione ac fide, noua Lutheri doctrina in has regiones introducta fuit. Obijt Gottorpij, & Slesuuigæ in Choro templi Cathedralis sub monumento alabastrino sepultus Anno Christi* 1533. 10 *April.* Liberi *progeniti ex coniugibus: Primum ex* Anna Brandeburgica *Ioachimi Secundi sorore, nupta* 1500. *mortua* 1514. *Bordesholmij sepulta:* 1. Christianus *Tertius Rex Daniæ* 98. *&c.* (*de quo postea*) 2. Dorothea *nata Anno Christi* 1504. *nupta Alberto Quinto Marchioni Brandeburgensi, Duci Borussiæ Anno* 1525. *obijt Anno* 1545. *Ex altera coniuge* Sophia *Pomerani Bugislai Decimi filia, Chilonij mortua, Slesuici sepulta, Liberi:* 1. Iohannes Senior, *Hæres Noruuegiæ, Dux Slesuici & Holsatiæ* 14. *natus Anno* 1521. *Haderslebiæ defunctus ἄγαμος Anno* 1580. 2. *Octobr.* 2. Adolphus *Dux Slesuicensis* 15. *& Holsatiæ, Princeps Magnanimus ac Bellicosus: Natus Anno* 1526. 25. *Ianuarij. In obsidione Metensi Philippo Hispaniarum Regi militauit Anno C.* 1526. *multisq; prælijs strenuè ac animosè se gessit: In Dithmarsico bello lethaliter vulneratus Anno* 1559. *sanitatem recepit. Obijt* 1586. 1 *Octobris Slesuigæ sepultus. Ex* Christina *Philippi Hassiæ Landgrauij filia nupta* 1564. *Liberi.* 1. Fridericus *Dux Slesuici* 16. *& Holsatiæ, natus Gottorpij Anno C.* 1568. 21 *Iunij, florente ætate obijt Anno* 1587. 5 *Iunij Slesuici sepultus.*

2. So-

2. Sophia *Chilonij nata Anno C.* 1569. 13 *Maij. Iohanni Duci Megaloburgensi An.*1588 *nupta,(qui obijt Anno* 1592) Mater Ducum præsentium Megaloburgensium, Adolf, Friderich & Hans Albrecht. 3. Philippus *Dux Slesuicensis* 17 *& Holsatiæ, paternarum virtutum æmulus. Natus Gottorpij* 1570 10 *Augusti: obijt Phtisi anno* 1590. 18 *Octob.* 4. Christina *Chilonij nata Anno C.*1573. 12. *April. Carolo Regi Sueciæ nupta anno C.* 1592. Mater Regis vltimi Sueciæ, Gustaui Adolphi, *(qui post multa bella cum Rege Poloniæ gesta, tandem armata militum manu Regno Sueciæ soluens, atque in Germaniam contra inuictissimum Imperatorem* Ferdinandum 2. *expeditione suscepta, dum multis prælijs cum Cæsareo exercitu acriter dimicasset, tandem Anno* 1632 *in Lipsensi pugna victus atque Cæsus fuit) & eius fratris* Caroli Philippi Ducis Sudermanniæ, *qui & ipse ante aliquot annos obijt, Regno iam Rege ac capite penitus orbato, ac destituto.* 5. Elisabetha *nata anno C.* 1574. 10. *Martij. Obijt anno* 1587. 11 *Ianuarij, anno Ætatis* 14. 6. Anna gemella, *nata anno* 1575. 27 *Februarij, Ennoni Frisiæ Comiti nupta anno* 1598. *Obijt anno* 1615. 7. Iohan Adolff Dux Slesuicensis 18 & Holsatiæ, *natus anno* 1575. 27 *Februarij. Electus Episcopus Bremensis an. C.* 1585. *Nuptias Hafniæ celebrauit cum Illustriss.* Augusta, *Friderici Secundi Regis Daniæ filia anno* 1596. 30. *Augusti. Obijt Anno C.* 1616. 31 *Martij. Slesuici in Æde Cathedrali sepultus (Liberi postea sequentur.) Hic Princeps vt erat literatissimus, atque in omnibus linguis ac scientijs versatissimus, ingenti ac ardenti studiorum amore ac desiderio, quo flagrabat, instructissimam ac locupletissimam cuiusuis generis, in omnibus linguis, artibus, scientijs ac facultatibus, libris ac monumentis refertissimam Bibliothecam,* Gottorpij in Aula, *magnis sumptibus ac impensis constituit, ac post se reliquit, cui, & multitudine, nec non varietate & delectu selectissimorum Authorum vix similem aut parem in Germania*

mania reperiri existimo. Insigni huic Bibliothecæ, Dominum Henricum Lindenbrog Hamburgensem, Philosophum & ICtum Eximium, Bibliothecarium præfecerat: quo quamdiu in Patria vixi, & familiarissimè in quotidiana conuersatione, & quoad librorum vsum & lectionem, dum in Aulæ Gottorpiensi ageret, admodum propenso ac beneuolo semper vsus sum. Hic quoque Princeps Illustrissimus Iohannes Adolphus Augustissimæ memoriæ, inter reliqua nostræ familiæ clementer præstita atque exhibita beneficia, me quoque infantem anno C. 1592 ex sacro baptismatis fonte suscipere non fuit dedignatus, cuius & ego nomine appellor. 8. Christianus (Adolphi Ducis Slesuicensis ac Holsatiæ filius) Gottorpij natus anno C. 1576. 26 Maij. Obijt anno C. 1577. 22. April. 9 Agnes nata Gottorpij anno 1578. 20 Septemb. 10. Iohan Fiderich ex resignatione fratis Iohannis Adolphi anno C. 1591 Episcopus Bremensis & Lubecensis, natus anno 1579. 31 Augusti.

Fridericus Quartus, Friderici Primi Regis Daniæ filius, Episcopus fuit Hildesiensis & Slesuicensis, Coadiutor Bremensis, natus ex Sophia anno C. 1529. Obijt anno C. 1556 Chilonij. AEtatis anno 27. Slesuici sepultus in monumento regio.

Dorothea, Fiderici Primi Regis filia, Christophoro Duci Megaloburgensi nupta, à sorore in monumento Regum obotritorum funerata Anno C. 1575.

Elisabetha, Friderici Primi Regis filia, primùm Magni, deinde Vlrici Ducum Megaloburgensium cõiux anno C. 1556 Mater Sophiæ, Reginæ Daniæ, Friderico secundo nuptæ anno 1572. 20 Iulij, natæ anno C. 1524. Obijt anno 1586 ætatis 62. Guthoræ, Gustrauij sepulta 14 Octob. Anna Dorotheæ soror peste obijt anno C. 1535.

Christianvs III. Rex Daniæ 98 & Norvvegiæ. Dux Slesuici & Holsatiæ Natus anno C. 1503. 13 Augusti. Bellis & turbis varijs in Dania sopitis coronam sibi imponi curauit

anno

Anno C. 1537. *Academiam Hafnienſem inſtaurauit Obijt Coldingæ Anno* C. 1559. *Ex* Dorothea *Magni Louuenburgenſis Ducis filia nupta Anno* C. 1525. *mortua Sonderburgi Anno* C. 1571. 7. *Octob. Liberi.* Iohannes Iunior, *Hæres Norvvegiæ, Dux Sleſuici & Holſatiæ in Sonderburg: natus Anno* C. 1545. 25 *Martij. Obijt Anno* 1622. Liberi *huic nati: primùm ex* coniuge priori Eliſabetha, *Erneſti Ducis Brunſuuicenſis & Luneburgenſis in Grupenhagen filia, nupta Anno* C. 1567. 19 *Septemb. Coldingæ, obijt Anno* 1586. 16 *Februarij.* 1. Dorothea *nata Anno* 1569. 16 *Octob Friderico Lignicio nupta Anno* C. 1589.
2. Chriſtianus *natus Anno* C. 1570. 26. *Nouemb.* 3. Erneſtus, *natus Anno Chriſti* 1572. 17 *Ianuarij.* 4. Alexander *natus Anno* C. 1573. 20 *Ianuarij* 5. Auguſtus *natus Anno* 1574. 21 *Julij.* 6. Maria *nata Anno* 1575. 22 *Auguſti* 7. Iohan Adolff *natus Anno* 1576. 17 *Septemb.* 8. Anna *nata Anno* 1577. 17 *Auguſti.* 9 Sophia *nata Anno* 1579. 13 *Auguſti* 10. Eliſabeth *nata Anno* 1580 11. Friderich *natus Anno* C. 1581. 26. *Nouemb.* 12. Margaretha *nata Anno* 1583. 24. *Februarij* 13. Philippus *natus anno* 1584. 15. *Martij* 14. Eleonora *nata anno* 1590. 4. *Aprilis* 15. Anna Sabina *nata anno* 1593. 2 *Martij* 16. Albreht *obijt febri Dreſdæ* 1613. 10 *Aprilis.*

Ex altera Iohannis Iunioris Coniuge, Agnete Hedvvig, *Ioachimi Erneſti Anhaldini filia, Auguſti Electoris Saxoniæ Vidua, nupta Anno* C. 1588. 25 *Februarij, mortua anno* 1616. 3. *Nouemb. Liberi.* 1. Hans Georg *natus* 1594. 9. *Februarij. obijt* 1613. 25 *Ianuarij* 2. Ioachim Ernſt *natus* 1595. 29 *Auguſti* 3. Dorothea Sybilla *nata* 1597. 13 *Martij* 4. Dorothea Maria *nata* 1599. 13. *Julij.* 5. Bernhard. *natus* 1601. 1. *Aprilis* 6. Eleonara Sophia *nata* 1603. 24 *Februarij.* 7. Agnes Magdalena *nata* 1607. 9 *Nou.* Dorothea, *Chriſtiani tertij Regis filia, VVilhelmo Duci Brunſvvicenſi & Lunenburgenſi nupta, Ducũ præſentium Luneburgenſium mater, nata Coldingæ An.* 1546.

Magnus, *Christiani Tertij Regis filius, natus Anno* 1540. 14. *Augusti, Episcopatus Orpatensis in Liuonia Dynastes in Osel, obijt Anno* 1580. *Iohannis Basilidis Magni Ducis Muscouiæ fratris filia, Maria ipsi desponsata.* Anna *Christianè Tertij Regis filia nupta Augusto Electori Saxoniæ, auo præsētis Electoris Iohānis Georgij: A.* 1548. *die Lætare nata. Obijt* 1585 10. *Octob.* Fridericus II. *Christiani Tertij filius, Rex Daniæ* 90. *Norvvegiæ, VVandalorum Gothorum. Anno* 1589. *Dux Slesuici & Holsatiæ, &c. natus Anno* 1534. 30. *Iunij, auxilio patruorum Iohannis & Adolphi Dithmarsos vicit an.* 1559. *Ab anno* 1563. *cum Erico Decimoquarto Rege Sueciæ vsque ad annum* 1570. *indesinenter bellum gessit. Obijt anno* 1588. *Anderschovv. Roschildiæ sepultus. Ex* Sophia Megaloburgensi *nupta Anno* 1572. *Liberi.* 1. Elisabetha *Coldingæ nata Anno C.* 1573. 25. *Augusti. Hinrico Iulio Duci Brunsvvicensi & Luneburgensi nupta:* Mater Ducũ Brunsvvicensiũ Friderich Vlrich *qui hac ætate vixit, duxitq; vxorem è Domo Brandeburgensi &* Christiani Episcopi Halberstadiẽsis *qui in prælio contra Imperatorem, brachio globulo læso ac vulnerato, tandem ense reciso, mortem obijt.* 2. Anna *nata Scanderburg an. C.* 1574. 12. *Octob. Iacobo Secundo, Regi Scotiæ & Britāniæ nupta an.* 1589. *obijt.* 1619. 13. *Martij.* 3. Christianus Quartus (*Friderici secundi filius*) *Rex Daniæ Centesimus An. C.* 1596. 29 *Augusti, natus Friderichsburgi anno.* 1577. 12 *Aprilis. Ex* coniuge Anna Catharina *piæ memoriæ Ioachimi Friderici Electoris Brandeburgensis filia, an.* 1597. 20 *Nouemb. nupta, nata an. C.* 1575. 26 *Iunij, mortua an.* 1612. 29 *Martij.* Liberi sequẽtes 1. Fridericus *natus Friderichsburgi. an.* 1599. 15. *Augusti, paulo post expirauit. Roschildiæ sepultus.* 2. Christianus V. Designatus Rex Daniæ 101. *& electus Princeps An.* 1608 27. *Maij. Homagio accedente, an. C.* 1610. 14 *Martij. Hafniæ natus a.* 1603. 16. *Apr.* 3. Sophia *Coronæburgi nata an.* 1605 4. *Ianu. Obiit postea* 7. *Decẽb. Hafniæ.* 4. Elisabeth *Hafniæ*

nata.

nata anno C. 1606. 16 *Martij: obijt Scanderburgi anno* C. 1608. 24 *Octobr.* 5. Fridericus *natus Hadersleuiæ anno* C. 1609. 18 *Martij.* 6. Huldericus *natus Hafniæ anno* 1611. 2 *Februarij, Electori Saxoniæ Iohanni Georgio in bello militans interfectus est, proximo anno* 1633.

Huldericus (*Friderici secundi Regis Daniæ filius secundus*) *administrator Diœcesis Svverinensis, natus Anno* 1578. 30 *Decemb. Coldingæ, obijt in Butzov ibidemq; sepultus.*

Augusta (*Friderici secundi Regis Daniæ filia natu tertia*) *nata Coldingæ anno* 1580. 8 *April. Illust. Principi Iohanni Adolpho Duci Slesuici & Holsatiæ nupta Anno* C. 1596 *Liberi postea sequentur.*

Hedvvigis (*Friderici secundi Regis Daniæ filia natu tertia*) *nata Friderichsburg Anno* C. 1581. 5 *Augusti. Christiano secundo Electori Saxoniæ, qui obijt anno* C. 1611. 23 *Iunij, nupta Anno* C. 1602. 10 *Septemb.*

Iohannes, *Friderici secundi Regis Daniæ filius postremus, natus Hadersleuij anno* C. 1583. 26 *Iulij: in Muscouia obijt Anno* C. 1602. 28 *Octob. ibidemq; 25 Nouemb. Sclauoddæ sepultus.*

Iohannis Adolphi Ducis Slesuicensis ac Holsatiæ Liberi. 1 Fridericus Dux Slesuicensis 19. & Holsatiæ, *Princeps Heroici ac Generosissimi animi, multarum linguarum ac diuersarum regionum cognitione ac vsu, præclarus ac insignis, rerũ gerendarum peritissimus, iustitiæ ac pacis amantissimus, Dominus meus Clementissimus, natus est Anno* 1697. 22 *Decemb. Cui subditi Homagium præstiterunt. Anno* C. 1617. *Hic anno* 1630. *in matrimonium duxit* Serenissimi Electoris Saxoniæ Iohannis Georgij filiam, Mariam Elisabetham. *Nuptiæ summo splendore ac magnificentia Anno* 1630. 21 *Februarij in Aula Dresdensi, præsentibus Sacrosanctæ Cæsareæ Maiestatis, Ferdinandi Secundi Imperatoris, Electorumq; Imperij Legatis, multisq; alijs Illustrissimis Principibus, Baronibus ac Viris Nobi-*

Nobilißimis sua præsentia solennem hunc conuentum ornantibus ac decorantibus. Confecta ac transacta illic nuptiarum hac festiuitate, Illustrißima Coniunx, magno ac amplissimo Nobilium Comitatu ex Saxonia in Holsatiam deducta, illicq; magnificè ac splendidè accepta, multorum Principum ac Nobilium conuentu in arcem Gottorpium introducta fuit: vbi aliquot dies sūma festiuitate ac hilaritate cōsumpti fuerunt. Ex Illustrißima autem hac coniuge, Domina Maria Elisabetha, tres liberos suscepit 1. Sophiam Augustam, *quæ nata Anno* 1630. 5 *Decemb.* 2. Magdalenam Sybillam, *quæ nata An.* 1631. 14 *Nouemb. &* 3. Iohānem Adolphum, *Illustrißimi Patris nomine Augustißimæ memoriæ appellatum, qui natus Anno* C. 1632. 30 *Septemb. Hic Princeps Illustrißimus* Fridericus, *inter alias res præclarè gestas, Vrbem quandam decoram ac speciosam, loco admodum amœno ac fertilißimo, & ad negotia tractanda, mercaturamq; exercendam, quam opportunißimo ac accommodatißimo, mari finitimo, ex fundamentis extrui ac ædificari curauit, quæ ipsius Celsitudinis nomine* Vrbs Friderici siue Friderich Stadt *appellatur: in qua Catholicis publicum ac liberum Religionis vsum atque Exercitium (vt & in Regione illa amplißima, longeq; patentißima ac fertilissima, & ad commercia ac negotiationes quam aptissima, ac opportunissima, nomine* Bugisloot, *quæ hodie magnus sumptibus ac impensis à Belgis, ac Hollandis à mari excluditur) permisit atq; cōcessit. Pro qua insigni clementia ac beneuolentia, Catholicis præstita atque exhibita, Celsitudini eius immensa gratia ac æterna gloria meritò debetur. Huic Ecclesiæ Catholicæ, quæ iam isthic loci in Holsatia colligitur, summo cum fructu præest, Vir Reuerendus, Doctissimus ac Celeberrimus* Nicolaus Iansenius *natione Belga, Ordinis Dominicanorum, SS. Apostolicæ Sedis Missionarius Dominus meus honorandus: cuius frater* Quirinus Iansenius *Vir prudentissimus, Commissarius illic est constitutus ac ordinatus. Tertius*

aũt Frater, Vir Reuerendus, Pius ac Deuotus Dominicus Lã-
senius Ecclesiæ Catholicæ, quæ Hamburgi colligitur, ædificã-
dæ ac propagandæ, non minori studio diligentia ac vigilantia
operam dat ac inseruit. 2. Elisabetha Sophia (Illustrissi-
mi Principis Iohannis Adolphi filia) nata Anno C. 1509. 19
Octob. Augusto Lovvenburgensi Duci nupta Anno 1620. quæ
iampridem obijt. 3. Adolphus, Princeps magnanimus, ac
bellicosissimus, natus Anno C. 1600. 5. Septemb. Hic Prin-
ceps Glorioſissimus, Illustrissimi Principis ac Domini, Adol-
phi, Aui sui Paterni vestigijs præclarè insistens, sub Inui-
ctissimo Imperatore Ferdinando Secundo aliquot an-
nos, collectis Selectissimorum ac Veteranorum Militum, tam
equitum quam peditum copijs, in Germania stipendia me-
ruit, multis prælijs strenuè ac animosè se gesit, tandem vero
infelici admodũ Fato in pugna Lipsensi, vnà cum alijs non-
nullis Magnanimis ac Fortissimis Militiæ Ducibus ac Impe-
ratoribus in florentissima adhuc atate gloriosè occubuit. An.
C. 1631. Princeps propter Eximias ac verè Heroicas animi
corporisq; Dotes ac Virtutes, animi fortitudinem, rerum Mi-
litarium peritiam & experientiam, longiori vita dignus, si
Deo immortali ita visum fuisset. Corpus mortuum paulo post
in Holsatiam in Aulam Gottorpiam deductum, magnaq;
Exequiarum solennitate, more militari in Auito ac Patrio
monumento Ædis Cathedralis conditum ac repositum fuit.
4. Dorothea Augusta (Illustriss. Principis Iohannis A-
dolphi filia) nata Anno C. 1602. 12 Martij, nupta Ioachimo
Ernesto Principi Holsatiæ, Domino in Arensbock, Plone, &
Reinevelde: nuptiæ magnificè ac splendidè AC. 1632. in aula
Gottorpiensi celebratæ fuerunt. 5. Hedevig, (Dorotheæ Au-
gustæ soror,) nata A. 1603. 13 Decem. Illustriss. Principi Augu-
sto, Comiti Palatino ad Rhenum, &c. nupta Anno 1620.
6. Anna nata 1605. 9 Febr. quæ obijt 7. Hans Princeps
Generosæ ac Heroicæ indolis, multarũ linguarum ac regionũ
peritissimus natus Gottorpij A.C. 1606. 18 Martij. 8. Chri-
stian

stian Gottorpij natus An. 1609. 1. Decem. mox expir auit.

Nuncredeamus ad hiſtoriam. Friderico mortuo, in imperio ſucceſſit Chriſtianus III. Rex Daniæ, ſub cuius regni auſpicium, ingentes turbæ ac tumultus in Dania moti & excitati fuerunt. Nam defuncto Rege Friderico, Epiſcopi Regni Danię, penes quos ſuprema authoritas ac præcipuũ ſuffragiũ eſt eligendorũ Regũ Daniæ, electioni Iohannis Regis Friderici filij natu minimi, totis viribus reſiſtebãt & contradicebãt: propterea quod Lutherana religione à puero imbutus, eã firmiter ac conſtanter amplecteretur ac profiteretur. Regni itaq; ac Religionis ſummopere intereſſe exiſtimabant, nouã Regis electionem aliquantiſper ſuſpendere ac producere, ac per ſeipſos, ſemoto Rege, regnũ adminiſtrare, quò melius ac cõmodius nouã, ac à Rege Friderico recens introductã Lutheri doctrinã penitus iterũ abolere, antiquamq; Catholicã Religionẽ ac fidem retinere ac defendere poſſent. Sui enim muneris atq; officij eſſe exiſtimabant, pro ſalute Eccleſiæ atq; animarũ diligenter excubare, neq; permittere, vt vlla alia, q̃ vna vera Catholica & Apoſtolica doctrina, à qua & Regni incolumitas, & animarũ ſalus vnice pẽderent, in Eccleſijs doceretur ac populo proponeretur. In eũ finẽ, mandata paſſim nomine totius ſenatus, cuius ipſi Principẽ locum obtinebant, promulgabãt, vt intra certũ ac præfinitũ tẽpus in omnibus prouincijs, ciuitatibus ac vicis Lutheranos Prædicatores iterũ abrogarent ac dimitterent, eorũq; loco Orthodoxos ac ſynceros ab Epiſcopis approbatos ac cõmẽdatos iterũ ſuſciperent, indicta ſimul ac denunciata grauiſſima pœna, quod niſi infra præfinitum tempus huic mandato obtemperarent, tam Lutheranos Concionatores, quam eorum Patronos, fautores, defenſores & aſſeclas carcere & exilio mulctatum iri.

Cum igitur propter nouam ac recentem Lutheri doctrinam, se in tãto periculo ac discrimine versari perspicerent, præcipuæ Daniæ ciuitates *Hafnia & Malmogia*, quæ Lutheri doctrinam & confessionem iampridem susceperant, præuio consilio ac deliberatione, ad Christianum Holsatiæ Ducem Friderici Regis filium sese contulerunt, cumque supplicirer ac demisse rogarunt, vt sibi opem & auxilium ferret, & vt tam Religionis quam fratris sui Maiestatis ac iurisdictionis tuendæ ac detendendæ, curam ac patrocinium susciperet. Quod facere recusauit, neque consultum fore existimauit, vt se temerè, qui semper pacis ac concordiæ hactenus amantissimus ac studiosissimus fuisset, nouis huiusmodi turbis immiscceret ac oneraret, ideoq; responsum dedit, habere ipsos suum Regem Iohannem, ipsum & suum honorem ac dignitatem, imperijque Maiestatem, proprio marte tueri ac defendere posse. Hac spe itaque frustrati ciues, suæque petitionis à Christiano repulsam passi, tandem communicatis cum Lubecensibus consilijs, Christophorum Comitem Aldenburgensem de ope & auxilio ferendo, summis precibus sollicitant. Qui statim petitioni eorum obsecutus, operam & auxilium ad illorum defensionem ac tutelam haud grauatè illis promittit. Hac enim ratione optatam maximeq; opportunam sibi occasionem offerri existimabat, qua Christiernũ Regem captiuum & exulem, sobrinum suum, in pristinum honoris ac dignitatis gradum restituere, nec non iniuriam ac contumeliam ipsi illatam, aliqua ratione iterum vindicare ac vlcisci posset. Lubecenses quoq;, siue vindictæ cupiditate adducti, quod hac ratione iracundię ac acerbitatis suæ virus iamdudum in Danos ob denegatam aduersus Hollandos opem animo conceptum, commodè iam euomere se posse putarent,

tarent, siue studio tuendæ ac defendendæ Religionis, ac doctrinæ Lutheri, siue spe maiorum priuilegiorum ac immunitatum hac ratione in Dania consequendarum id fecerint, promptissimos ac paratissimos se ad hanc rem profitentur. Priusquam autem expeditionem in Daniam suscipiunt, Holsatos primum hostiliter inuadunt, eorumque terras ac regiones, occupatis aliquot arcibus, miserè spoliare, vastare, ac depopulari incipiunt, eosque tandem planè opprimere, omnibusque viribus ac facultatibus penitus exhaurire conantur, ne postea Danis, eorum opem & auxilium implorantibus suppetias venire possent. Violentis itaque ac hostilibus Lubecensium irruptionibus, ingentibusque damnis ac detrimentis suę ditioni illatis, tandem Christianus commotus ac incensus, arma quanquam inuitus capere cogitur, vicinorumque ac confœderatorum Principum ac ciuitatum auxilio implorato, aciem instruit, & cum Lubecensibus acerrimis aliquot prælijs fortiter ac animosè confligit: quorum copijs partim fusis ac dissipatis, partim omnino concisis ac trucidatis, victoria tandem potitur, arcesque omnes à Lubecensibus occupatas iterum expugnat, atque in suam potestatem redigit. Quo peracto, Comes Aldenburgensis copias suas vndiq; collectas statim in *Selandiam*, Daniæ prouinciam transmittit, cũque se Exulis & captiui Christierni Regis nomine hãc expeditionem suscipere diceret, vt istum in pristinum honoris ac dignitatis gradum restitueret, aduentus eius passim omnibus, vulgo imprimis ac multitudini gratus ac acceptus fuit, statimque in arcem ac vrbem ab Hafnienſibus intromissus ac receptus fuit: inde in reliquas Daniæ prouincias progressus, quæ & ipsæ ferè omnes vltrò se ei submiserunt, ac Christierni Regis nomine præstito solenni iuramento Fidem

& obsequium illi promiserunt. Cum ita prosperè ac feliciter Comiti huic Aldenburgensi negocium hoc sub manus succederet, Dania ferè iam tota pacata, procerumque gratia ac beneuolentia, vt ipse existimaret, sibi conciliata, nihilque amplius quicquam periculi sibi metuendum esse existimaret, tandem animo ocioso, remisso, ac languido esse incipit, seque iam ab omni periculo tutum ac immunem in portu nauigare arbitrabatur, parumque sedulò ac diligenter res suas curabat. Interea Nobilitas *Iutia*, quæ imprimis acerrimo ac infensissimo odio Christiernum Regem persequebatur, coniuratione clam facta cum reliquis *Fioniæ*, *Selandiæ*, & *Scaniæ* nobilibus, de Christophoro Comite Aldenburgensi vi Regno expellendo, & Christiano Holsatiæ Duce, Rege creando ac eligendo, resistentibus licet ac contradicentibus Episcopis, consilia ineunt, eiusque opem & auxilium implorant. Qui statim eorum petitioni obsecutus, vt Daniam ab huiusmodi onere ac molestia tandem liberaret, atque tranquillum collocaret, firmo hinc inde collecto exercitu, valida copiarum manu Iutiam primum inuadit, incolas & subditos Christierni partibus fauentes armis oppugnat, inque suam potestatem redigit, breuique temporis spatio tota *Iutia* potitur. Qua subacta, porro in *Fioniam* copias suas transmittit, eamque similiter sibi subijcit. Supererat tandem sola *Hafnia* Daniæ Metropolis, quæ & ipsa post longam ac durissimam obsidionem inopia frumenti ac commeatus pressa, sese dedere coacta fuit. Ita tota fere Dania bello subacta ac pacata, Rex Christianus tandem omnibus suis hostibus, Comite Christophero Aldenburgensi, & Alberto Duce Megapolitano, qui illi opem & auxilium tulerat, in obsidione Hafniensi potitur. Quos omnes iam in suam potestatem

statem redactos, liberos ac impunè dimittit, simul quoque Regni incolis omnibusque rebellibus, omnium delictorum ac offensarum veniam ac impunitatem benigne concessit: in Episcopos autem, quos præcipuos harum turbarum authores esse existimabat grauius ac seuerius animaduertendum esse putauit, eosque carceri ac custodiæ confestim tradi atque includi iussit. Tandem carcere eductis, vniuersis & singulis, numero septem, Toberno Bilde Episcopo Lundensi, Canuto Guldenstern Otthoniensi, Iacobo Ronnovv Roschildiensi, Iuaro Munck Ripensi, Strigone Krumpen Burglanensi, Georgio Frise Wiburgensi, Auone Bilde Arhusiensi ab officijs suis remotis, publicisque docendi ac præsidendi muneribus ipsis abrogatis, septē alios Episcopos vel Superintendentes Lutheranæ religioni addictos, & à Iohanne Bugenhagio (cuius inprimis opera & consilio Rex Fridericus in religionis hac mutatione vtebatur) ipso præsente Rege ac Regni senatu in summo templo Hafniæ verbi ministros designatos substituit.

Huic quoque Christiano Holsatiæ Duci, Patre, Rege Friderico adhuc in viuis existente, ac regnum Daniæ tenente, cura ac negotium immutandæ religionis, rituumque Ecclesiasticorum innouandorum in Holsatia Anno 1531. à Patre iiunctum ac commendatum fuit. Ad quam rem conficiendam imprimis Eberhardi Widensei Doctoris Marburgo euocati, nec non Hermanni Tastij Prædicantis Flensburgensis opera & consilio vsus est. Quibus ex nobilitate Iohannes Rantzouius aulæ Magister, Iohannes Reuentlovv, & alij adiungebantur. Ita tandem Christianus Holsatiæ Dux Victoria potitus, Episcopis Regni abdicatis, Hafnia Daniæ Metropoli

occupata, totoque regno in tranquillum collocato, Rex creatus ac electus fuit, preces ac solennes ceremonias Iohanne Bugenhagio administrante ac perficiente.

Quanquam autem hæc Religionis, rituumque Ecclesiasticorum mutatio sit facta, remanserunt tamen nihilominus adhuc rudera quædam & quasi reliquiæ, quæ tanquam clarissima ac euidentissima signa ac vestigia, antiquæ ac auitæ Religionis, veterisque Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ faciem ac statum, haud obscurè nobis indicant atque adumbrant. Nam inter reliqua: Templa, ac Ædes sacræ à Catholicis magnis sumptibus atque impensis erectæ ac constitutæ, adhuc illorum vsui ac exercitijs inseruiunt, & quamuis plurimis in locis antiquis ac vetustis suis ornamentis, pristinaque gloria ac decore miserere spoliatæ ac orbatæ reperiantur; nihilominus in quibusdam Templis adhuc supersunt, Imagines Crucifixi Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, simulachra Apostolorum, aliorumque Sanctorum, Episcoporum, Doctorumque Ecclesiæ, quorum imagines partim in parietibus, ac fenestris, partim etiam in lapidus sepulchralibus, æde imprimis Cathedrali Slesuicensi clarè atque ad oculum cernuntur. Prętera residua sunt adhuc eò loci Altaria, rei diuinæ faciendæ sacrisque peragendis à Catholica Ecclesia dicata ac cõsecrata, cum suis imaginibus, quorum maximum numerum in Patria mea Slesuicensi in Æde Cathedrali adhuc cernere ac videre licet. Et est certè res non solum consideratione, verum etiam admiratione digna (quod sæpius me visum ac obseruatum fuit) quod in summo Templo siue AEde Cathedrali Slesuici in Altari, vbi adhuc singulis diebus Dominicis consueto more communicantibus cœna porrigitur,

hæc

hæc verba aureis literis scripta leguntur. Sancta Maria ora pro nobis. Reperiuntur quoque isthic loci in singulis fere Ciuitatibus, quibusdam etiam vicis maioribus ac amplioribus Organa, quæ diebus Festis ac Dominicis, siue quãdo alias conciones habentur, nisi tempus luctus inciderit, pulsari solent. Baptisteria quoque, prout à veteri Catholica & Apostolica Ecclesia relicta sunt, ad sacrum hoc officium peragendum, salua ac integra adhuc remanserunt.

Retulit mihi quoq; Reuerendus Pater Esaias Crusius, è Societate Iesu, natione Bremensis, affinis Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi viri Domini Erici Heidman, Illustrissimi Principis Holsatiæ &c. Cancellarij longè dignissimi, (*qui propter senilem ætatem, grauitate, prudentia, rerumq; vsu & experientia egregiè ornatam ac decoratam, totius Aulæ Gottorpiensis, Patriæq; meæ Holsatiæ præclarum est ornamentum: quo, quamdiu in Patria vixi, beneuolo ac gratiosissimo semper vsus sum, cui vicissim, cum reliquis Collegis ac Aulæ Consiliariis, Amplissimis & Spectatissimis viris, Dominis ac Patronis meis olim honorandis, fausta ac felicissima quæq;, Spiritus S. gratiam ac illuminationem, ex animo precor,*) se ex fide dignis hominibus accepisse, S. Ansgarij Ædem Hamburgi, quæ olim Holsatiæ Metropolis fuit, constructam ac ædificatam, in qua olim docuit S. Ansgarius ac sacra peregit, nulla vnquam ætate potuisse profanari, atque ad alios vsus transferri: nec enim Mercatoribus aut cereuisiæ coctoribus suam S. Ansgarius permisit Ædẽ illic mercimonijs, alijsq; rebus familiaribus ac domesticis agendis ac tractandis profanari. Sed ipsos varijs territos spectris coniecit. Vnde etiam pupillorum ac orphanorum cessit sustentationi, vt nulli non notum est.

Cæterum Ceremonias Ecclesiarum, officiaque

corum Ecclesiastica quod attinet, post susceptam hanc mutationem Religionis, in vsu adhuc est Lectio & Explicatio Euangeliorum & Epistolarum Dominicaliũ, prout in Ecclesia Catholica receptum ac approbatum. Festa quoq; primaria, vtpote Natiuitatis Christi, Paschatis, & Pentecostes summa solennitate ac festiuitate, triduo continuo Concionibus & Cantionibus, Psalmis, Organis, Instrumentis etiam Musicis, in amplioribus ac celebrioribus Vrbibus celebrantur: præterea alia quoq; Festa vtpote Trium Regum, Ascensionis Christi in cœlum, Annunciationis ac Visitationis Mariæ, Ioan. Baptistæ, D. Michaelis, Omnium Sanctorum, *&c.* illis sacra ac venerabilia sunt. Singulis quoq; annis, certis & statis temporibus, ante Dominicam Rogationum iussu & authoritate Magistratus dies Rogationum siue publicarum Precum integro triduo in Templis, publicis Concionibus, Orationib. Psalmis & Litania celebrandi indicuntur ac præscribuntur. In administratione *Baptismi* retinetur adhuc consueto ac vsitato more Exorcismus, Diaboli, eiusq; operum ac essentiæ abiuratio ac renunciatio, Crucis in fronte & pectore signatio, orationis Dominicæ, aliarumq; precationum de vsu & efficacia Baptismi recitatio, symboli quoq; Apostolici per interrogationẽ Ministri, & responsionem Patrinorum publica confessio: trina aquæ asperso, in Nomine Patris, *&c.* ac tandem Gratiæ ac Diuinæ benedictionis imprecatio. In administratione *Cœnæ*, quæ in Altari peragitur, adhuc Cerei accenduntur, Prædicantes, qui ministrant, ritu ac more Catholicorum, vestibus Sacerdotalibus, quæ à veteri Ecclesia Catholica in plurimis locis ferè adhuc supersunt, induuntur ac ornãtur. Consecratio autem more illorum fit nuda saltem recitatione verborũ institutionis Dominicæ, præmissa oratione Domini-

minica,&subsecuta gratiarũ actione post cœnæ sumptionem. Vsurpatio autem ratione communicantium fit sub specie vtraque, quamuis more consueto vsus panis,siue rotundę ac orbicularis hostiæ cũ signo crucifixi Christi, & vini, vnà cum patellis ac calicibus deauratis,vnde illa externa elementa exhibentur ac porriguntur,adhuc apud illos vigeat. Ante sumptionem cœnæ autẽ adhuc vsitata est arcana, vel vt cõmuniter vocãt, *Auricularis confessio*, vel eodẽ die cũ cœna administratur, vel pridie ante ministro facienda. Ægris verò malęq; habentibus priuatim in ædibus cęna administrari ac exhiberi solet:qui & plerunq; corã Ecclesia publicis precibus ante & post concionẽ Deo commẽdari solent, subsecuta postea gratiarũ actione, vel pro recuperata sanitate,vel felici obitu ac discessu. *Ordinationes* Ministrorũ quod attinet,solent illæ semper publicè peragi corã Altari in Ecclesia,à constituto Præposito vel Superintendente, præmisso tamẽ prius duplici, priuato nimirum ac publico examine, adhibitis ad hoc negotiũ alijs tribus Ministris, qui oratione ac impositione manuũ actum hunc solennẽ confirmare ac decorare solẽt:qui actus tandem, confecta ordinatione,vsitato Cantico Te Deum Laudamus finiri ac cõsummari solet. *Horæ* quoq; *Canonicæ* in summo Tẽplo Slesuici mane & post meridiẽ Lectionibus ac canticis Latinis à Magistris & pueris è Schola adhuc celebrantur. In pręcipuis acSolennibus Festis,quibusdam in locis Latine adhuc *Sursum corda* cani solet:in nomine Iesu semper genua flectuntur, capita aperiuntur, quando coram Altari Euangelia ac Epistolę quamuis lingua vernacula leguntur ac canuntur, populus surgit & ad auscultandum se parat: cœnam quoq; sumpturi in genua coram Altari procumbunt. Canonicorum quoq; distincta nomina adhuc in vsu sunt, quã-

uis

uis Ecclesiastica eorum officia ac munera iampridē in desuetudinem venerint ac abrogata sint, bona quoq; ac reditus illis olim destinati iam fermè ad vsum politicum & personas seculares sunt translati. Campanarum quoque vsus in istis locis adhuc remansit, quæ, siue conciones habendæ, siue funus efferendum ac exequiæ cohonestandæ, (quæ etiam plerumque in Adultis, ac honestioris famæ ac familiæ hominibus, concione aliqua funebri ornari solent,) siue orationes ad Deum fundendæ, semper tangi ac pulsari solent. In quibusdam locis, præsertim tamen apud rusticos ac agrestes, qui sunt grandiores natu, ac ætate prouectiores, vsitatæ adhuc sunt orationes pro defunctis, quibus genibus innixi, defuncti ac sepulti animam Deo commendare solent, neque vlla ratione à pia ac religiosa maiorum suorum consuetudine auelli possunt, quin, & in exequijs, alijsq; honestis congressibus, quoties defunctorum incidit mentio, frequētissimè hac loquēdi formula vtantur deren Seelen Gott gnade: cuius vel quorum animæ Deus misereatur. Crucis quoq; signationes ante & post orationes, quoties templum intrant & egrediuntur, cibū sumūt, aut cubitum discedunt: apud quosdam etiam die Veneris ante Pascha abstinentia carnis: apud alios totius diei ieiunium vsq; ad occasum solis adhuc in vsu sunt. Nuptias quoque celebraturi ternis vicibus prius è suggestu publicè renunciantur, priusquā à ministro, (quod tamen plerunque publicè in Ecclesiastica corā altari à Ministro fieri solet,) copulantur. Tempore a. Aduentus Domini & Quadragesimæ nuptias celebrare prohibitū est: & quæ sunt aliæ Cæremoniæ, &c.

Hac tempestate An. 1544 *Comitijs Spiræ indictis, pax facta & constituta est inter Carolum V. Imp. & Christianum III. Daniæ Regē, idq; interuentu ac moderatione Ioānis Rantzouij,*

&

& Andreæ Bilden, ex parte Regiæ Maiest. huic negocio destinatorum, cumq; antea ob eiectum Regem Christiernum animis inter se dissentirent, amicè tandem reconciliati sunt. Ad hanc pacis conciliationem multum imprimis adiumenti præbuit, quod Christianus III. Daniæ Rex, à Protestantibus de auxilio sibi contra Carolum V. Imperat. ferendo sæpius sollicitatus ac imploratus, omnino pacis ac concordiæ conseruandæ, ac vlterioris simultatis ac dissensionis euitandæ gratia, hoc illis recusauerit. Qua confecta pace, Christianus Rex Daniæ, legiones suas, quas vndique in præsidiis metu Burgundicarum expeditionum, & in Daniam irruptionum, collocatas habebat, iterum abdicat ac dimittit. Christiernus Rex, quatuordecim annos in arce Sunderburg insulæ Alsæ iam captus, cum comperisset, pacem inter Imperatorem & Regem Daniæ iam firmatam ac constitutam esse, seq; hac ratione, ope & auxilio Caroli V. in quo omnem spem ac fiduciam collocarat, omninò destitutum videret, neque quicquam amplius spei ex custodia liberationis ac in Regnum restitutionis supereſſe animaduerteret, tandem æquo ac patienti animo hanc suam sortem ac calamitatem tolerandam esse existimauit, &, vt in posterum maiori aliqua libertate frueretur, durissimaq; custodiæ seruitute aliquantum relaxaretur ac releuaretur, omni suo iuri ac priuilegijs, quæ in tribus Regnis, Ducatibus quoque Slesuici ac Holsatiæ se habere existimabat, vltrò ac liberrimè cedit ac renunciat, & Christiano Regi eiusq; hæredibus plenissimè concedit ac resignat. Vnde vicissim ad eius sustentationem, omnes reditus ac prouentus præfecturæ ac arcis Callenburg, & insulæ Samso & Sebingarden illi concessi ac deputati fuerunt, hac tamen conditione, vt intra limites illius præfecturæ sese perpetuò contineat, & Præfecto Regis Christiani, arcis tutela & præfecturæ administratio committatur.

Ordo nouus Clero Tilmanno Præside venit.

Præside, quid mirum quod nouus ordo, nouo?

Non

Non tamen Ordo nouus, potius nouus horror, auita
Nam iacet hoc Patrum præside Religio.

A.C.1541.

Hac ætate antiquáta (vt iam diximus,) Veteri Catholica Religione ac Fide, Catholicisq; Episcopis dimissis ac abrogatis, ex Lutheranorum cœtu ac familia *Tilemannus de Hussen natione Cliuensis*, Episcopus Slesuicensis electus ac designatus fuit. Qui Religionis ergo patria relicta, primum Hamburgum sese recepit, inde Witebergum profectus, ibidemque sumptibus ac impensis Christiani III. Regis Daniæ, Doctor Theologiæ creatus ac renunciatus est. Hic aliquot annos *Hafniæ* vixit, & concionando sese exercuit, Annamq; filiam Regis Christiani III. quæ postea Augusto Duci Saxoniæ Electori nuptui data, erudiuit ac instituit. Postea vero, cum de Episcopo in locum *Gotscalci de Aleuelde* substituendo ageretur, Tilemannus tandem, re deliberata, ex pædagogo Episcopus Slesuicensis electus, & à Doctore Pomerano, Canonicis, & reliquis huius Ducatus verbi Ministris in ædem Diui Petri solenniter introductus fuit Anno 1541. Is occupata sede Episcopali iussu ac consilio Regis, concionando, visitando, controuersias de nuptijs dirimendo, & in choro Slesuicensi publicè prælegendo, sese exercuit: Psalterium postremò enarrare cœpit, in eoq; explicando occupatus, animam exhalauit. Apud Regem Christianum III. gratia & authoritate multum valebat, vsque adeò, vt in rebus ad Religionem pertinentibus, eius opera & consilio vteretur: cumq; Anno 1548. nuptiæ Ducis Augusti Electoris Saxoniæ, & Annæ filiæ Christiani III. Regis Daniæ Hafniæ celebrarentur, eò Episcopus vocatus fuit, vt eos matrimonio iungeret ac copularet. Tilemannus a. anno 50. Rege Christiano III. ita volente ac postulante Fridericum

ricum Ducem, Regis Friderici filium natu minimum, 18. annos natum in coadiutorem postulauit, & post postulationẽ factam annum saltem vixit. Nam pleuritide correptus atque absumptus ex hac vita discessit Anno 1551. pridie Idus Maij, Slesuici sepultus. *Anno 1541. Ordinatio Ecclesiastica promulgata fuit, eaq; cautum, vt octo saltem Canonici Slesuici viuerent ac eligerentur. Quod ipsum & Rex VValdemarus ante aliquot annos centenos constituerat.*

Defuncto Tilemanno de Hussen, Dux Fridericus Regis Daniæ Friderici I. filius natu minimus, Episcopus Slesuicensis electus ac designatus, post susceptum Episcopatum in arcem Suauestedianam Episcopi sedem à Canonicis Slesuicensibus introductus fuit. Vbi aliquandiu commoratus est, vt & in Curia Slesuicensi Episcopali, quò diuertere plerunque solebat. Is cum Coloniæ aliquot annos vixisset, tandem morbo affectus in Holsatiam redijt, ibidemque longo tempore grauissimè decumbens, quod tabe paulatim consumeretur, tandem Chilonij moritur Anno 1556 die 28. Octob. sepultus Slesuici in tumba Regia.

Huic Friderico in Episcopatus Slesuicensis administratione successit eius Frater Adolphus, qui Fratris sui iam grauiter ac lethaliter decumbentis transactione & opera, Coadiutor à Canonicis declaratus, & post eius obitum, Episcopus statim Slesuicensis electus ac designatus fuit. Duci Adolpho Episcopatus Slesuicensis cura ac administratione commissa, nihil ipsi prius ac antiquius fuit, quam vt celeberrimum ac famosum aliquem Augustanæ confessionis Doctorem, tam Episcopatui quam suis Ducatibus prouideret ac circumspiceret, cui rerum Ecclesiasticarum curam, Ecclesiarumq; directionem ac regimen committeret. Vbi imprimis summoperè ei

commen-

commendatus fuit Paulus ab Eitzen Theologiæ Doctor, ex Nobilissima, Amplissima, omniumq; ferè Vetustissima familia Hamburgi natus, quem amplissimo stipendio promisso Hamburgo euocauit, ipsumque caput & Superintendentem Ecclesiarum constituit: qui etiam apud Principem Adolphum, quamdiu vixit, in summa gratia & authoritate fuit habitus: eiusque iudicium & consilium à multis Augustanæ confessionis Doctoribus, in rebus arduis, ac grauissimis controuersijs sæpiùs exquisitum ac desideratum fuit. Adolpho Principe è viuis sublato, eius quoque filij, Illustrissimi Principes ac Domini, Dominus Fridericus, Dominus Philippus, ac Dominus Ioannes Adolphus, non minori gratia, honore, ac beneuolentia, ipsum vsque ad mortem sunt prosecuti. Tandem vero, postquam munere ac officio suo longo tempore fuit defunctus, ex hac vita migrauit, ac in summo Templo ac Æde Cathedrali Slesuici sepultus est, scriptis multis post se relictis, quæ extant. Huius Pauli ab Eitzen ætate, *Liber Concordiæ* in Holsatiam missus fuit, vt publica subscriptione approbaretur ab Ecclesijs eius loci, quod præfatus Paulus ab Eitzen tanquam Superintẽdens negauit, ac subscriptioni receptioniq; huius libri concordiæ omnibus viribus, summaque animi contentione interceſſit ac contradixit, eamque tandem impediuit. Quænam autem ipsum causæ ac rationes mouerint, quamobrem publicam libri Concordiæ, (vt vocat) approbationem ac subscriptionem omnino dissuaserit, ac in Holsatiæ & Slesuicensi Ducatibus impedierit, singulari ac publico quodam Germanico scripto, palam fecit ac testatus est: quod ferè de verbo ad verbum in Latinum sermonem translatum ita habet: ex quo pius ac beneuolus Lector clarè perspiciet ac cognoscet, librum illum oblatum

tum potius Discordiæ fomitem ac occasionem fuisse, quam Concordiæ ac paci sanciendæ inseruijsse.

Doctoris Pauli ab Eitzen, Superintendentis Holsati, *causæ & rationes, quamobrem subscriptio libri Bergensis vel confessionis iure meritoq; recusari debeat, desumptæ ex Seuerissimo Christi mandato*: Cauete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, interius autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos: *nec non ex mandato Spiritus sancti.* Nolite credere omni Spiritui, sed probate Spiritus, vtrum ex Deo sint.

Primùm *quoniam* Iacobus Andreæ Smidlinus, *sub hac confessione impium ac blasphemum suum errorem tegit ac palliat: nimirum, quod vniuersæ creaturæ cum filio Dei personaliter sint vnitæ, & quod in Filio Dei Iesu Christo non alia sit diuinæ essentiæ præsentia, quam in reliquis creaturis. Qui error ex ipsius scriptis, proprijsq; eius verbis, à Theologis Hassiacis cum annotatione librorum ac designatione foliorum deprehensus ac notatus est. Quocirca nullus syncerus Theologus, verbi Diuini minister, ac Christianus, qui hoc nouit, cum illo, aliisq;, qui scientes huiusmodi errorem, in detrimentum Christianorum tegere ac palliare student, vnam eandemq; fidem profiteri & subscribere potest: & qui hoc sciens prudensq; fecerit, is simul cum ipso blasphemi huius erroris, contra fidei nostræ articulum de incarnatione Filij Dei se participem facit: nimirum sanctum Dei verbum, (Verbum Caro factum est,) nullum facere discrimen inter Filium Dei Dominum nostrum Iesum, & nos miseros homines, qui æquè Deus & homo sunt: quælibet quoq; creatura, æquè Deus ac creatura sit, imo quod ipse Diabolus, æquè Deus ac Diabolus sit, ac Filius Dei, Deus & homo est. Deus clementer mihi ignoscat, quod hunc errorem tam crassè proponam.*

Secundò, *quoniam* Iacobus Andreæ Smidlinus *hac*

confessone simul tegit horrendum, fœdum, ac abominandum errorem, quem anno quoque proximo 78. in vrbe Salza, coram Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino Hassiæ Landgrauio confessus est, nimirum, Christum per Dispensationem, quando velit, carnem & ossa assumere, quemadmodum etiam nouissimo suo aduentu assumpturus sit: propterea nemo pius Theologus, verbi Diuini minister, ac Christianus, qui hoc nouerit, cum ipso & illis Theologis, qui hunc ipsius errorem, magno Ecclesiæ detrimento tegere ac silentio dissimulare student, vnam eandemq; fidem profiteri ac subscribere potest. Qui autem hoc fecerit, simul quoque cum ipso detestandi ac abominandi eius erroris contra fidei nostræ articulos se participem reddit, nimirum Dominum nostrum Iesum Christum cum vero ac proprio suo corpore ac membris, quibus ex sancta Virgine Maria matre sua natus, in cruce passus, sepultus, tertio iterum die ex mortuis non resurrexisse, neque hoc suum corpus ac membra in æternum retinere, cum tamen ipse post suam ex mortuis resurrectionem discipulis suis dixerit. Videte manus meas & pedes meos. Ipsemet sum, palpate ac videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me habere videtis: Item inde sequeretur. Nos quoque in extremo iudicio, cum his nostris corporibus ac membris nequaquam resurrecturos esse, neque illa in perpetuum retenturos. Qui error aperte aduersatur articulo nostræ fidei, Credo resurrectionem Carnis, & contrariatur claræ ac euidenti Iobi sententiæ, Scio quod Redemptor &c. Item, qui hoc statuit, facere cum Iacobo Andreæ ex vnaquaque Christi apparitione post eius resurrectionem, nouam carnis assumptionem contra dictum Verbum caro factum est. Item quoniam hic error Iacobi Andreæ in effectu id dicit, nimirum Christum Iesum Dominum nostrum, nunc non habere amplius carnem & ossa, verumq; illud corpus, quod ex

Maria

Maria ſua matre ſemel aſſumpſit, & pro nobis in ara crucis obtulit, ſed carnem, oſſa, hoc eſt, verum humanum corpus, vel veram humanam naturam aſſumere, quando vult. Ideo, quicunque hoc ſciunt, & nihilominus eandem fidem cum illo profitentur ac ſubſcribunt, horrendi, ac deteſtandi illius erroris in articulo de cœna Domini ſe conſortes reddunt, nimirum dilectiſſimum Dominum noſtrum Ieſum, in ſacra cœna non nobis dare hanc carnem, hoc eſt, idem corpus, eundemq; ſanguinem, quem à Maria ſua matre aſſumpſit, & pro nobis in ara crucis obtulit, & de quo vero ſuo corpore ac ſanguine in ſua cœna dicit. Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum: *verum, quod quæuis actio cœnæ, ſit noua aſſumptio carnis. Quod ſi itaq; hoc concederetur, nimirum Dominum Ieſum Chriſtum, poſt ſuam ex morte reſurrectionem, ſuam carnem vel naturam humanam & corpus non retinuiſſe, iampridem Sacramentarij cum ſuis ſignis viciſſent. Pro quo impio ac blaſphemo errore Dominus noſter Ieſus Chriſtus clementer nos protegat ac conſeruet.*

Tertiò, *quoniam in libro* Bergenſi *vel* confeſſione, *quam authores eiuſdem, tanquam generalem quandam cenſuram vel iudicium contra quoſuis errores, eosq; imprimis, qui ſub* Auguſtana confeſſione *exorti ſunt, haberi ac exiſtimari volunt, quidam Brentij errores (quamuis tam à meipſo quam meis dilectis confratribus diligenter huiuſmodi Brentianorum errorum ſæpius admonitio ſit facta) nihilominus tamen vna cum aliis erroribus in hoc libro nequaquam annotati, ſed de induſtria præteriti, vel ſilentio approbati ſunt: propterea nemo ſyncerus ac cordatus Theologus, verbi diuini miniſter, ac Chriſtianus, qui hos errores nouit, cum hiſce Bergenſibus Theologis, confeßioni vnius fidei aſſentiri ac ſubſcribere poteſt. Qui autem prudens ſciensq; hoc fecerit, ſimul quoque*

horrendorum ac abominandorum errorum contra articulos nostræ fidei se participem reddit, ac hoc ipso veterum Hæreticorum, iampridem à Catholica & Orthodoxa Ecclesia damnatorum, hæretica ac peruersa dogmata, tanquam vera ac legitima iterum approbat ac recipit: qualia sunt: Angelos fuisse cum Deo ante creationem mundi, Item quod testimonio Mosis: In principio creauit Deus cœlum & terram, non satis firmiter probari possit, solum Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse vnum Deum, quandoquidem Brentius pro vero asserit ac statuit, Angelos etiam ante hoc principium fuisse & extitisse. Item, quod ex testimonio Ioannis. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, nequaquam probari possit æterna Diuinitas Domini nostri Iesu Christi. Nam si hæc Brentij doctrina, tanquam vera, certa ac orthodoxa recipi ac approbari deberet, tunc illud ipsum, quo Euangelista & Apostolus Ioannes veram Christi diuinitatem contra omnes hæreticos defendit ac asserit, de Angelis quoque, imo & Diabolis oporteret credere: nempe in principio erant Angeli & Diaboli cum Deo. Pro tali fide Dominus noster Iesus Christus me omnesq; probos Christianos clementer protegat ac conseruet. Item quod testimonio Ioannis, Verbum Caro factum est, non possit probari vnio personalis Diuinæ & Humanæ naturæ in vna Christi persona: quandoquidem Brentius in suo libro de humanitate Christi hoc docet: (cuius tamen in hoc libro Bergensi, postposita mea dilectißimorumq; meorum confratrum fideli admonitione, nulla fit mentio ac commonefactio,) nempe: quod quilibet suo modo ac ratione, æquè ac Dominus noster Iesus Christus consistat ex diuina & humana natura indiuisibiliter. Item quod neque Cœlum, neque infernus, sint certa aliqua & distincta loca, & quod cœlum ponere sursum in Excelsis, infernum autem hic deorsum, sit res merè conficta ac commenta, quæ nunquam fuit neque vnquam erit. Nam hæc sunt ipsißima Brentij verba in eius

libro

libro antea memorato. De qua re ego & mei dilectissimi confratres in resolutione super Torgauiensi deliberatione fideliter monuimus. Quemadmodum & Hassiaci Theologi hæc ipsissima Brentij verba ex eius libro Germanico 125. & 128. foliis, diligenter annotarunt, vbi inter cætera scribit: cœlum, in quod Christus ascendit, ita comparatum est, vt in eo non solum Angeli ac Sancti homines, verum etiam Diabolus eiusq; Angeli illic præsentes sint, imo quod ipse Sathanas & infernus in Regno cœlorum sit. Præterea quoque Iacobus Andreæ, & eius consortes Theologi, in priori suo Torgauiensi consilio ac deliberatione, hunc errorem, nimirum, cœlum non esse certum ac definitum locum, expresse posuerunt, & eidem subscribi curarunt. Quo dogmate negantur articuli Fidei nostræ Christianæ: nimirum, Christum descendisse ad inferos, & ascendisse in cœlos, vnà cum testimoniis sacrosanctæ Scripturæ de cœlo & inferno: nec non cum clarissimo Christi dicto: Vidi Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem, testimonio quoque Apocalypseos Ioannis: Sathanam nimirum cum suis Angelis proiectum esse, & locum eorum non amplius repertum esse in cœlis. Quod, si itaq; hæc omnia sub nouæ hac confessione tanquam vera reciperentur ac probarentur, nullus certè in posterum pius ac fidelis ludimagister, & Ecclesiæ Doctor, discipulis ac Ecclesiæ suæ articulos fidei sano & simplici sensu exponere audebit, quin statim pro fanatico habeatur: imo hac ratione omnes Christiani hæretici habebuntur, qui sano & simplici sensu fidem suam quotidie profitentur. Hac ratione quoque veteres illæ Origenianorum, & Ioannis Hierosolymitani hæreses, ab Hieronymo iamdudum confutatæ, à Brentio iterum redintegratæ ac interpolatæ, pro veris ac legitimis (quod tamen Deus benignè auertat) reciperentur ac approbarentur, contra articulos nostræ Fidei de Resurrectione Domini Iesu Christi, & nostra in nouissimo

die resurrectione cum vera nostra carne, corpore & membris. Quia etiam alioquin à Brentio nonnullæ inusitatæ, ac insolentes locutiones, nouæq; disputationes in suo libro propositæ ac introductæ fuerunt, quas tamen (vt apparet) Iacobus Andreæ, huius libri commendatione approbare ac defendere videtur: quocirca pius quilibet ac prudens Theologus diligenter hanc rem secum expendat ac meditetur, ne priusquam de inusitatis huiusmodi locutionibus ac disputationibus synodaliter iudicatum ac collatum fuerit, huic confessioni subscribat.

Quartò, quoniam Iacobus Andreæ cum suis consortibus Theologis, noua hac sua confessione, periculosum admodum, veteriq; in Ecclesia hactenus inusitatum processum, agendiq; modum, pernicioso exemplo ac consequentia inuehere ac introducere conatur, nimirum, quod sex Theologi, qui partim hæresibus sunt infecti, partim scientes ad eas conniuent, modo hic modo illic conueniant, & tanquam Dictatores fidei nouum hunc suum librum cudant ac recudant, eundem postea per plenariam quasi potestatem, sine synodali iudicio, (quod summopere metuunt ac fugiunt,) passim proponant, eiusq; subscriptionem à quouis Theologo, Ecclesiæ ministro, & ludimagistro postulant ac requirant, omnesq;, qui hanc subscriptionem recusant, confestim sine discrimine in suspicionem occultarum ac clandestinarum hæresium ac errorum omninò adducere conantur. Quamobrem nemo pius ac probus Theologus, Prædicator & Christianus, cum Iacobo Andreæ eiusq; consortibus Bergensi huic libro vel Confessioni bona conscientia subscribere potest, qui autem hunc illorum processum, agendiq; modum nouit, & nihilominus sciens cum illis vni eidemq; Confessioni subscribit, is simul cum illis omnium peccatorum, persecutionum, sanguinisq; profusionum, quæ ab initio vsque ad finem mundi, per huiusmodi processus, agendiq; modos in Ecclesia contigerunt,

&

& in posterum quoque euenient, seipsum reum ac participem facit. De quo duo tantummodo breuitatis causa exempla in medium adferam. Prius describitur in libro Prophetæ Ieremiæ cap. 18 hisce verbis. Dixerunt venite & cogitemus contra Ieremiam, *&c.* vsque ad vniuersos sermones eius, *&c. Posterius Exemplum est* Eutychiani hæretici Dioscori, *in altero cruento ac sanguinario* Concilio Ephesino: *quæ Concilij historia meritò hoc tempore probè attentéq; consideranda, & cum Iacobi Andreæ, eiusq; consortium consiliis ac institutis conferenda. Erat id temporis* Eutychianus *quidam* Episcopus Dioscorus, *qui apud* Imperatorem Theodosium *summoperè laborauit ac contendit, tandemq; impetrauit, vt aduersus primum sacrosanctum ac verissimum* Ephesinum Concilium, *aliud longè diuersum in eadem Ciuitate* Ephesina *indiceretur ac haberetur. Quoniam autem summoperè verebatur, vt suum hoc consilium ac propositum ex animi sententia succederet, si omnes Episcopi ac Doctores simul libero animo nullius gratiam ac odium verente conuenirent, ideo primùm vnum post alium alternatim per particulares subscriptiones in suas partes pertraxit. Postea valida ac armata manu, militumq; copijs instructus ac stipatus, Concilium suum indixit, in quo pius, probus ac syncerus* Episcopus Constantinopolitanus Flauianus, *qui se illi opponeret, pedibus conculcatus ac eiectus fuit, vt triduo post animam exhalaret. Breui autem postea contigit, vt multi huiusmodi subscriptorum maximo dolore cordis contriti delictum publicè confiterentur & pœnitentiam agerent. Tum benignissimus quoque Deus gratiam clementer concessit, vt proximus Imperator* Martianus Sacrosanctum Concilium Chalcedonense *indici ac conuocari iusserit, in quo à Trecentis & sexaginta Episcopis & Doctoribus,* Eutyche *&* Dioscoro *suorum errorum*

ac hæresium conuictis ac condemnatis, syncera fides ac Religio contra omnes hæreses iterum confirmata ac sancita fuit. Vt vero quilibet perspiciat, nihil hic quicquam præter veritatem à me proponi, ideoq; Leonis Primi, *qui id temporis adhuc in viuis fuit, cuiusque Legati huic consilio interfuerunt, propria verba ex eius Epistolis huc referam. Ita scribit* Leo *ad Imperatorem Theodosium:* Dum priuatæ causæ Religionis exercentur, obtentu commissum est, impietate paucorum, quod vniuersam Ecclesiam vulneraret, *&c. In hanc sententiam scribit quoque de* Dioscoro *in Epistola ad Ecclesiam* Constantinopolitanam *& ad* Athanasium Episcopum Thessalonicensem. *Præterea quoque ardentissimis ac humillimis precibus Imperatorem Martianum obsecrat, ne* Nicænum Symbolum *vlla ratione in dubium vocari sinat, quemadmodum & hodierno tempore multorum piorum & constantium Euangelij ministrorum propter Augustanam confessionem, anxiæ ac ardentissimæ preces ac flagitationes sunt. Et ad Imperatorem Leonem literæ eius ita sonant.* Detestandum nobis est, perseueranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, *&c.* vsque *ad &c.* ne patiatur sacrilega simulatione de fide agere, quos constat à fide deuiare. *Hæc sunt singula Leonis verba, quæ à quouis Christiano diligenter consideranda ac perpendenda sunt.*

Præter has rationes iam commemoratas, illud quoque insuper diligenter attendendum ac considerandum, num etiam conducat atque expediat, per generalem subscriptionem, nouam ac recentem aliquam confessionem acceptare: id enim non solum apud Fidei ac Religionis nostræ hostes magnam iubilationem concitaturum, verum etiam pijs ac simplicibus Christianis multas difficiles, ac grauissimas dubitationes, de veritate Augustanæ confessionis præbiturum esse, multisq; fidelibus, qui propter constantem eius

confessionem, magnam crucem ac calamitatem sustinuerunt, & nihilominus per Dei gratiam firmiter & cõstanter in ea perseuerarũt, pieq; ac beatè in Domino obdormire cupiũt, magno hanc rem offendiculo ac detrimento fore: summopere quoque verendum esse, ne hac ratione Nomen Augustanæ confessionis vna cum syncera doctrina, fide ac religione prorsus perdamus ac amittamus, nouumq; aliquod nomen à Bergensi confessione iterum recipiamus. Et, num ne etiam in Romano Imperio, magna mutatio rerum politicarum, quæ super Augustanam confessionem fundatæ ac stabilitæ sunt, cum nouis ac ingentibus Christianorum persecutionibus inde metuenda ac timenda sit, cuilibet melius ac rectius hãc rem intelligenti ac perpendenti iudicandum relinquo: magnas autẽ contentiones & discordias inter Doctores in scholis & Ecclesiis, tam nobis viuentibus, quam post nostrum obitum, inde exorituras esse, nullum est dubium. Quapropter id monere me oportet, quod proximo anno 70. in colloquio Zeruestano certissimis ac grauissimis de causis decretum ac statutum fuit: nempe in Veteri Augustana confessione, apologia, Smalcaldicis articulis, Catechismo Lutheri. firmiter permanendum esse, neque consultum fore nouam conficere ac cudere confessionem. Quod tunc temporis in hoc negocio rectum ac iustum habitum ac iudicatum fuit, id nequaquam in eadem causa nunc irritum ac iniustum dici aut pronunciari debet.

Quod insuper particulare ac speciale iudicium de libro hoc Bergensi vel confessione, vniuersisq; ac singulis eius articulis attinet, hactenus cum dilectissimis meis fratribus, hac de re conferre nolui, eam imprimis ob causam, quod liber iste, per Serenissimum Regem Daniæ, & Illustrissimum ac Celsissimum Principem Slesuici & Holsatiæ, Dominos meos Clementissimos, ad communem Theologorum deliberationem, nobis nunquam traditus ac commendatus fuerit, idq; proculdubio Christiano ac pio consilio factum, ne Ecclesiis hisce tranquillis

ac pacificis (pro quo beneficio merito Deo gratiæ agendæ) ansa & occasio præberetur, vt Christiana pax ac concordia in discrimen veniret, ac dirimeretur. Propterea neque me, vllumve alium decere voluit, citra peculiare & expressum mandatum Serenissimæ Regiæ Daniæ Maiestatis ac Illustrissimæ Celsitudinis mandatum, communemq; Theologorum deliberationem præiudicialiter hac de re Censuram ac iudicium ascribere. Ad huiusmodi quoque iudicium ac Censuram, vbi non solum quilibet articulus, sed singulæ quoque sententiæ ac verba diligenter ponderanda ac trutinanda sunt, omninò correctum ac emendatum exemplar requiritur. Quod si vero liber hic vel confessio Bergensis, prout nobis oblata est, ita imposterum typis diuulgetur, tum mihi omnibusq; pijs ac probis Theologis ac verbi diuini ministris, iure meritoq; iudicium secundum normam ac regulam verbi diuini integrum ac liberum reseruabitur. De quo etiam hic protestor. Attamen moneo ac obtestor quam fidelissimè per Dominum Iesum Christum, Christianos, Pios, Religiosos, Laudatissimos Electores ac Principes, qui hunc librum pio Zelo ad Dei gloriam & Ecclesiæ emolumentum ita serio sibi commendatum habent, vt nihil vlterius in hac re agant suscipiantq;, priusquam totum hoc negotium, synodaliter per literas, sententias & iudicia Theologorum, vel alias in præsentia, per literas, collationes, & colloquia Theologorum non solum vnius partis, sed etiam eorum, qui multis ac synceris causis adducti, eius subscriptionem recusant, diligenter examinatum ac iudicatum fuerit. Ne vero, vllus syncerus ac probus me, aut quemuis meorum confratrum in suspicionem adducere possit, quasi aliquem vel minimum errorem, denegatione huius subscriptionis occulto foueremus, vel hac ratione Sacramentarijs, aliisve hæreticis aliquo modo gratificari vellemus: ideo postea adijciam formulam nostri iuramenti, quod quilibet Christianus attentè diligenterq; considerare ac perpendere debet.

Tandem, quemadmodum antea in timore ac in vocatione

Dei,

Dei, bona ac salua conscientia pollicitus ac professus sum, causas hasce denegatæ ac recusatæ subscriptionis, non solum coram huius libri authoribus, sed vniuersis & singulis, vbi hoc mihi mandatum ac imperatum fuerit, solidis ac firmis fundamentis in nomine Domini, meo ipsius periculo, certissima spe ac fiducia auxilij & assistentiæ Altissimi firmiter me defensurum esse, ita adhuc promptum ac paratum in nomine Domini nostri Iesu Christi me offero, speroq; vbi necessitas postulauerit, mihiq; à Clementissimis Dominis meis imperatum ac mandatum fuerit, vnicuiq; Authorum huius libri, vel cunctis ac vniuersis coniunctim, vel toti Theologicæ Societati bona conscientia, spe ac fiducia firma auxilii ac præsidii benignissimi ac fidelissimi Domini, abundè satisfacturum, neminiq; quicquam concessurum, sed collato pede fortiter ac animosè cum eo congressurum esse, prout etiam res ceciderit, siue ad restim, siue ferrum, siue ignem siue aquam. Ego præter hanc meam ardentissimam ac assiduam ad Deum precationem, fidelemq; admonitionem ac cohortationem nihil quicquicquam amplius in hoc negocio efficere ac præstare possum Fidelis Dominus Iesus bene iuuabit, neque propriam hanc suam causam ac ministros derelinquet. Ipsi honor & gloria in sempiternum. *Paulus ab Eitzen Senior.*

Quoniam vero in hac Doctoris *Pauli ab Eitzen* apologia, simul quoque *Solennis Iuramenti*, quod omnes ministri Ecclesiæ in Ducatibus Slesuici & Holsatiæ præstare tenentur, mentio est facta: ideo quoq; illius formulam hic inserendam esse putaui, quod ferè de verbo ad verbum è Germanico idiomate translatum, ita sonat: in qua Iuramenti formula illud imprimis diligenter obseruandum, quod reiectis alijs erroribus ac hæresibus, vt Anabaptistarum, Sacramentariorum, Caralstadianorum, Zvvinglianorum, Caluinistarum, Bezaitarum, &c. Antiquæ ac Auitæ Catholicæ Religionis ac Fidei nulla fiat

mentio

mentio, nedum vt illa vnà cum alijs sectis ac hæresibus tanquam impia ac erronea hac iuramenti formula damnetur ac repudietur : quin potius eadem tanquam vera, syncera, ac orthodoxa, laudatur ac approbatur, vt, quæ cum veritate Sacræ Scripturæ, Sancto Apostolico Symbolo, reliquisque à Catholica Ecclesia receptis ac approbatis veris Symbolis, (quæ in hoc iuramento, Fidei ac Religionis præcipuum fundamentum ac regula constituuntur, vnde & de ipsa Augustana confessione, eiusdem Apologia, scriptisque Lutheri, quæ postea in hac Iuramenti formula sequuntur, decerni ac iudicari debet) consentit ac cõcordat. Quãobrẽ vi ac tenore huius Iuramenti, nemo aliam Religionem tanquã Orthodoxam, verã ac synceram approbat, quam imprimis Catholicã & Apostolicam, neq; ad aliam vel confitendam, vel publicè prædicandã se iuramẽto hoc obligat ac obstrinxit, q̃ quæ primariò cum veritate sacrarũ literarum, & in Ecclesia receptis ac approbatis Symbolis consentit. Quare, qui vel docentibus vel discentibus nouam aliam ac peregrinam, vel violenter vel fraudulẽter obtrudunt ac insinuant, contra mentem Spiritus sancti, verumque scripturæ intellectum, in approbatis ab Ecclesia symbolis declaratum ac manifestatum, vim faciunt conscientiæ, ac fraudem huic iuramento.

Ego N. Prædicator sancti Euangelij, ordine ac legitimo modo per voluntatem Dei accersitus & vocatus, iuro per sanctum Nomen Dei, & Redemptoris mei Iesu Christi, quod Sancta Diuina Biblica scripta, *in omnibus punctis, articulis & verbis, vera esse credam ac statuam.* Secundo, quod sanctum Apostolicum symbolum, & reliqua vera symbola à sancta Catholica Ecclesia approbata ac recepta, verissima *quoque esse, sentiam ac credam in omnibus articulis nostræ fidei Christianæ, & ita quoque in articulo*

ticulo de indiuisibili vnione duarum naturarum diuinæ & humanæ in vna indiuisa Christi natura: quam inseparabilem vnionem nullum tempus & locus in æternum soluere ac dirimere potest. Tertio, quod Augustanam Confessionem Anno 1530. conscriptam, vna cum Apologia, Smalcaldicis articulis, & vtroque Catechismo sancti Patris & Doctoris Martini Lutheri, vera esse credam ac statuam Quarto imprimis, quod verba Domini ac redemptoris mei Iesu Christi, in sacrosancta sua cœna & testamento, nempe. Hoc est Corpus meum ℭ pro vobis traditur. Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, verissima esse credam ac sentiam, in simplici vero intellectu clarorum verborum, nempe, quod verum ac substantiale corpus mei redemptoris Iesu Christi, quod pro me in mortem crucis datum est, ac verus ac substantialis sanguis mei redemptoris Iesu Christi, qui pro me effusus est, in sacra cœna verissimè sint præsentia, & reuera dispensentur in omnibus mundi locis, vbi cœna secundum institutionem Christi celebratur: simul quoque ab omnibus hominibus, qui in Christiana Ecclesia mensam Domini accedunt, verissimè percipiantur, prout verba Christi sonant. Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Bibite ex hoc omnes. Hic sanguis est noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Item, vt Apostolus Paulus quoque dicit, quod panis cœnæ sit communicatio corporis Christi: & Calix benedictus sit communicatio sanguinis Christi: hoc est, qui panem benedictum cœnæ accipit, simul quoq; accipit verum corpus Iesu Christi, & qui benedictum Calicem accipit, verũ quoq; sanguinem Iesu Christi, Fideles ad sui vnionem cum Christo Iesu, & æternam salutem, infideles ad iudicium: quemadmodum hæc doctrina de venerando hoc Sacramento declarata est in Augustana confessione, apologia, Smalcaldicis articulis, & vtroque catechismo

ticulo recta & vera esse credo ac existimo, & hoc Sacramẽto me obligo, quod per auxilium & gratiam Dei, veram hanc & simplicem de sacra cœna doctrinam, Ecclesiæ mihi commissæ fideliter, incorruptè ac inuariatè proponere, eamque vsque ad mortem docere velim.

Quinto, quod omnes falsas doctrinas ac errores omnium eorum, qui à veritate Sanctæ scripturæ, & sancto Apostolico, reliquisque approbatis ac receptis veris symbolis, tum quoque à pura ac vera doctrina Augustanæ cõfessionis, Apologia, Smalcaldicis articulis, & Lutheri Catechismo discedunt, & contra illam doctrinam nouas & confictas opiniones, errores, falsas & pernicioſas expositiones, in quouis puncto & articulo proponunt, ad puram hanc doctrinam corrumpendam, sanctam fidei vnitatem dissoluendam, & simplices in fide seducendos, vero ac iusto zelo ac odio persequi, reiicere ac condemnare, neque vnquam illis sectis, quocunque etiam modo appellari possint, vel clam vel palam adhærere ac assentiri velim.

Sexto, & imprimis, quod Anabaptistarum & Sacramentorum violatorum, Caralstadianorum, Zvvinglianorum, Caluinianorum, Bezaitarum, quocunque nomine vel nunc vel in posterum appellari possint, blasphemam doctrinam cõtra necessitatem baptismi, & efficaciam sacri baptismi, & contra veram præsentiam, communicationem & acceptionem veri substantialis corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, vbi illa per totum orbem terrarum in Christiana Ecclesia secundum Christi institutionem administratur ac celebratur, pro iniusta, falsa, mendaci ac pernicioſa habeam & agnoscam, & propterea pio ac iusto zelo ac odio persequar, reiiciam ac condemnem, cætumq; mihi commissum, pro donis mihi concessis, per gratiam & auxilium Spiritus sancti diligenter ac fideliter vsque ad extremum vitæ finem, de huiusmodi erroribus fugiendis ac cauendis monebo, neque vnquam blasphemæ huiusmodi Societatis, vel clam vel palam, me

me participem faciam, neque periculosè multorumq́, scandalo ac offendiculo, vbi necessitas illis contradicendi non requirit, de huiusmodi sacramentariis, blasphemis, aliisq́, perniciosis erroribus coram laicis non disputabo: verum immutabilem ac verissimam doctrinam ac fidem, de veritate ac omnipotentia Domini nostri Iesu Christi, & de indiuisibili vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna indiuisa Christi natura, & vera ac substantiali præsentia veri Corporis ac sanguinis Christi in sacra cœna, per Dei Gratiam & Spiritus sancti auxilium firmiter conseruandam ac propagandam curabo. Hoc omne iuro sine vllo fuco ac dolo bona conscientia, quam verè me Deus adiuuet.

Hac ætate vixit *Paulus Cypræus*, Iuris vtriusque Doctor, *Nicolao Cypræo, Consule Slesuicensi* natus Anno à seruatore nostro millesimo quingentesimo trigesimo sexto: vt ipsemet Natalem hunc suum versibus mandauit.

Mille & Quingentos, & sex conuerterat annos,
A nato Titan, bis tria lustra Deo.
In vitam vt veni, charæ genetricis ab aluo,
Expletis partus mensibus atque die.
Quod si forte diem cupias cognoscere, sextus
Decimus Aprilis hic, vt opinor, erat.
Tempora quo toto celebrant Paschalia mundo
Christiadum Domini gens memor alma sui.
Hora, qua dubiæ nocturna crepuscula lucis
Fallere vigiliæ lumina nostra solent.

Hic itaque præfatus *Paulus Cypræus*, cum in Patria Slesuuiga, bonis literis, acmoribus probè excultus ac imbutus esset, tandẽ, vt maiores ac luculentiores studiorum bene feliciterq́; cœptorũ progressus faceret, exteras quoq; adire Nationes cœpit, & primũ omniũ

ad

ad celeberrimam ac famosissimam Academiam *Louanienſem* ſe contulit, vbi cum præſtantiſſimis ac celeberrimis quibusque omnium facultatum Profeſſoribus innotuiſſet (quorum literæ poſt eius illinc diſceſſum magno numero ad ipſum datæ adhuc in noſtra Bibliotheca extant ac aſſeruantur) triennijque illic ſpatio, Iuriſprudentiæ, rerum politicarum, aliarumq; artium ac linguarum præclarum fundamentum iecisſet, inde vlterius in *Angliam* conceſſit, ibidemque triennij, plus minus, ſpatium commoratus clariſſimas eius Regni Academias inviſit ac frequentauit. *Londinū* tandem Angliæ Metropolin acceſſit, ibidemque in Regia bene verſatus, Nobiliſſimis, Ampliſſimis ac Spectatiſſimis Regni Proceribus, Aulæque Officialibus ac miniſtris gratus atque acceptus fuit: imprimis vero Nobiliſſimis ac Clariſſimis Dominis *Armigillo Vade Angliæ Legato, Domino in Hemſtede* (in cuius familia ac contubernio vixit) nec non *Iuſto Ionæ* Magni ſigilli ſecretario, alijſque Viris Ampliſſimis, qui in rebus arduis ac grauiſſimis eius opere ac conſilio ſæpius vſi ſunt, frequenterque poſt eius abitum literas ad ipſum dederunt. Ex Anglia porro in *Galliam* profectus eſt, ibidemque Aduocatus Nationis Germanicæ à ſupremo iudicio (quod Parlamentum vocant) conſtitutus, integrum quinquennij ſpatium in Academia *Aurelianenſi* tranſegit, diligentemque operam ſtudio Iuris, tam priuatim illud profitendo, diſputationibus ſtudioſos exercendo, quam etiam cauſis publicè agēdis, libriſque Iuridicis componendis, impendit ac nauauit: vbi inter cætera Commentarios quoque in Leges Patrias ſiue Sleſuicenſes conſcripſit ac elaborauit, quos publico teſtimonio ac elogio Eximius ac Celeberrimus *Ictus Guilielmus Fornerius Anteceſſor Aurelius lib. 2. Select. pag.* 74. hiſce verbis commendauit ac probauit,

bauit, dum inquit. *Et hoc acutus vir vidit Paulus Cypræus Slesuicensis, auditor Aureliæ, cuius immortales in Patrias leges commentarios expectamus.* Quem tractatum manuscriptum præfato Gulielmo Fornerio commendatũ Nobilissimus ac Amplissimus Dominus *Bongarsius, Regis Galliarum in Germania Legatus*, amicus dum vixit Parenti meó summus ac intimus, post obitum Parentis cum honorificentissima ad hæredes epistola, ex Galliis in Patriam nostram remisit, qui & suo tempore in lucem prodibit. Transactis autem aliquot annis Aureliæ, tandem honore ac gradu Doctoratus illic insignitus ac decoratus fuit. Quem honoris ac dignitatis gradũ, postquã Aureliæ summa cum laude est consecutus, Italiam porro & Hispaniam transiuit ac peragrauit. Cõfecto tandem studiorum curriculo in Academijs, egregiaque ac ferè absolutissima omnium linguarũ, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ & Syriacæ, quæ quasi ad vnguem ipsi notæ fuerunt (vt in omnibus istis linguis scripta ac literæ ad Clarissimos ac Doctissimos viros in nostra Bibliotheca adhuc extant) nec non exoticarum ac peregrinarum, Gallicæ, Anglicæ, Italicæ ac Hispanicæ eximia ac fermè admiranda notitia ac cognitione sibi comparata, (vt & eius rei clarissima, varijs nimirum ac diuersis literis omnibus istis linguis ad diuersas nationes ac populos conscriptis, documenta ac testimonia in nostra Bibliotheca adhuc reperiuntur ac conspiciuntur) vnà cum exquisitissima iuris scientia, cuius iampridem in Gallia pręclara specimina ediderat, sibi acquisita, saluus ac incolumis tandem in Patriam est reuersus. Quò cum ventum, ab *Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Adolpho, Duce Slesuici & Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comite in Oldenburg & Delmenhorst, Laudatissimæ memoriæ*, in numerum Consiliariorum electus ac cooptatus

fuit. Post cuius obitum, eius quoque filij, Illustrissimi Principes ac Domini, *Dominus Fridericus, Dominus Philippus, & Dominus Iohannes Adolphus* non minori Gratia, fauore ac clementia ipsum vsque ad mortem prosecuti sunt. In quo demandato sibi munere ac officio talem se præstitit, vt eius opera & consilio in arduis ac grauissimis negotijs, multisque legationibus ad Potentissimos *Hispaniarum ac Daniæ Reges*, alioſque Germaniæ Principes, Status Hollandiæ, ac Imperiales Ciuitates, obeundis ac perficiendis, præclarè ac laudabiliter fuerit vsus: *Gymnasio* quoque olim Slesuici erecto præfectus, iura publicè illic docuit ac professus est, ita, vt quamdiu vixerit, toti Patriæ illustre decus ac ornamentum fuerit. Sæpius aliò imprimis à Rege Daniæ ad honorificentissima munera ac officia obeunda, ampliſſimo stipendio fuit vocatus ac accersitus: vt literæ Nobilissimi ac Spectatissimi viri Domini *Arnoldi VVitfeldij* Regni Daniæ Cancellarij, hac de re sæpius ad ipsum scriptæ, clarè edocent ac testantur. *Obertus* quoque *Giphanius* ICtus Celeberrimus, cum quo in Gallijs, aliisque locis quam coniunctissimè vixerat, de ipso in Aulam Cæsaris transferendo, summoperè laborauit ac contendit, vt literæ eius adhuc clarè indicant ac testantur: sed Patriæ assuetus, multisque exantlatis laboribus ac peregrinationũ difficultatibus fractus ac debilitatus, ægro ac infirmo corpore, solum vertere Patriaque emigrare, è re atque vsu suo non fore iudicauit. Tandem ætate ac senio confectus, postquam annos 73. natus esset hac mortali vita excessit, & in Ædе Cathedrali ante Altare terræ mandatus fuit, erecto ipsi illic Epitaphio, quod & ipse viuens adhuc composuit.

Cretus humo Cypræus humi hic in puluere puluis.
Dormio & expecto, postremi Classica flatus.

Cor-

Corpore sed tantum, putrida nam carne solutus
Spiritus ad Dominum redit, cœloq; receptus,
Numinis aspectu fruitur, viuitq; fruendo.

Monumentum literarum edito *tractatu de Iure Connubiorum* posteritati reliquit: qui & hasce historias *Episcoporum Slesuicensium* scribere incepit; quæ iam à me Iohanne Adolpho Cypræo, eius filio, continuatæ, auctæ ac locupletatæ, in Dei Gloriam, Vnius Veræ, Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vtilitatem ac commodum, Patriæque decus ac ornamentum editæ ac diuulgatæ fuerunt. Pro quo opere ac labore feliciter confecto, omnium bonorum Authori Domino nostro Iesu Christo, eiusque Sanctissimæ ac Gloriosissimæ Matri, Virgini Mariæ sit perennis ac immortalis laus & gloria Amen.

Nonnulla in Genealogia omissa ac neglecta *fol.* 5: *post verbum* Consors: *Gorfridi Regis Liberi fuerunt* Olaus Tertius *Rex Daniæ* (*de quo postea. N. Siuardi Regis Norvvegiæ coniunx. Item f.* 46. *post verba* in Ordinem *relatus.* Haraldi *filij sunt.* Harquin. *qui cũ excellentissimæ indolis habitu, & felicissimæ naturæ incrementis, fratris fulgorem obscurauerat, Sembos aggressus est, & ijs potius, maribus necatis, fœminas eius militibus nubere coegit, qui rescissa domesticorum matrimoniorum fide, suam cum hoste fortunã partiti sunt: alter filius Suenotto Rex Daniæ* (*de quo postea.*) *Item eodem fol. post verba* Roschildiæ sepult. *Liberi Suenottonis Thyra, Olao Regi Noruuegiæ quidem desponsata, at Godevvino Anglorum Satrapæ nupta. 2. Margareta cognomento Estritta. 1. Richardo Normãniæ præfecto 2. Vlfoni* (*de eius stirpe & origine vix verisimilia narrat saxo Grammaticus, qui à Canuti 2. ministris ob cantationes ironicè decantatas occisus*) *nupta. 3. Canutus vel Magnus Rex Daniæ* (*de quo postea.*) *Item fol.* 85. *post* verba Ottoniæ sepultus. *Liberi Canuti 2. Sueno* (*de quo postea*) 2. *Canutus Rex Daniæ* (*de*

quo postea) 3 Haraldus Angliæ administrator per tres annos, post mortem Patris electus an. 1037. Obijt an. 1039. 4. Eduardus partem Regni adeptus. 5 Marina Vdoni Regi Obotritorum. 6. Agatha Eduardo Duci Angliæ nuptæ 7. Gunilda Hinrico 3. Conradi 1. vel Saliqui Imperatoris filio nupta an. 1035. f. 98. post vestra obijt an. 1074. Liberi Suenonis Estritij: Nicolaus Bonus Rex Daciæ (de quo postea) Gormo, Emund, Biorn, Omund, Magnus, Bent cum fratre Ottone vnà occubuit, Harding filium habuit Robertum, Vbbo modestè Regni sarcinam declinans Nicolao detulit an. 1103. Sueno cum maximis itineribus ad in augurationem festinaret, in itinere mortuus anno 1106. filium habuit Henricum, Ericus Tertius Bonus, Rex Daniæ (de quo postea) Olaus 4. Rex Daniæ (de quo postea) Syritta Godscalco Obotrito nupta, quorum filius Henricus cum Nicolao Rege Daniæ belligerauit An. 1065. Inger Olai Regis Norvvegiæ consors. S. Canutus 3. Rex Daniæ (de quo postea. fol. 115. post verba anno. 1102. Erici Tertij liberi. Haraldus ex concubina natus, cum Roschildium ex Haraldburg assiduis vexaret incursionibus, à fratre Erico capitali affectus est supplicio an. 116. Ericus 4. Rex Daniæ (de quo postea) S. Canutus Dux Slesuic. (de quo postea. Anna Harquino nupta, vnde Ericus 5. Rex Daniæ, Lam dictus, (de quo postea) fol. 126. post verba anno 1335. Liberi Nicolai Regis 1. Magnus Rex Gothiæ (de quo postea. Ingo effrenis equi lasciuia excussus interijt. fol. 131. post verba Ringstedij sepultus. Sancti Canuti liberi Waldemarus 1. Dux Slesuicēsis, &c. Christense Magni Regis Norvvegiæ: Pernille Pribislai Regis VVandalorū, Iuditta Bernhardi Saxoniæ Electoris consortes Ericus Rex Daniæ, &c.

Errata quædam Typographica, cætera Lector emendet.

Fol. 5. lin. 5. obætritis pro obotritis, fol 56. lin. 6. à fine, Marcum Frimus pro primus, fol. 65. lin. 8. à fine qui pro quæ, fol. 68. lin. 2. opere pro operæ, fol. 76. lin. 10. à fine efficiebatur pro effici, fol. 88. lin. 18. anguria pro angaria fol. 146. impulsua pro impulsus. fol. 288. lin. 12. tute, lam pro tutelam, fol. 384. lin. 5. à. fine Et mè pro Et de me. f. Item lin. 5. à fine sæpius me pro à me,

IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM, Breuissimus.

ABEL Rex Daniæ fratricida, fol 254. & seq.
Absolon Archiepiscop. Lundens. fol. 178. & seq. item 202. 203.
Adaldagus Archiep. Hamburgens. & Bremens. fol. 47. & seq.
Adaldagus Episcopus Slesuicens. fol. 71
Adelbertus Episcopus fol. 98
Adolphus I. Comes Holsatiæ fol. 155. & seq.
Adolphus II. Comes Holsatiæ fol. 163
Adolphus III. Comes Holsatiæ fol. 206
Adolphus IV. Comes Holsatiæ Frat. Minor. factus fol. 243. & seq.
Adolphus Dux Holsatiæ Episcopus Slesuicensis fol. 427
Adolphus Princeps Holsatiæ f. 433
Agapetus Pontifex Romanus fol. 37
Alberus Episcopus Slesuicensis fol. 136
Alexandri Pontif. literæ ad Archiep. Lundensem fol. 277
Alexandri Pontif. literæ ad Haraldum Nortman. Regem fol. 101
Alexandri VI. Pontif. literæ ad Capitulum Slesuicense f. 399
Alexandri VI. Pontif. literæ Excommunicationis fol. 395
S. Ancelmus Cantuariensis Archiepiscopus f. 104
S. Anscharius fol. 6. 7. 8. 11. 12. 27. &c.
S. Ansuerus Episcopus Slesuicensis f. 118. 119. & seq.
Arhusiensis Episcopatus fundatur fol. 55
Ascherus à Pontifice Archiepiscopus eligitur fol. 118
S. Augustini vita & res gesta fol. 229

BArtholdus Episcopus Slesuicensis fol. 299. & seq.
Bezelinus Archiep. Hamburgensis f. 96. & seq.
S. Benedicti vita & res gesta fol. 227. & seq.
Benedictini Ordinis Sacerdotes vocantur fol. 25
S. Bernhardi Epistola ad Eskillum Archiep. Lundensem fol. 180
Blusso Slauus homo nefarius f. 127
Bonifacij Pontif. literæ ad Archiep. Lundens. f. 301. & seq.
Bremæ constituitur sedes Episcopalis fol. 3
S. Brigitta f. 341
Bundo Episcopus Slesuicensis fol. 299. & seq.

Canutus I. Rex Daniæ fol. 28. & seq.
Canutus II. Rex Daniæ fol. 85. & seq.
Canutus III. Rex Daniæ fol. 95
S. Canutus IV. Rex Daniæ Martyr fol. 106. & seq.
Canutus V. Rex Daniæ fol. 175
Canutus VI. Rex Daniæ fol. 195
S. Canutus I. Dux Iutiæ Martyr fol. 131. 145. & seq.
Carolus Magnus fol. 4. & 5
Clementis III. Pontif. litera ad VValdemarum Episc. Sesuic. f. 202
Cherſoneſus Cimbrica idolatriæ & Paganismo valedicit fol. 55
Chriſtianus I. Rex Daniæ Romam proficiſcitur fol. 378
Chriſtiernus II. Rex Daniæ, Imperio pellitur fol. 404. & seq.
Chriſtianus III. Rex Daniæ cuius ætate mutatio Religionis facta fol. 429. & seq.
Chriſtianus IV. Rex Daniæ fol. 431
Chriſtophorus I. Rex Dan. fol. 268
Chriſtophorus II. Rex Dan. fol. 311. & seq.
Chriſtophorus III. Rex Dan. f. 368. & seq.
Concordiæ liber in Holſatia non approbatur fol. 433

Dania ad fidem conuerſa fol. 8
Danorum excurſiones & migrationes fol. 21
S. Dominici vita ac res geſtæ fol. 236. & seq.

Eduardus Rex Angliæ fol. 76
Eggerdus Epiſcopus Sleſuicenſis fol. 394. & seq.
Ericus I. Rex Daniæ fol. 18. 19. & seq.
Ericus II. Rex Dan. ibid.
Ericus III. Rex Dan. f. 115. Ericus IV. Rex Dan. fol. 154
Ericus V. Rex Daniæ fol. 162
S. Ericus VI. Rex Dan. Martyr fol. 259
Ericus VII. Rex Daniæ f. 281. & seq.
Ericus VIII. Rex Dan. fol. 297. & seq.
Ericus IX. Rex Daniæ fol. 362
Eskillus Archiepiſcopus Lundenſis fol. 177
Eskillus Epiſcopus Sleſuicenſis f. 260
Exundatio in Strandia f. 339
Ezico Epiſcopus Sleſuicenſis f. 18. 19. & seq.

Flensburgi Cœnobium Fratrum Minorum fol. 210
Folcbertus Epiſcopus Sleſuicenſis f. 75
S. Franciſci vita ac res geſtæ f. 234. & seq.
Franciſcanorum tria Monaſteria in Dania fol. 393
Fridericus I. Rex Daniæ fol. 427

Fridericus II. Rex Daniæ fol. 431
Fridericus Dux Holsatiæ Episcopus Slesuicensis fol. 445
Fridericus Princeps Holsatiæ f. 432
Fridericus Episcopus Slesuicensis f 184
Frotho Rex Daniæ f. 36
Gerhardus I. Comes Holsatiæ fol. 269. & seq.
Gerhardus II. Comes Holsatiæ f. 299
Gerhardus III. Comes Holsatiæ f. 341
Gerhardus Magnus siue Caluus Comes Holsatiæ f. 312. 314. & seq.
Godofridus Rex Daniæ fol. 5
Gotscalcus de Aleuelde vltimus Episcopus Slesuicensis f. 414
Gormo II. Rex Daniæ f. 37
Gormo III. Rex Daniæ f 38
Gregorius IV. Pontifex f. 12
Hamburgensis Ecclesia, Metropolis constituitur f. 1. & 12.
Hamburg & Bremens. Ecclesiæ coniunctio, f. 4. 12. 22. & seq.
Haraldus Rex Daniæ f. 7. 8
Haraldus VI. Rex Daniæ in Martyrum ordinem relatus f. 73
Haraldus Episcopus Slesuicensis f. 69 & seq.
Helmbertus Episcopus Slesuic. f. 313 & seq
Henricus I. Comes Holsatiæ f. 298. & seq.
Henricus Ferreus Comes Holsatiæ fol. 327. & seq.
Henricus Episcopus Slesuicensis f. 338
Henricus van dem See Episcopus Slesuicens. f. 362
Helricus von der Vvisch Episcop. Slesuic. f. 384
Iacobus Episcopus Slesuicensis f. 293. & seq.
Idolum Rugianorum destruitur f 185
Ioannes Rex Daniæ f. 389. & seq.
Ioannes I. Comes Holsatiæ &c. f. 268. Ioannes II. Comes Hols. f. 297
Ioannes de Castro Episcopus Slesuicensis fol. 399
Ioannes de Bockholt Episcopus Slesuicensis f. 305. & seq.
Ioannes Schondeleff Episcopus Slesuicensis f. 345
Ioannes Adolphus Princeps Holsatiæ f. 428
Isabella Caroli V. soror Christierni Regis Daniæ coniunx f 405
S. Ketilli Confessoris ac Martyris res gestæ f. 182
Lancea Ottonis Imp. f. 51. & seq. Lutherus exoritur f. 414
Ludouicus Pius. f. 7. 8. 13. & seq. Lotharius Imp. f. 152. & seq.
Magnus Rex Norvvegiæ & Daniæ f. 95. & seq.
Marco Episcopus Slesuic. f. 57.
Margareta Regina Daniæ, f. 340. & seq. Minorũ ordo, f. 225. & seq.
Miracula in AEde Cathedrali Slesuicensi edita f. 27. & seq.

Nico-

Nicolaus Pontif. Episc. cõstituit in Dania, Suet. & Slau. f. 25
Nicolaus Bonus Rex Daniæ f. 126
Nicolaus Epis. Slesuic. f. 211. Nicolaus Brun Episc. Slesuicens. f. 336
Nicolaus VVulf Episcopus Slesuicens. fol. 368. & seq.
Nortmannorum excursiones f. 31. & seq.
Norvvegiæ Archiepiscopus præficitur f. 117
Occò Episcop. Slesuicens. f. 160. Olaus III. Rex Dan. fol. 5
Olaus IV. Rex Dan. f. 113. Olaus V. Rex Dan. f. 355
Olaus Rex Norvveg. Martyr f. 355. & seq.
Olaus Rex Suec. f. 358. Otto Imperator. f. 47. 50. 51. & seq.
Ottensund fretum Ottonis fol. 51
Paulus ab Eitzen Superintendens Slesuicensis f. 448
Poppo Sles. Epis. eius vita res gesta & miracula f. 78. 79. & seq.
Prædicatorum ordo f. 225. & seq.
Regnerus Rex Dan. f. 6. Reinefeld Monasterium, f. 159. & 206
Religionis mutatio, f. 429. & seq.
Rembertus Anscharij successor, fol. 26. 28 & seq.
Ripensis Episcopatus fundatur, f. 55. Romani Imperij limes, f. 40
Rudolphus Episcopus Slesuicensis fol. 96. & seq.
Siuardus Rex Dan. f. 6. 14. Siuardus Episc. Slesuicensis, f. 100
Sixti Pontificis litera ad Helricum Episcopum Slesuicens. f. 385
Slesuicense templum ædificatur fol. 18
Slesuici Cœnobium Fratrum Minorum f. 293
Suenotto Rex Dan. f. 54. Sueno Estritius Rex Dan. f. 98. & seq.
Sueno III. Rex Dan. f. 165
Thyra Regis Angliæ Filia fol. 93
S. Thomæ de Aquino vita ac res gesta f. 237. & seq
S. Theodogari vita & res gesta f. 360. 361
Tilemannus de Hussen Episcopus I. Slesuic. Lutheranus f. 446
Tucco Episcopus Slesuicensis f. 225
Vallum Danicum fol. 42. 44. 46. & seq.
S. Vicelinus miraculis clarus f. 138. & seq.
Vnno Episcopus f. 42. 44. 46. & 47
Vnvvannus Archiepiscopus Hamburgensis, f. 85. & seq.
Waldemarus I. Dux Slesuicensis & Rex Daniæ f. 177
VValdemarus II. Rex Dan. & Dux Slesuic. f. 211. & seq.
VValdemarus III. Rex Dan. f. 327. & seq.
VValdemarus Episc. Slesuic. f. 194. 216. & seq.
S. VVilhadus Episc. f. 2. 3. S. VVillarius Episc. f. 4
S. VVilhelmus. f. 204

FINIS.

Collegij Societ. Jesu Paderborna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CYPRÆI
Annales
Episcopor.
sk. vicē

Th
4929